

A
45
220



f. 118.13441

	C
Es:	27
	53

BIBLIOTECA HOSPITAL REAL GRANADA	
Sala:	A
Estante:	45
Número:	220

Collegio de La Comp de Serus de Gran B. d.

IOANNIS

R. 20503

Docæi Laudunensis Episcopi,

HOMILIARVM

quadagesimalium

opus.



PARISIIS;

Excudebat Carolus Perier, in vico Bellouaco,
sub Bellerophonte.

1556.

CVM PRIVILEGIO.

20
cosm. 7. 10.
El. D. Alcaroz



IOANNIS
DOCCI LAUDUNENSIS EPISCOPI
HOMILIARVM

quadragesimalium

*CAVTVM est auctoritate HENRICI II.
Francorū Regis, ne quis alius prater Carolum Perier
has Ioannis Doeci Homilias quadragesimales, ante
decennium imprimat, néue vendat. Qui secus fece-
rit, libris & pœna in sanctione aestimata, multa-
bitur. Lutetia Parisiorum 15. Martij 1554.*

Par le Conseil

De Courlay.



PARISIIS
Excudit Carolus Perier in vico Bellouano
sub Bellephona.

1554

CVM PRIVILEGIO

Handwritten notes in the bottom right corner, including the number '1554' and some illegible scribbles.

Illustrissimo Principi, Domino

CAROLO CARDINALI A LO-

tharingia, necnon Remensis Archiepiscopa-

tus Praesuli dignissimo, Ioannes Docæus

professione Benedictinus, ac Dei

sanctęque sedis Apostolica

gratia, Laudunensis Epi-

scopus S. P. D.



Rouida dispēlatione Dei, fixaq;
eius prouidentia contigisse vi-
detur, vt quo tēpore ad illustrif-
simum Principem Ludouicum
à Borbonio Cardinalem, & Ar-
chiepiscopum meritissimū Se-
nonēsem puerulus adhuc iussu parentū perdu-
ctus esses, sanctissimis morū institutis variisque
scientiarum & disciplinarum ornamentis effor-
mandus, ille propēsa animi sui clementia, me in
suā adoptauerit clientelā: Tu verò ex numero-
sa primariorum virorū caterua, quasi exuberāte
circa eum corona, virum nactus sis, qui tuę Re-
mensis prouincię suffraganeū ageret. Iámq; vi-
dere licuit, multorū oculos in te vnū, aulam il-
lius ingredientē coniectos atq; fixos: sanè ille-
ctos perspiciua animi tui generositate, simul &
eximia corporis venustate, velut ad nimiū splen-
dorē tuū attonitos & hebescentes, quod anceps

esset iudiciū utræ dotes, animi an corporis, pal-
mā ætatis progressu assequuturæ essent: ita vt
nemo fuerit tā sinister coniector, qui non præ-
sentiret & prælagiret te in matura ætate consti-
tutum, Præsulem euasurum omnibus virtutum
numeris absolutum, atque musarū choro aptif-
simum. Ego autem incredibili gaudio tactus,
inter conscientiæ latebras non tam ominari, q̄
dicere cœpi esse æquissimum, & iure sanguinis,
& virtutum tuarum officiis, vt ad præcipuū ali-
quem gradum cōscenderes, & ultra cōmunem
hominum expectationē in altū proueheris.
Ideo pij parentes in primis adolescentiæ annis
te indulgentiūs apud se educari noluerūt, quòd
te nō sibi, sed Christo genuissent, rebúsq; sacris
deuouissent. Sed quasi è manu sua in manū tati
principis tradiderunt, quòd experti essent eum
præ cunctis illa cognoscere quæ decent pastore
Euangelicum: atq; id quantò maturius factum
est, tantò cessit fœlicius. Quoniam tibi prima
pietatis rudimēta, tum sanctissimis vitæ exem-
plis, tum doctrina salutari instillauit, & eadem
tenere ad vnguem, & intelligere voluit quæ ab
ouium Christi pastore sunt expetenda. Igitur
cū Cenomanensis diœcesis, cui tunc præerat
pastor vigilantissimus, parrochias omnes obire
& lustrare in animum induxisset suum: tunc te
vlnis illius, cui nomen Cardinalatus inditum
erat,

erat, frequenter amplexum, circumferri passim
voluit, vt ob tuæ mentis oculos Pontificiũ mu-
nus, paulò post per te obeundũ, velut imagine
quadam viuis coloribus depicta imprimeret.
Posteà verò cũ tenella ætas auctior facta, & ob
id firmior videretur literis addiscendis, & virtu-
tibus amplexandis tempestiua, & admodũ ido-
nea, neq; eum principem maximè oculatum fu-
geret, quæ primis annis imbibũtur, ea in omni
vita tenacissimè nobis adhærere, nihilque soli-
dius humanis mentibus agglutinari, eò q; à te-
neris (vt dici solet) vnguiculis impressum est:
ideo cõsentaneum existimauit, imò necessariũ
te ad Nauarricam scholã in academia Parisiensi
facilè Principẽ mittendũ, vt cum sancto Dei ti-
more prima literarum rudimenta, quasi purissi-
mos latices ex fonte lymphidissimo profundè
haurires. Ea de causa tibi præceptores duos à
tuo latere nũq̃ discessuros delegit: quorũ alter
ad verũ Dei & sanctorũ eius cultũ informaret,
alter verò humanarum disciplinarũ præceptis
perpoliret, eleganter, & ornatè loqui ostēderet.
Quod autem iussis vtriũsq; ex animo parueris,
tãtos inde in bonis moribus & humanioribus
disciplinis progressus fecisti, vt æquales tuos p-
cul à tergo reliqueris. Ideo non ab re tum præce-
ptores classici, tum discipuli omnes tam fœlicis
tãmq; acuti ingenij tui nomine tibi gratulabã-

tur tanquã negociatori solertissimo : tibi enim
suppellectilẽ bonarũ literarum cõ parabas adeò
copiosam, vt nemo ex coeuis tuis, aut per q̃ rar⁹,
iueniretur te ipso ea locupletior. Data mihi sub
hoc tẽpus monasterij præpositura, occasio lon-
gè opportunissima oblata est inter fratres Dio-
nyfianos vitã agẽdi, & ad votũ animi successit,
vt te Parisiis studentem visitare, & omni officio
honoris, & reuerentiã prosequi possem. Porrò
scintillã virtutum, ex vera animi tui indole libe-
ralibus studiis adiuta, emicantes summo Ponti-
fici, authore quidẽ Christianissimo Francõrum
Rege, persuaserunt, vt Remensis prouinciã Ar-
chiepiscopatus dignitatem tibi demandaret: tu
qui probè fueras edoctus oportere Pontificem
ouium suã fidei creditarũ sollicitum esse, iuxta
Rom. 12 sententiã apostoli dicentis: Qui præest, in solici-
tudine præsit. Quo sacris attentius instares, vt q̃;
ad capescẽdã & fideliter administrandã Remp.
Christianã, plus otij & temporis tibi suppeteret,
eiúsque muneris capacior esses, priuatã domus
negotia virorum prudentum solertiẽ cõmisisti,
qui vbiuis locorũ tuã ditionis præsiderent. Igi-
tur reiectis domus priuatã cõmodis te totum
Deo, & Reipublicã dedisti. Cum quanta verò
animi dexteritate, & iucũda alacritate perficias
quã agenda sunt nemo nõ nouit. Is qui te ad tã
supremi honoris apicẽ sanctissimis exemplis, &
institutis

instituti olim preparauerat, tandem me ab illo
secessu monastico accitum, & quasi è latebris
deserti emissum, vti Põtificio munere instituit:
sed me prius ad te misit omni officio pro ea di-
gnitate satisfacturum. Itaq; cum ab eo missum
me intelligeres, cui rectæ educationis nomine
te non parũ debere profiteris, venientẽ non be-
nignè solũ excepisti, verumetiam quibusuis
in rebus opem, consiliũ, & fauorem amplissimè
impertitus es. Ego autẽ ad tantæ dignitatis cul-
men euectus, apud me statim expendere cœpi
aliud sacrificiũ nõ esse deo gratius, & acceptius
muneris accepti functione expetita, & alacri,
quinetiam in animo mihi fuerat salutis verbũ
populo nũciare, sed per bella passim grassantia,
& totam fermè diocesim occupãtia, istud obire
mihi integrũ non fuit. Quamobrem ne ociosè
viuens ignaua remissione animi torpescerem,
Homilias aliquot in Euangelia priuatis diebus
quadragesimæ, inter missarũ solennia populo
pronunciari solita edidi: quas tibi nostræ Re-
mensis prouinciæ dignissimo Præsidi dicare cõ-
stitui, quem satis constat profectas à natura do-
tes varia ac multiplici eruditione expoliuisse cu-
mulasseque, expolitas vero & cumulatas, repe-
titis virtutũ officiis, vniuerso regno Galliæ red-
didisse accommodatissimas. Ideo nemini re-
ctiùs quàm tibi hæc debetur, Princeps illustri-

sime, quem Deus iudicem operum meorū præ-
posuit. Quod me prius adeò benignè suscep-
ris, verendum esse non credidi, quin nostrum
hunc laborem sanè pusillum, eo nō suscipias a-
nimo hilari, & perbenigno, quo me ab illustris-
simo Principe fausto sene auunculo tuo pridē
missum suscepisti. Me non fugit in his oratoriæ
artis fucos seu apparatus desyderatum iri, curo-
sūmq; lectorem obiecturū quēdam ineptē pro-
nuntiata esse. Illi verò in mentē veniat, aposto-
lū multa fidei nostræ sacramenta non in doctis
humanę sapientiæ verbis scripsisse, vt apertè, lo-
quens faciliùs intelligeretur: Neq; antiquis pa-
tribus despectos fuisse eos qui ad bonā morum
institutionē, & vitiōrum euersionē multa rudi
calamo descriperūt. Hęc quisquis diligēter per-
penderit nostro huic stilo æquior, vt confido,
futurus iudex erit. Cæterū finem dicendi factu-
rus, hoc vnum à tua Maiestate Augustissima im-
petratū velim, vt non modò studiis nostris, ve-
rum etiam nobis faueas, quo ingrauescens ætas
nostra sub tua florenti iuuentute quiescat. Ego
verò tam excellens beneficiū pro modulo meo,
repensurus, Deum. Opt. Max. precabor, vt votis
tuis flatu secundo aspirare, suūmq; illis perpe-
tuum fauorem impertiri dignetur. Cuius cle-
mentia te nobis diutissimè firmum, & incolu-
mem conferuet.

IOANNIS DOCEI,

BENEDICTINI, IURIS

Pontificij Doctoris, necnon Lau-
dunensis Episcopi.

*Homelia feria quarta, quæ cinerum dicitur,
ex Euangelio Cùm ieiunatis.*

Matthæi Sexto.



P R I M I S dicamus cur
antiqui patres huic feriæ no-
men diei cinerũ imposuerunt.
Meo quidem iudicio ea ratio-
ne moti seu inducti fuere,
quòd in illo ex rebus diuino
cultui dicatis, religiosi cineres conficiuntur,
quos altaris minister, capitibus nostris impo-
nit, vnicuique dicens: Memento homo quia
pulis & cinis es, atque in puluerem & cine-
rem reuerteris. Vnde monemur cristas arrogã-
tis animi deprimere, atque reminisci, nostræ
carnis substantiam verè caducã esse, & in pro-
ximo perituram, denique vermibus & putre-
dini exponendam, vt de commissis excessibus
nostris iudicium & iustitiam faciamus. In quo
si ante diem mortis defecerimus, morientes in
peccatis, quia tempus miserendi præterierit ad

H O M E L I A

inferni nouissima descendemus. Quid ergo salubrius est? quid inquam religiosius præsentis ceremonia? Agite amantissimi nos pœnitentia hoc tempore acceptabili prioris vitæ turpiter actæ, & diuinam placare iram contendamus. Hæc pauca de institutione diei cinerū in præsentia sufficiēt, hodiernæ diei euangelium *Matt. 6.* bis loquatur, *Cum ieiunatis nolite fieri sicut hypocritæ tristes.* Fuerat à benignissimo Iesu percunctatum, cur discipuli eius non ieiunabant: & respondebat: Auféretur ab eis sponsus & ieiunabunt. Ideo tanquam egregius legislator, ieiuniorum obseruandorum formam illis præscripsit. Ex commemoratis subinferamus ieiunia illi multum placere, tametsi reclament homines, quorum deus venter est, & erit gloria eius in confusionem illorum. Nisi sanè ieiunia illi grata essent, nunquam ille instituisset quid ieiunantes aut agere aut vitare deberent. Nos ieiunemus ergo, & à cibis ecclesiæ decreto interdictis abstinemus, nec solùm vitia cômmittere caueamus, verumetiam de commissis pœnitentiam agamus. Cùm autem fermè per vniuersa corporis membra & animæ organa Deū offenderimus, æquum est vt ex vniuerso ieiunemus. Aliquid exempli gratia dicatur. Oculus mulierem ex carnali concupiscentia respiciens, & in legem peccati animam attrahens peccauit,

peccauit, itaque pœniteat, & à prospiciendis mulieribus sinistro intuitu abstineat. Itidē dicas de ore iniqua loquuto, de auribus maledicta audire gauisus, de manibus ad sanguinis effusionem paratissimis, de pedibus ad malum velocibus: vt paucis multa comprehendamus quotquot corporis membra vel animæ organa peccauerunt, ieiunare debent vt Deus eorum misereatur. Vnde apostolus: Sicut enim Rom. 6. exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatē, nūc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Quanti meriti est ieiunium quantūmue animis & corporibus curandis prodest, testatur mater ecclesia dicens: Corporali ieiunio vitia comprimis, mētem eleuas, virtutē elargiris, & per Iesum Christum dominum nostrum æternæ salutis præmia donantur. Quòd inanis gloriæ pestis tenerum ieiunij fructum suffocare soleat hanc viperam iugulare discipulos monuit Christus dicens, *Nolite fieri sicut hipocrite tristes.* Principiò aduertamus tristitiæ nebulam bifariò diuisam esse: vna fragili naturæ conceditur, alia autem vitioso affectui assignatur. Homo enim quadragesimali ieiunio longè attenuatus, non semper esse potest læto animo, quoniam ieiunium corporis vires deprimens, quandam secum tristitiam adfert, quàm multo

HOMELIA

fatius est ad tempus patienter ferre, quàm Dei
 mandato non parere. Cùm autem corpus pes-
 sima concupiscens in causa fuerit præterito-
 rum criminum, est ieiunio macerandum, vt
 nihil aut parum negotij & reluctationis spiri-
 tui faciat. Quanto enim caro nostra erit epulis
 obesior & vino meraci æstuantior, tanto ma-
 gis insaniet & spiritum à suo dominatu deiice-
 re attentabit. Itaque vt debitum spiritui obse-
 quium præstet, frangatur ieiunio & emacere-
 tur quadragesimali abstinentia. Indignabitur
 ipsa, verùm non magni refert illam contristari
 quæ nos in legem peccati toties pellexit. Ad
 aliam tristitiæ speciem quæ propria est hipo-
 critarum hominum veniamus, de qua sequi-
 tur: *Exterminant enim facies suas vt appareant
 hominibus ieiunantes.* Ipsi falsis & similibus im-
 posturis natiuum colorem immutabant, & ex
 pallore vultus se veros ieiunatotes infimula-
 bant, multa hominibus coram exhibētes, quæ
 videbantur præclara: qualia sunt Deo longas
 preces offerre, orando suspiria emittere, quan-
 do verò in animis eorum inerat inanis gloriæ
 cupido, quicquid in illis reluxit, Deo displicuit
 cordium illorum penetralia prospicien-
 ti, in quibus occulta erant scœdissima vitio-
 rum monstra. quos non solum hîc taxauit, ve-
 rumetiam alibi eos similes esse dealbatis mor-
 tuorum

tuorum sepulchris declarauit. Illa enim exter-
nè patent admodum magnifica, sed occultum
internè habent fœtorem, olfactu intolerabilè.
Modo fermè pari, hipocritæ homines sanctita-
tis formam exhibent, sed nihil est à vera san-
ctitate magis alienum illis: ideo Christus disci-
pulos monuit non tales fieri, quales illi erant,
atque idem salutaribus monitis nos docuit si-
multates animorum excutere, nostra quoque
ieiunia ad vitiorum compressionem exsoluere.
Cur in fauorem illius qui ieiunium instituit,
non ieiunaremus, scientes quòd primus cœpit
facere quod docuit? Nimirum quamprimùm
fuit in profluuio Iordani baptizatus desertum
petiit, in quo vltronea voluntate nostræ saluti
ieiunauit. Simultas hipocritarum hominum
fatis in aperto est sub his verbis. *Exterminat enim
facies suas vt appareant hominibus ieiunantes.* Qui
tantùm erant ieiunij simulatores, verum quid
dicere fuit receperunt mercedem suam, nisi ho-
mines eos commendarunt quibus placere in-
tendebant: neque aliam à Deo mercedem reci-
pient, pro cuius amore non ieiunarunt. Quot-
quot enim vires animi impendunt, vt applau-
sum populi captent, fructus operum suorum
coram Deo perdunt, & nobis ieiunantibus ho-
die, fortassis continget longè deterius eo quod
tristibus hypocritis euenit. Illi enim qualem-

cunq; ieiunij mercedem ab ore hominum receperunt, nos verò in ea incidimus tempora, in quibus seculi homines ieiunia derident, ideo non ieiunemus, aut facies nostras exterminemus, illis placere cupientes, quorum frequens ingenium est id improbare quod est omni laude dignum, & approbare, quod est indecens & vitiosum. Quotquot enim iudiciis eorum sese committunt, fatuis virginibus à domino repulsam passis conferri possunt: quibus à domino dicitur, Nescio vos. Itaque ieiunaturi non alio tendamus quàm ad Deum totius nostræ salutis auctorem. & sequentia obseruemus. *Tu autem cum ieiunas, unge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans.* Quærunt plurimi cur benignissimus Iesus eandem prosequutus sententiam, genus dicendi immutauit. Fuerat enim exordio præsentis euangelij plurali loquutione vsus dicens: Cum ieiunatis. Nunc autem in singulari numero ait: Tu autem cum ieiunas. Nos sanè certiores reddere voluit ieiunia ab hominibus multifariò celebrari, & vnicum esse, religiosum ac sibi gratum: vt de illis propter applausum populi ieiunantibus sileam. Sunt alij ieiunantes, quoniam ob bonorum inopiam id facere coacti sunt: rursus alij timentes fructuum terræ copiam sibi decrescere. Ieiunium istud antiqui patres indifferens esse sanxe-

sanxerunt, quoniam pro animi varietate, sine
 Dei offensa, aut seruari, aut prætermitti potest:
 Omnium pessimè ieiunant sua seruâtes, vt per-
 iurgia, lites & cõtroversias proximis noceant:
 quæ animi vitia imprimis corrigenda erant.
 Quos Esaias arguit dicens: In die ieiunij vestri *Esa. 55.*
 ad lites ducitur voluntas vestra. Paulopost se-
 quitur: Cùm ieiunauerint, preces eorum non
 exaudiam ait dominus. Cur eas non exaudiet
 nisi quòd ieiunium eorum sincero affectu ca-
 reat, cui etiam iuncta est magna animi peruer-
 sitas. Nobis ergo relinquatur vnicum ieiunium
 verè religiosum, modò fuerit ob diuini præce-
 pti honorem acceptum, & ad carnis macera-
 tionem obseruatum. Illud est quod regius pro-
 pheta obseruauit dicens: Humiliabam in ieu- *Psal. 34*
 nio animam meam, & oratio mea in sinu meo
 conuertetur. Quod est bonis operibus scilicet
 sanctissimis precibus & eleemosinis ornādum.
 Iuxta illud prophetæ Ioël: Sanctificate ieiuniū: *Ioël. 2.*
 & hæc sunt quæ sub his verbis occultantur.
Vnge caput tuum & faciem tuam lina. Mihi forsan
 dices, nihil videri posse turpius, quàm singulis
 diebus ieiuniorum, nostra oleo capita vngere,
 neq; istud iuxta rudem literæ sensum tibi præ-
 cipitur. Multa enim in sacris literis habentur,
 quæ non sunt obligatoria, sed pro locorum va-
 rietate intelligenda. Nobis exemplo sint hæc

verba: Vnge caput tuū. Est enim Palestina regio cuius Iudæa est portio, non modico solis ardore adusta, ad cuius temperamentum incolæ necessarium habent sua oleo capita vngere & hoc diebus potissimum festis faciunt. Con-

Luc. 7. suetudini regionis se accommodauit, mulier in
Matth. ciuitate peccatrix, super caput Iesu alabastrum
 26. vnguenti effundens, cuius odore tota domus repleta fuit. Ex istis eruere licet benignissimū Iesum voluisse ieiunantes monere, non secus lætos & alacres esse ac si festa celebrarent, aut uentrem suum exquisitissimis explerēt epulis.

2. Ad Hilarem enim datorem diligit. Sunt qui istud
Cor. 9. in sensu morali interpretatum volūt: & ex sententia Pauli dicunt benignissimum Iesum esse omnium nostrūm caput, quod per illos vngitur, qui eum sui ieiunij authorem constituunt, & virtutes eius miris laudibus efferunt, inter quos se continet velut homo spiritali iocunditate perfusus: per hominis faciem animam illius intelligunt, quam mundare decet, priusquam opera nostrorum criminum satisfactoria Deo placere valeant. Sicut enim corporis facies egregiè munda, est in oculis hominum gratiosa, similiter anima ab omni cōtagio peccati munda, est in conspectu Dei speciosa. Itaque amantissimi vt Deo grata sint nostra ieiunia, peccatorum sordes à nobis remoueamus, iuxta
 consilium

consilium Esayæ dicentis: Lauamini, mundi estote. Qui mentem suam planius expressit dicens: Auferte mala cogitationum vestrarum. Et alibi: Laua à malitia cor tuum, ut saluus fias. Sed inquiramus cur benignissimus Iesus caput nostrum sicut faciem lauare non præcepit. Sunt sub cortice verborum, latentia sacramenta impræsentiarum detegenda. Audiuimus benignissimum Iesum esse omnium nostrum caput, sicut peccatum non fecit, etiam lauare non indiguit. Nos verò inferiora eius corporis mystici membra quotidie peccamus: ideo pro offensis nostris emundandis, sacramentis ecclesiæ lauare indigemus. Quoniam ab humanis recedentes, nisi mundo corde fuerimus, ad supernæ beatitudinis gaudia non perueniemus. Neque eò peruenient, qui præsentī seculo sese conformant & operum suorum mercedem seu laudem ab hominibus quærunt: quibus dictum est, Ne videaris ab hominibus ieiunans. Verum ex istis videretur ieiunia nostra non esse coram hominibus celebranda. Cur ergo alibi habetur, *Matt. 5.* *Luc.* lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est? Monuit hinc tantum discipulos Christus ieiunare, siue homo sit præsens siue absens: & illis sufficere eum celebrati ieiunij testem habere, qui in cælis est, cuius lumine cun-



sta bona illustrantur. Et postquam fuerit ieiunij inspector, erit illius remunerator. Quem defraudare nemo potest, cum sit Deus scrutans corda & renes hominum, & prospiciens à longè cogitationes eorum. Sicut enim Esaias de eo prædixerat: Verè tu es Deus absconditus. Et regius propheta inquit: Ipse posuit tenebras latibulum suum, ita etiam hîc egregiè dictum est, *Et pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi, scilicet tui ieiunij mercedem.* Hoc nos sperare ab eo monuit angelus Daniele alloquutus dicens: Quo die proposuisti affligere cor tuum in cōspectu Dei exaudita fuit oratio tua. Merces ieiunij quam reddet nobis dominus, erit beatifica visio filij virginis, sedentis in gloria Dei patris. Iuxta illud Psalmistæ, *Ecce merces filij, fructus ventris Quem enim Deus pater in reconciliationis humanæ precium dedit, est eum pro præmio beatitudinis daturus.* Vnde Abrahamo dictum fuit: *Ero merces tua magna nimis.* Audientes (amantissimi) nostri ieiunij laborem tanta ac tali retributione pensari, considerare rogo quàm miseri sunt, qui vocem filij Dei ad pœnitentiæ opera eos vocantis audire, & corpora sua quadragesimali ieiunio macerare nolunt. Vnde hoc malum illis obtigit, nisi quòd corporis lautitias inordinatè diligunt, & in mundo delitari malunt, quàm

quàm Christum sequi dicentem: Qui non accipit crucem suam & sequitur me, non erit regno cœlestidignus. Nimirum si cœlestia bona mentibus eorum sufficienter hærent, visibilia inuisibilibus non præferrent. Ut huiusmodi inordinatos affectus exterminet ait illis, *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra vbi erugo & tinea demolitur, & vbi fures fodiunt & furantur.* Hæc audientes, superfluam diuitiarum sollicitudinẽ abiciamus amantissimi. Quotquot enim occupat, eos cœlestium obliuiosos bonorum reddit. Quid illis nocentiùs obtingere posset, quàm propter huiusmodi caduca breui peritura eorum obliuisci quæ æterna sunt & ad salutem animæ pertinet? Temporalia enim diu seruata parũ commodi suis custodibus conferunt, & nisi legitimè dispēntur, eos proclamant rerũ alienarũ usurpatores. His adde, quòd suos possessores fallunt: ad quid ipsi in arcã numariam pecuniarũ studiosi maximas opes reponunt, atque in illis cor suum apponunt, nisi quòd sperent se ex illis assequuturos & mentis tranquillitatem & corporis quietem? Sed falluntur frequentius omni die. Antequam enim ex diuitiis nimio labore acquisitis, capere fructum valeant, dies mortis sicut fur venit, & infirmitas grauior dolore mulieris partum suum emittētis eos occupat, atq; impedit, ne ex diui-

tiis fructū capiunt. Quando enim dicunt pax,
 pax, omnia nobis in tuto sūt, ab humanis exire
 coguntur: Hæc sunt aded̄ vulgaria, vt ampliori
 probatione non egeant. In quibus vel acqui-
 rendis vel conseruandis est labor maximus, cur
 non recordantur Apostolum dixisse, nos non
 habere hîc ciuitatem permanentē, & monuisse
 futuram appetere, ad quam breui velint nolint
 venient? Quoniam dies hominis breues sunt,
 & morientes nihil rerum temporalium trans-
 ferre secum poterunt? Quoniam quales ab vte-
 ro matris, scilicet nudi exierunt, tales in terram
 reuertentur. Quid ergo eos iuuat amplissimas
 opes in longos dies vel annos cōgregare? Præ-
 staret viam vniuersæ carnis pertransire instar
 hospitis vnius diei. Nisi superfluam diuitiarum
 sollicitudinem exuerint, illi similes erunt, cu-
 ius sapiens meminit dicens se vidisse malum
 frequens, scilicet concessas homini amplissi-
 mas opes, sed vsū illarum ei denegatū fuisse
 quas moriens alienis reliquit & eas extraneus
 homo vorabit. Mihi dicat homo diuitiarum
 studiosus quos labores ad eas sibi comparan-
 das non sustinuerit, quas miseras vel sollicitu-
 dines non susceperit vt eas semper augetet, &
 abundè auctas conseruaret? Esto partem illarū
 aut iure hæreditario, aut amicorum interuētū
 habuerit, eas tamen sine labore maximo nō ser-
 uabit:

uabit: & administratio illarum multoties do-
 lorem illi pariet. Quoniam triplici interitu esse
 desinunt, aut enim veterascūt, & ex seipsis qua-
 si ad nihilum deueniunt, aut frequenti vsu cō-
 sumuntur, aut dolo fœneratorum hominum
 à iustis possessoribus ad alios transferuntur. Si
 in auro, argento, & similibus metallis eas con-
 gregauerit, ærugo temporis progressu eas do-
 uorabit: si ex illis preciosa corporis & domus
 indumenta emerit quæ eruginem nesciūt, à ti-
 neis sine cura peruigili demolientur, & quod
 reliquum erit fures perquirent, & domos effo-
 dient vt furentur, tantum abest vt amplissimæ
 opes possint suos possessores beare. Vt ex sen-
 tentia Pauli, illis æternæ damnationis ansam *1. ad Ti*
 subministrent. Ait enim: Qui volunt diuites *mot. 6.*
 fieri, incidūt in varias tentationes & laqueum
 diaboli, Vnde Psalmista concludit, modicum *Psal. 36.*
 esse melius iusto, quàm peccatori diuitias mul-
 tas. Eiusdem sententiæ fuerunt antiqui patres,
 eos collaudātes qui pauca rura ad vitæ vsum
 necessaria excoluerunt, quô significarent in
 istis mediocria esse maximis præferenda. Idem
 nos docet status vitæ hominis: multò enim sa-
 lubrius est temperato vri cibo, quàm stoma-
 chū amplissimo onerare: quoniam sine graui
 molestia decoqui non posset. Mihi dices: Cū
 res ita se habeat, qui viribus corporis & doti-

bus animæ pollent, audientes interdictum esse
 amplissimas opes cōgregare, bonas horas otio
 dabunt. Ipsi aduertāt velim Christum non in-
 terdixisse thesauros cōgregare, sed voluisse eos
 non in terra: sed in cælo reponēdos esse. Vnde
 sequitur: *Theaurizate vobis thesauros in cælo vbi
 nec erugo neque tinea demolitur & vbi fures non fo-
 diunt nec furantur.* Itaque quas congregant opes
 nec prodigant, nec auarè conseruent. Et mo-
Luc. 12. neantur, parabola sequenti quæ est hominis in
 agro fructus vberes prospicientis, & intra se
 cogitantis, quid in autumnno faceret, cū lo-
 candis & conseruandis fructibus enatis, capa-
 cem locum non haberet, horrea sua destruere,
 & maiora ædificare proposuit, & ex fructibus
 collectis in tuto viuere & à consuetis laboribus
 paululum quiescere, intra se dicens, Bona ha-
 beo in multos annos, ex illis comedam & bibā
 lætus, pro voto animi: cui dominus ait, O stul-
 te hac nocte animam tuam à te repetam. Dic
 mihi cuius bona erunt quæ multis laboribus
 parasti? Non nihil parum dissimile Sapiens ex-
 pertus est, ait enim: Aurum, argentum & mul-
 tiplices substātijs regnorum & prouinciarum
 mihi coaceruauī, atq; ad leuandum animi tæ-
Eccles. 2 dium cantores & cantatrices mihi assistere feci,
 cyphos & vrceolos ad vina effundenda in mi-
 nisterio habui, omnibus delitijs filiorum ho-
 minum

minum vsus fui, & omnes qui ante me in Hierusalem vixerunt supergressus, nihil enim eorū quæ oculi mei desiderarunt eis denegavi. Copiam diuitiarum quas dominus Salomoni dedit audiui, & in quem vsum eas conuertit, nunc audiamus qualem exitum habuerunt, verè in scelicem, vt ipse testatur dicēs: Cùm me ad omnia vertissem, quæ fecerunt manus meæ, & labores considerassem, in quibus frustra infudauī, fui cōfusus quod in his omnibus nihil præter animi afflictionem inuenerim. Istis salutaribus exemplis monentur pecuniarum studiosi in diuitiis suis spem non collocare, iuxta doctrinā Psalmistæ dicentis: Diuitiæ si affluāt, *Psal. 61.* nolite cor apponere. Sensus carnis reclamabit, & contraria illis loquetur. Sed dicant rogo, cui maiorem adhibere fidem debent, an præmemoratis exemplis, testibus fidelissimis, an sensui carnis, vt plurimum erroneè iudicanti. Si sapientissimo Salomoni credere nolunt, saltem Christum audiant auaris diuitibus dicentem: *Luc. 6.* Væ vobis qui ex diuitiis consolationem habere speratis. Existimabunt forassis verbum illius exinanitum iri tam cito, quàm multa subito euanescent quæ homines ex leuitate animi ineptè loquuntur, verùm recordentur scriptum esse, cœlum & terram transire, & verbum *Mar. 13* domini manere in æternū. *Matth.* Sermoni verò quem *24.*

dixit Iesus non credere, quid aliud esset quàm
 à diuinis promissis recedere? Quotquot autem
 ab illis recedunt, mortem animæ incurrunt.
 Mihi dicant velim isti homines pecuniarū stu-
 diosi, si quē viderint, in fallacibus diuitiis cor-
 apponentem, talem ex operibus suis fœlicita-
 tem assequutum qualem omni die percipiunt
 viuentes modico contenti? Itaq; Christum au-
 dian, neque in terra, sed in cœlo suas opes re-
 ponant: non in illo quidem quod nobis proximi-
 mum est, de quo scriptura ait, Cœlum & terra
 peribunt, quoniam ipsi cum eo perirent sed in
 alio verè cœlesti, in quo Deus præsidet. De quo
 Psal. 113. Psalmista: Cœlū cœli domino, in eo cœlo cœ-
 lorum nomen eius collaudant & potentiam
 glorię eius loquitur, opes in illo repositæ in tu-
 to erunt, quia furari non poterunt. Certissimus
 omnium modus eas ibidem reponēdi, est pau-
 perum manibus transmittere. Forsan mihi di-
 ces, quæ manibus illorum committuntur sub
 fideli custodia non sunt, quoniam si pauperes
 pessimè vixerint ad inferni nouissima descen-
 dent, verùm tua non refert si pereant, cùm fi-
 deiussorem habeas prædiuitē in omnibus ver-
 bis fidelem qui tibi eas reddere in cœlo promi-
 sit. Ait enim Christus, Da pauperibus, & habe-
 bis thesaurū in cœlo, & sibi datum putat quod
 pauperibus elargitum fuit. Iuxta illud, Quod
 vni ex

Psal. 113.

Mat. 19

vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Ideo opes tuas pauperibus distribuere cura, vt thesaurum in cœlo habeas. Nisi enim eis aliquid contuleris iuxta vitæ terminum, cogitatio tibi inspirabit emigrandum esse vt recipias siue bonum siue malum, cùm à domino multa habueris, & nihil in cœlo reposueris, nihil pariter in eo inuenies, & sententiam eius, iræ, furoris, indignationis plenam audies, quam diuitibus huius seculi Iacobus pronuntiauit dicēs: *Iacob. 5.* Agite nunc miseri & plorate in miseris quæ vobis euenient. Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, vestimenta à tineis corrosa, aurum & argentum in vestræ damnationis testimonium æruginauit. Hęc audiat qui hæctenus ultra modum fuit diuitiarum studiosus, vt illi indulgeat Deus. Si rectè sapit, partem illarum pauperibus elargiatur, vt thesaurum in cœlo habeat. Quoniam scriptum est, *Vbi est thesaurus tuus ibi & cor tuum erit.* Aperta enim est domini sententia, Si homo in terra thesaurizare voluerit, in inferno qui in centro terræ est, sepelietur: cōtrà, si in cœlo thesaurizauerit, super cœlos cœlorum eleuatus gloria & honore decorabitur. Solet enim propensus amor cor hominis aut sursum aut deorsum attrahere. Ideo si cœlestia bona mentibus nostris inciderint, cum Christo sursum ascendemus, qui cum multo scœnore nobis restituet.

HOMELIA FER. V. I

quod pauperibus elargitum fuerit. Contrà, qui consilium illius seruare contempserint, ad inferni nouissima descendent.

Feria quinta post Cineres.

Matthæi Octauo.



*i. Ad
Corin. i.*

*V*M intrasset Iesus Capharnaum, accessit ad eum Centurio rogans eum. Sūt qui sapiētia, sunt qui miraculis ad fidem adduci volunt. Iuxta illud Pauli, Iudæi signa petunt & Græci sapientiam. Benissimus Iesus utrūmq; callens, voluit in salutem omnium utrōque vti. Postquàm enim in mōte discipulos docuit, in planiciem descendit, populo loquuturus, & ad suæ prædicationis robur, plurima edidit miracula, pergens in Capharnaum consistens non procul à stagno Genezareth in confinio Zabulon & Neptalim, quod Nazarenos non latuit, qui postea ei dixerunt: Audiuimus magna esse opera per te in Capharnaum ædita, eadem fac in patria tua. Nomen ciuitatis Capharnaum, ciuibus suis apprimè conueniens erat, interpretatur enim Locus consolationis. Et ciues continebat corporis delitias in optatis habentes, inter quos homo erat Centurio non carne Iudæus circūcisus, sed spiritu, tali ac tanto honore dignus vt
Christus

Christus in laudem ipsius dixerit, se tantā non inuenisse fidem in Israël. Erat cētum militibus Romanis præfectus, Vnde Centurio dictus. Romani enim suos exercitus in cohortes partiebantur, quas rursus in centurias diuidebant, qui centum militibus præfecti erāt, centuriones vocabantur. Itaque sicut erat & militum præses & Romanorum seruus, similiter ex vera fide est ad cœleste regnum electus, vt esset angelorum socius. Ex toto dissimilis erat militibus quinquagenariis Helix Dei prophetae irrisoribus, qui in criminis pœnam fuerunt igne cœlitus misso consumpti. Contigit autem huius Centurionis seruū morbo paralisis tam periculose vexari, vt penè de vita pariclitaretur: inde fuit Centurionis animus durè cruciatus. Illum enim ob fidem & morum integritatem magnificiebat. In confusionem Christi fidelium est, qui seruos infirmos alio non habent loco, quàm sua iumenta, boues & pecora, quibus Christus ait: Oportuit cōserui tui misereri, sicut *Mat. 18.* tui misertus sum. Itaq; si misericordiam à Deo consequi velint, infirmorum seruorum miserentur. Quod Paulus egregiè obseruauit dicēs: Quis inter vos infirmatur & ego nō infirmor? *2. Ad* Et eos monet Ecclesiasticus seruorum suorum *Cor. 10.* misereri inquit: Est tibi seruus fidelis, sit charus sicut anima tua, atque illum quasi fratrem *Eccle. 7.*

HOMELIA FER. V.

ad.Co-
lo.4.

tracta. Inquit enim Paulus: Domini quod iustum est & æquū seruis præstate. Et iterum. Remittite minas, scientes quòd illorum & vester dominus est in cælo. Quòd pauci fuerint huius Centurionis imitatores, ex eo cōiectari licet, quòd plurimi inueniuntur pro fratribus, filiis, & parētibus Christum precati, solus autem iste factus est domino supplex pro seruo infirmante, quem prospiciens morti proximum, & audiēs benignissimum Iesum è proximo in urbem venturum, Iudæorum seniores prudentissimè cōuenit, Perinde est ac si dicas populi magistratus aut senatores quos rogauit, benignissimum Iesum suis verbis conuenire ac precari, dignaretur ipse languenti seruo salutem cōferre, quod tantum de seruo ageretur, & preces interponere cōueniebat ad votū hominis æthnici. Vtcunque dubitarunt seniores, an istud impetrare possent, quod tamen facere promiserunt, & pro virili perfecerunt. Quod facilè ex eo perpenditur, quia orationem Christo pronunciarunt assentationibus plenam & verborum blanditiis ornatam, & eum magna animi sollicitudine rogarunt, rationem non habere, quòd Centurio esset homo æthnicus, quoniam alioqui erat tali beneficio dignus, quòd gētem Iudæorum supportaret, atque illis synagogam ædificasset. His omnibus ciuilitè admodū per
seniores

Luc.7.

seniores præmissis, cum Iesus Capharnaum intrasset, ad eum accessit Centurio, corpore, spiritu, mente, quem imitantur quotquot lege naturali rectè vtuntur, ea sedulò operantes, quæ per eam facienda esse noscunt, & multò propius ad Deum accedunt quàm multi intra ecclesiæ parietes inclusi. Quid parum simile habes de muliere sanguinis fluxum annos duodecim *Mat. 9.* passa, quæ fimbriam vestimèti Iesu tantum *Mar. 5.* tetigit, quem plures comprimebant, cuius tactus illi placuit. Vnde de illa ait, Quis me tetigit? Modo fermè pari, Centurio benignissimū Iesum multò fœlicius cõuenit quàm Iudæorum seniores prius suo nomine conuenerant, facti pro seruo illius supplices. Hæc audiant qui titulo adeptæ dignitatis vanè gloriãtur, non secus ac si essent aliis sanctiores, atq; sciãt honorem seculi neminem Deo commẽdare, sed humilem animum ei multum placere. Sequitur formula orationis, per Ceturionem corã Christo habitæ. Ait illi, *Domine puer meus iacet in domo paralyticus & malè torquetur.* Puerum, suum seruū vocauit, quem non minus ac si filius esset dilexit, atq; domino commẽdauit. Vnde in domo sua, eum infirmū retinuerat. Nec solùm morbo paralyticus vexari, verumetiam malè torqueri benignissimo Iesu intimaui, vt animum illius ad commiserationem magis commoueret. Erat

HOMELIA FER. V.

seruus puer iste officio omnium membrorum corporis destitutus, & maximo dolore vexatus, vt testatur Sanctus Lucas, referens eum ex ea infirmitate moriturum. Hæc audiens homo vel pius vel impius, apud semetipsum dicere posset, Non decuit sanctū Lucam scribere puerum ex ea infirmitate moriturum, quia subitò conualuit. Quinimo dicendū erat, ne nesciremus quòd ex ea mortuus esset, nisi ad votū Centurionis pro eo supplicantis, per Christū miraculosè saluus factus fuisset. Quidpiā simile de pio rege Ezechia habes, & secundum corporis dispositionē morti proximus erat cui propheta dixerat, *Dispone domui tuæ quia morieris & non viues, Se versus parietem flexit, vbertim plorans, dominū precatus vt conualesceret, & contigit occulto diuinæ conuersationis iudicio, omnia prudenter moderante, eū quindecim annorū vitæ prolongationem impetrasse. Quod ergo Centurio fuerit Christo filius, & supplex pro seruo factus, cui & morbum & dolorem illius articulatim expressit, omnia in providentiam illius reponēs, in causa fuit vt Christus ei responderit: *Ego veniam ei curabo eum,* Hæc sunt verba omniū optima, quæ Christus illi dicere potuisset: quibus & sui corporis præsentiam, & morbi curationem promisit. Nimirum duo in se cōcludunt maximè admiranda: scilicet*

Esa. 38.

scilicet humilem animum Christi, quo se tantum deiecit, ut seruum lāguore infirmitatis penè mortuum, sua præsentia dignum iudicaret, dicens: *Ego veniam*. Alterum est sublimitas potentia illius, qui solo verbo sponte prolato, infirmitatem à seruo moriēte propulsauit. Inquiramus verò cur ipse à regulo obnixè rogatus, domum illius adire distulit filium curaturus, *Ioan. 4.* nunc verò non rogatus ad domum Cēturionis pro seruo supplicatis se & venturum & curaturum eum pollicitus est. Sicut ipse in mundum *1. Ad* veniens infirma elegit, fortia & superba pude- *Corin. 1.* facturus, etiam ne diuitias honorare videretur, preces reguli nō exaudiuit, pariter ne seruilem conditionem contemptui habere crederetur, iturum ad domum Cēturionis se obtulit. Quo salutari hortamēto, eos qui in statu hominum honores & diuitias multò plus quàm optimas animi dotes admirantur, ac suspiciunt reprehensibiles constituit. Forfan mihi dicet quispiam, diuersa esse promittere & promissum tenere, & sicut Christus promisit, sic etiam promissum non tenuit: Aduertat velim sponsionem illius ex magna animi beneuolentia factā fuisse, atq; huiusmodi considerationē habuisse tacitò inclusam, si opus fuerit, & magister domus id fieri non detrectarit. Centurio autē domum suam præsentia Christi indignam iudi-

HOMELIA FER. V.

cavit, respondens illi, *Non sum dignus vt intres sub tectum meum.* Quare Christus adire illam distulit, præsens Centurionis responsio ex profunda humilitate prodiens causa fuit paucissimis eiusdem officij hominibus communius. Nempe arrogantia cordis militum tanta esse solet, vt qui vix habent vnde vnicum nutrire feruum possint, tanti se aestimant vt velint coram se omne genu hominum flecti. Animi modestia qua se contuberrimo Christi indignum putauit est multum commendabilis. Et proponitur imitandus non solum militiæ ducibus, verum etiam ecclesiæ præsidibus. Eos enim Christus diligit qui arrogantis animi cristas deprimunt, & in cõspectu suo se maximos peccatores agnoscunt, atq; gratia illius indignos iudicant: Quod enim Ceturio sese submissius gessit, tantò Christus eum altiùs promouit: & ad preces illius feruum languentem curauit. Ipse enim est qui suscitatur de terra inopem, & de stercore erigit pauperem, atq; eum sedere cum principibus & gloriæ solium tenere facit. Nò existimo scire aliam viam accedendi ad Christum commodiorem profunda humilitate. Sicut ipse est excelsior cunctis factus, etiam humilia respicit in cælo & in terra. Sicut inquam superbis resistit, ita humilibus gratiam confert. Hoc probè nouit beata virgo Maria, Dei genitrix, quæ erat virtutum

Psal. 112.

Iaco. 4.

virtutum plenissima, quas omnes prætermisit, & tantum suæ humilitatis meminit, dicens se domino placuisse quia respexit humilitatē ancillæ suæ, ex qua per singulas generationes prædicatur beata & scælix, Quare Centurio iste tantò commédator fuit coram Christo humiliatus, quantò maiestas Christi eo tempore minus reuerbatur. Cur inquam se indignum contubernio Christi iudicauit, nisi quòd cum nouerit Dauidica stirpe satum, & prophetam omni ex parte absolutissimum deniq; altissimi filiū? Ipse verò gentilitios mores sequutus fuerat, & vitam æthnicā huc vsq; duxerat, ideo illi dicere debuit: Nō sum dignus vt intres sub tectum meū, hæc verba verè humilia proferre non potuisset, nisi quædam diuina inspiratio mentem illius illustrasset, & penetralia sui cordis igne diuini amoris inflammasset: quo inspirante factum est, vt qui fuerat homo subausterus, & gladio militari accinctus, atque sanguinē fundere paratus, se in conspectu Christi hominem abiectissimum existimarit. Sed quo se contubernio illius indigniorem iudicauit, eo meruit magis eum suscipere, non in sua domo manufacta, sed intra sui cordis hospitium. Amantissimi, humilitatem huius Centurionis imitari studeamus, & salutaria verba, quæ ex pio corde & sincera fide loquutus est proferamus: omniū.

Luc. I.

HOMELIA FER. V.

maximè accedentes ad sacratum panem hostiæ salutaris, vt à Christo exaudiri mereamur.

Quid verò fuit dicere, *Sed tantum dic verbo & sanabitur puer meus*, nisi id ipsum vtpote intelligo fatis, maiestatem tibi competere omnium supremam, ideo opus non esse languenti seruo ad salutis consecutionem tua personali presentia, sed solo verbo seu imperio. Etiam de seruo tantum agitur. Quare est quid multò leuius, quàm vt per te peragi debeat. Ex seipso coniecturam fecit non mediocrem subsequens verbis comparatiuis inclusam, ait enim: *Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic vade, & vadit. Et alij venit: & seruo meo fac hoc, & facit.* Ac si planius diceret, Scio me à te tantum distare quantum creatura à creatore distat. Nempe homo sum, tu Deus hominum creator, sub potestate alterius artem militiæ exerceo, tu omnibus dominaris: habeo milites, sed paucos, iussis meis parètes, tibi sanè omnes chori angelorum obsequuntur. De quo scriptum est: *Millia millium ministrant illi, & decies centena millia eius aspectui assistunt.* Cùm sis tantus vt loco terminari, includi, vel excludi non possis, istud te cuius angelorum vel hominum committere decet, & quidquid iusseris factum puto. Multa sanè mei officij occurrunt, quæ militibus

vel

Dan. 7.

vel seruis per me committuntur, quæ solici-
 tē & diligenter peragunt, cū autem mea ius-
 sio tantum authoritatis penes illos habeat, tua
 multò plus ad angelos vel homines. Quare,
 credo quòd per angelorum missiones, vel tuo-
 rum ministeria discipulorum, ex simplici ver-
 bo cum virtute occulta peragetur præsens ne-
 gotium. Itaque dic verbo & sanabitur puer
 meus. Centurio hæc referens non inaniter de
 promptissima militum Romanorum obedien-
 tia gloriabatur, Ipsi sanè vt milites suos in of-
 ficio continerent, seueram nimis iustitiam
 in rebelles exercuerunt. Nobis exemplo sit vel
 Posthumius, vel Manlius Torquatus. Vtérque
 filium habuit, qui in hostes scèliciter pugna-
 uerat, cæterum quòd militiæ edicta non ser-
 uarint capita eorum fuere decreto parentum
 securibus scissa. Quibus exemplis omnium
 tristissimis, militiæ exercitus duces, milites
 suis iussis parentes continuerunt. Vnde Scipio
 Affricam expugnaturus, victoriam consequi
 non sperauit alia re efficaciori, quàm militum
 suorum obedientia. Interrogatus enim qua
 de causa classem in Affricos educere pararet,
 militum obedientiam collaudauit: digi-
 to monstrans ter centum homines armatos
 ac dicens: Nemo est illorum, si iussero qui
 ab auditu oris, ad huius turris summitatem

HOMELIA FER. V.

non ascendat, semetipsum in mare precipitaturus. Commendabilis fuit tāta militum Romanorum obedientia, qui ad iussum vnus imperatoris voluerint, non modò huc & illuc moueri, verùm etiam in præsentaneum mortis periculum seipsum coniicere. Sed maiori laude digna est industria imperatoris eorum. Amantissimi hæc audientes nos qui in verba imperatoris nostri Iesuchristi fidem dedimus, quicquid per se vel suos iusserit faciamus. Christus ea audiens, quæ Centurio dixerat admiratus est, & sequentibus se ait: *Non inueni tantam fidem in Israël.* Mihi considera quod aurum, argentum, diuitias huius seculi, non est admiratus Christus: sed fidem hominis æthnici: nempe hæc omnia in conspectu eius non secus vilia quàm deficiens umbra, vel flos agri decidens, sed fides hominis immortalitatem gignit, & in Cæturione tanta fuit, vt fides Iudæorum illi comparata, fuerit ferme visa infidelitas. Forsan mihi dices, Christus admirari nõ debuit, cùm admiratio in intellectu hominis formetur ex subitanea imaginatione emergentis casus insoliti & nullatenus præuisi: ipse verò vt Deus, est rerum omnium præteritarum præsentium & futurarum præsciens, & iuxta hominis naturam in instanti suæ creationis, ex beatifica visione in verbo diuino nouit omnia præterita præsentia & futura.

futura. Item est omnium cœlestium donorum munificus largitor, qui Centurioni domum fidei contulit. Itaq; videretur enim ob fidem illius mirari non debuisse. Ad ista dicere solent antiqui patres, admirationem eius ad externos gestus corporis referendam esse: quoniam in præsentia assistentium, non aliter se continuit, quàm quispiam homo longè admiratus seipsum continuisset. Volebat sanè illos secum fidem Cœturionis admirari, & eam collaudare. Quoties enim in sacris literis quidpiam simile de Christo prædicari audiemus, credere caueamus eum huc vel illuc impulsus ex rerum nouitate. Quæ enim esse in nobis solent animi verè perturbati signa, in eo erant: vt eximiū aliquid nos doceret. Iudæos enim vel ad fidem adducere cupiebat, vel nisi crederent, reddere ex fide huius Centurionis inexcusabiles, qui in finali iudicio, aduersus illos & omnes incredulos cõsurget, qui nomen domini nouerunt, & sacerdotum collegia seu monasteria, ad doctrinam fidei nostræ stabilendam antiquitùs probè instituta demoliti sunt, instrumenta, redditus eorū subriperūt, & ad propria commoda transtulerunt, causantes ecclesiæ ministros iuxta status decentiam non viuere. Concedatur eis, gratia exempli, nonnullos eorum nequiter & impiè viuere: an consequens est, ipsos res semel Deo

HOMELIA FER. V.

sacras ad prophanos vsus conuertere debere? Nihil minus, si noluit, quemadmodum Centurio aliquid de suo dare, saltem quod antea datum est non auferant: sed conseruent, vt ecclesie status multò commodiùs administrari possit. Dum enim ipsi, fures vel agrorum depopulatores, miris iudicant afficiendos tormentis, in seipsos sententiam proferunt, cum sint bonorum ecclesie deuastatores. Nempe tormentis omnium grauissimis illos affligunt, qui paucos subriperunt nummulos, interim verò ipsi monasteriorum redditus, in prophanos vsus, vel vt rectiùs loquar, in abusus maximos conuertunt. Ea enim subripere, quid aliud est, quàm via nimis peruersa, ecclesie ministros reddere famelicos, & ad famem adigere? Insuper adollescentes vestigiorum Christi sequaces, à semitis mandatorum illius auertere? vel (vt ita loquar) eorum guttura, qui se & sua & Deo vouerunt strangulare? Nisi in finali iudicio, per Cēturionem iudicari velint, ab illicitis ausibus abstineant. Ipse ex propriis facultatibus synagogam Iudæis ædificauit, tantùm abest vt bona illorum subriperit. In quo ita domino placuit vt in laudem illius pronūtiauit, se non inuenisse tantam fidem in Israël: Oppones dicēs: Fides gloriosæ virginis Mariæ Dei genitricis, visa fuit lógè maior, quæ angelo diuini, partus

incar-

incarnationem nuntianti, consensum præbuit
 dicens: Ecce ancilla domini, fiat mihi secundum *Luc. 1.*
 verbum tuum: Vel sancti Ioānis baptistæ, quo
 nemo maior surrexit, inter natos mulierum: *Mat. 11.*
 vel sancti Ioseph, per Gabrielem archāgelum,
 de arcanis cœlestibus Christi incarnationem
 cōcernentibus plenissimè edocti: seu sancti Si-
 meonis, qui spiritus sancti gratia præuentus,
 venit in templum, & inter vlnas suas benignis- *Luc. 2.*
 simum Iesum complectens, illum declaravit
 lumen cœlitus missum, ad reuelationem Gen-
 tium, & gloriam plebis Israëliticæ. Ut paucis
 multos comprehendam, saltem Christi disci-
 puli, tantum fidei habuerunt quātum Centu-
 rio iste, quos Christus amicos vocauit, ea quæ *Ioan. 15.*
 cūque à patre suo audiuit nota illis fecit. Ad
 quid ergo Christus ait se tantam fidem in po-
 pulo Israël non inuenisse? In sacris literis
 consuetum est, pusillum virorum numerum,
 sub alio longè maiori comprehendi: pauci
 autem admodum ex populo Israël Christo fi-
 si sunt: Sed Gentium tanta multitudo in eum
 credidit, vt ex sententia Ioannis in Apoca-
 lypsi, nemo illam dinumerare posset. Quod *Apoc. 7.*
 autem Centurio Gentilem populum adum-
 braret, de eo egregiè dictum est Christum
 non inuenisse tantam fidem in Israël. His ad-
 de, oportuisse Iudæos miraculis multiplicibus

HOMELIA FER. V.

ad fidem adducere, & adhuc plurimi imperfe-
ctè crediderunt. De quibus legitur, quòd multi
Ioan. 6. à discipulatu Christi recesserunt: Aliquot exē-
Matt. 5. pla de illis referamus, imprimis Iayrus archisy-
Luc. 8. nagogus Christum esse ubiq; omnipotentem
 non credidit: aliàs enim precatus non fuisset
Ioan. 19. iter suum accelerare, priusquàm filia sua more-
 retur. Nicodemus legisdoctòr ad Iesum nocte
 veniens, sacramentum diuinæ regenerationis
Ioan. 11. capere nō potuit, aliàs non dixisset: Quomodo
 possunt hæc fieri? Et Maria & Martha soror il-
 lius, fratris Lazari suscitationem non sperarūt,
 donec Christus ait: Si credideris, gloriam resur-
 rectionis videbis. Ad Christi discipulos venia-
 mus. Andreas credidit, sed fuit inductus, Ioan-
Ioan. 1. nem de Christo dicere audiēs, Ecce agnus Dei
 qui tollit peccata mūdi. Ipse Petrum ad fidem
 adduxit dicens, illi: inuenimus Messiam. Euo-
 lutis antea Veteris testamenti scripturis Philip-
 pus credidit Christum esse Messiam à lege &
 prophetis promissum. Nathanaël fuit cū mi-
 raculo, tum Philippi prædicatione Christo per
 fidem iunctus. Adhuc plurimi in Christū cre-
 dentes, in multis vacillarunt: Vt constarent in
 fide, miracula multiplicari oportuit. Vnde le-
Ioan. 3. gitur: Qui non iam crediderant, viso aquæ in
 vinum cōuersæ miraculo, credidisse. Centurio
 autem cuius euangelista meminit, homo erat

incircuncisus, neque fuerat per legem aut prophetas de vero Messia certior factus, Christum prædicare, aut miracula facere non viderat, & in eum tanquam verus Israëlita credidit, concupiscens particeps fieri promissionū non carnalium, sed spiritualium: vera fide plenus, cum summa humilitate nec minori deuotione ad Christum accessit. Propter commemorata, decuit Christum fidem illius cōmendare, vt mūdo persuasum esset, antiquata lege Mosis, esse ad naturalē Dei filium & totius salutis auctore cōfugiendum, à quo vno tota salus hominum pendet. Quod Christus miris laudibus ornarit Cēturionē, meruit enim præ omnibus è populo Israël laudari: nam si rusticus homo non nihil disertè loquutus fuerit, magis certè cōmendabitur quàm si philosophus id ipsum loquutus fuisset. Cū autem Centurio esset ethnici & fuerit prudentissimè loquutus, sic vt nemo melius, his denique Christus non solū fidem illius commendauit, verū etiam occasione hinc sumpta sequentibus ait: *Dico autem vobis, quòd multi ab oriente & occidente veniēt, & recumbent cum Abraham, Isaac & Iacob in regno calorum: filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium.* Istud fuerat per regiū prophetam pronunciatum, scilicet gentes cuiuslibet nationis, ad fidem Christi venturas.

HOMELIA FER. V.

- Psal.* 85. Iuxta illud, Omnes gentes quascūque fecisti, venient & adorabunt coram te, vt sit laus tua à
Psal. 112. solis ortu vsq; ad occasum, & nomen tuum lau-
Esa. 42. dabile vsq; ad extremos fines terræ. Nō defunt istud modo sequenti mysticè interpretantes ac dicentes eos à parte orientali ad Christum accedere, qui à teneris annis seculum relinquentes, se & sua Christo dedunt: alij verò ab occidentali parte veniunt, qui in senecta vberi, ad illum conuertuntur. Sunt rursus qui rebus aduersis contracti ad illum confugiunt, & quasi
Psal. 91. ab Aquilone veniunt. Qui autem ad melioris vitæ studia inardescūt, ex ampla beneficiorum Dei largitate, à meridie veniunt. Deus enim varij generis homines ad meliorem mentem in omniæ tate quasi gradibus variis permouet atque attrahit, vt tandem fœliciter quiescāt cum Abraham, Isaac & Iacob. Parum enim illis prodesset ad fidem accessisse, nisi in illa vsq; in finē quiescerent. Quisquis enim ab ea recedit, mortem omnium pessimam incurrit. Istos tres sanctissimos patriarchas specialius nominauit, q̄ summæ trinitatis imaginem referant. Nonne
Ioan. 8. Abrahamus dictus fuit pater Hebræorū ex fide
Rom. 4. nominis ampliacionem assequutus? Abraham
Galat. 3. dictus id est pater multarū gentium, seu omnium piè credentium, vnicum genuit naturalem filium, sibi vsq; ad mortem morigerum,
à quo

à quo prodiit Iacob, qui somniorum reuelator *Gene. 25*
 fuit: & morti vicinus quæcūq; filiis suis ven-
 tura erant prophetauit. Quemadmodum fuit *Gen. 49*
 Abrahamus pater multarum gētium, ita Deus *Rom. 4.*
 pater est creator omnium. Ille vnicum habuit
 filium, & pater, benignissimū Iesum, naturalē
 filium. Isaac sacrificij lignū super humeros por- *Gen. 22*
 tauit, & Christus crucem super suos baiulauit.
 In quo benedicuntur omnes gentes. Sicut ab
 Abrahamo & Isaac genus duxit Iacob, ita à pa-
 tre & filio spiritus sanctus procedit. Quid ergo
 aliud fuit dicere quiescant cum Abraham Isaac
 & Iacob, nisi visione beatifica sanctissimæ tri-
 nitatis fruantur in regno cœlesti, per terrā lacte
 & melle manantem adumbrato, quæ fuerat Is- *Ecl. 48*
 raelitis promissa? ideo dicti sunt filij regni. Cur
 ab illo deiecti fuere nisi quòd se præstiterint di-
 uinis promissis prorsus indignos, neque Deum
 vnum in substantia, & trinum in personis qua
 decuit reuerentiā coluerūt? sed vnicum & na- *Mat. 21*
 turalem filium eius extra vineam paternæ hæ-
 reditatis eiecerunt, quem esse legitimum hære-
 dem non ignorarūt. Dicentes de eo: hic est hæ-
 res, occidatur, nolumus enim eum regnare su- *Luc. 19.*
 per nos. De quibus per Esayam cōqueritur do-
 minus dicens: Filios enutriui & exaltaui, ipsi *Esa. 1.*
 autem spreuerunt me. Quòd illum reiecerint
 per quem legitimi hæredes instituti fuerant:

HOMELIA FER. V.

hodie vocantur filij regni multò magis appellatione quàm re ipsa, vocatione quàm cõsecutione, hominum iudicio quàm veritate. Cõtrà missi sunt in tenebras exteriores: quòd ex vitio perfidiæ tenebras interiores habuerint, quibus possunt rectius conferri quàm filiis viperarum, qui nascendo matris vterum rumpunt? & ipsi illum qui eos viuificare venerat occiderunt. In tanti criminis pœnã, ad inferni nouissima descenderunt, vbi semper erit fletus & stridor dētium. Per hæc duo, pœna damnatorum hominum metaphoricè descripta est. Solent enim oculi hominum fumo perfusi, ex dolore acerbissimo lachrymas emittere, & dētium stridor ex nimio frigore totum corpus cõmouere: quia duo contraria ex diametro, scilicet frigus & calor simul stare nequeant. Quoties enim inuicem cõcurrunt, dolores acerbissimos commouent. Ideo de pœna damnatorum metaphoricè dictum fuit, ibi erit fletus & stridor dentium. Quidpiã simile de illis prædixerat beatus Iob, scilicet ab aquis niuium transibunt ad calorem nimium. Ne assistentes crederent huiusmodi verba æternæ dånationis comminatoria, fuisse in vanum prolata, in robur illorum Christus filium Centurionis simplici verbo curauit, dicens illi, *Vade & sicut credidisti, fiat tibi: & sanatus est puer ex illa hora.* Audientes amatissimi ad preces

preces & ob fidem, illius seruum salutem cōsequutum, credamus vocationem militum Deo placere & legitimam esse, verum à rebus ipsis periculosa est, in qua tamen seruari poterunt, modò viuant suis stipendiis contenti, & pietatem super omnia colant, atque varia scelerū genera committere caueant. Quòd iste innocenter ac iustè vixerit, suo quidē modo, fides eius benignissimo Iesu arrisit, ideo seruum eius sanitati restituit: Sicut ipse domino placuit, etiā complures eiusdem ordinis illi placuerunt, ex quibus paucos referamus. Primū illi placuit alius Centurio, qui tempore passionis viso terramotu & his quæ fiebāt, de Christo ait, Verè filius Dei erat iste: iterum alius qui fuit vir religiosus, timens Deum, & vidit angelum dicentem sibi: Accerse Simonem qui cognominatur Petrus: hic dicet tibi, quid te ad assequendum animæ salutem facere oporteat, Commédatur & alius Centurio, qui ab infano furore plebis Iudæorum Paulum eripuit, atq; Romam transfmisit. Quotquot enim Deo fidunt, illi placent, modò fides illorum non sit otiosa, sed sanctis operibus ornata. Quantum propria vniciūque nostrū prodesse poterit fides, satis ex eo dignoscitur, quòd aliena languenti seruo tantū profuerit, vt eum à paralyfi Christus liberarit. Veruntamen totius operis laudem sola fides non

*Luc.3.**Mat.27**Mar.15.**Luc.25.**Act. 10.**Act.27.**Iacob.2.*

HOMELIA FER. VI.

meruit, sed partem cōmeruerūt comites illius, scilicet commendabilis diligētia Centurionis per seniores populi Christum pro seruo supplicātis, humilis animus ipsius quo ad Christum accessit, languentis serui commiseratio magna, & salutaris professio, qua se indignū iudicauit cuius domū Christus adiret. Ex his omnibus Dei gratia adiuuante tantum domino placuit Centurio, vt seruum infirmantem curari per Christum obtinuerit.

Homelia feria sexta post Cineres.

Matthæi Quinto & Sexto.



*V*distinguis quia dictum est antiquis, diliges proximum tuum & odio habebis inimicum tuum. Sūt qui istud vocabulum, antiquis recipere nolunt, alij verò facillimè admittunt. Parum refert ad fidei pietatem vtra opinio præualeat, cū nihil ex substantia euangelij immutetur: sed caueant, ipsi contendēres inanibus verbis pusillorum conscientias lædere. Scientes ex doctrina Christi præstare molam asinariam suspēdi in colla ipsorum vt demergantur in profundum maris, quàm paruulos in fide scandalizari. Mea quidē sententia, consultò faciēt: si enim omnibus pacificè viuant, & cuiuslibet loci in quo erunt
consue-

consuetudinem seruēt. Sicut conueniūt omnes proximum esse diligendum, cū sit vnus ex duobus præceptis, ex quibus pendet lex, pendet & propheta, ita non consentiunt quis sub nomine proximi sit comprehensus. Quoniam nonnulli credunt quemlibet rationis capacem sub eo nomine comprehendi: sed conquerūtur de grauitate legis id ipsum instituentis, quam asserunt valde onerosam esse. Alij verò sub nomine proximi, vel conciuem: meritissimū, vel parentem in gradu proximo constitutum tantum esse inclusum autumant. Mihi videtur quicquid dicant, Christū nihil noui circa dilectionis præceptū instituisse: sed vetus mandatū penè antiquatum renouasse. Videri potest verborum phrasis aliquantulum noua, sed omnis substantia verborum est planè vetus nec solū fuerat sub lege Moyſis inclusa, sed ex lege naturali mentibus nostris diuinitus impressa. Insuper errarunt qui extraneum hominem sub nomine proximi comprehendere voluerūt & in hunc errorem fortassis prolapsi sunt, atq; præcepto mutæ dilectionis falso addiderunt, inimicum odio habendum: quod in sacris literis legerint, Deū Iacob dilexisse, & Esau odio habuisse. Rursus eum populo suo dixisse, Si vocem meam audieris & ea feceris quæ loquor tibi, inimicus ero inimicis tuis, & te affligentes af-

Matt. 7.

Rom. 13.

Mala. 1.

Rom. 9.

Exo. 23.

HOMELIA FER. VI.

fligam. Insuper prophetam Dauid de inimicis
Pfal. 138 suis dixisse, Perfecto odio oderam illos, inimici
Psa. 108 facti sunt mihi. Rursus ait, Fiat mensa eorū de-
 ferta coram ipsis, sit in laqueum, ruinam & scā-
 dalum, conturbentur vehementer omnes, cō-
Pfal. 69 fundantur & pereant qui volunt mihi mala, &
Pfal. 39. ferant confusionem suam. Paulum quoq; iussu
 sacerdotis à ministro percussum, pariter respō-
Act. 23. disse, percutiat te Deus paries dealbate. Verūm
 in istis fallebantur miseri. Patens enim est scri-
 ptura dicens, Deum omnia quæ sunt in cœlo &
 in terra creasse & nihil eorū quæ fecerat, odio
Sap. 11. habuisse. De quo legitur: Nihil odisti domine
Gen. 1. eorum quæ fecisti. Vidit enim cuncta quæ fe-
 cerat esse valde bona. Ergo ea odio haberi in-
 dignum esset. Quòd sub nomine proximi cō-
 prehensus sit homo inimicus etiam nocentis-
 simus & in necessitate iuuandus, ex eo digno-
Exo. 23. scitur, quoniam in Exodo præceptum fuit suc-
 currere boui vel asino hominis inimici si erra-
 uerit, & si in foueam ceciderit, illum à periculo
 liberare. Quid manifestiùs de inimico necessi-
 tatem patiente iuuando dici possit? Si in bonis
 suis, quanto magis in persona iuuandus est?
Mat. 18. Itaque præceptum fraternæ dilectionis, omnes
 rationis capaces in se includit, vt ex sancta cō-
 municatione efficiamur omnes beatitudinis
 participes. Itaq; illud ad omnes referamus, in-
 iuriarum

iuriarum obliuiscamur, peccātibus in nos fratribus offensas remittamus, ab omnibus quæ proximi etiam nocentis animum exacerbare, & ab officio charitatis euocare possent abstinemus: Quoniam non sufficit nos inimicorum tenus diligere, vel nihil mali velle illi inferre, aut eum sinere res suas ut velit agere. Ultra enim progrediendum est, quia ad virtutis complementum, necesse habemus illū iuuare si ope nostra indigerit. Ait enim scriptura, Si enim *Rom. 12* inimicus tuus esurierit ciba eum, si sitiuerit da ei bibere: hoc enim faciēs, prunas congeres super caput eius, & dominus reddet tibi. Quid aliud est prunas cōgerere super caput eius, nisi illum bonis nostris iuuare? Ut postquam fuerit magnitudine beneficiorum adiutus, interno mœrore contractus à malis resipiscat. Hi sunt carbonēs igniti improbos mores hominū comburentes. Ex istis consequitur, ad huius præcepti implementum non sufficere habere simplicem amoris affectum, verū diligendus est meritoria charitate: in eo fundata quod Christus ait: Dilige proximum tuum sicut teipsum, & *Mat. 22* illi ea impende quæ tibi in necessitate cōstituto fieri velis. Nonne si inter nos & alium nescio quem cōtracta esset inimicitia, cuius opera indigeremus, vellemus eum deploratis rebus nostris suppetias dare? Relinquitur ergo abunde

HOMELIA FER. VI.

probatum teste nostro naturali ingenio, inimicum bonis nostris, consilio & opere iuandum esse. Ad intelligētiam eorum quæ obiecta fuerunt dicamus cum Paulo aliquid habitare

Rom. 7. in nobis, hoc est in carne nostra, quod bonum

Genes. 3. non est, neque fuit à Deo creatum, sed à diabolo inuentum, & primo parenti nostro suggestum atque persuasum, quod est odio habendum. Iudæi verò in naturam hominis ad imaginem Dei factam animi rancorem referebant: Huius erroris Christus eos redarguit dicens:

1. Cor. 15 *Diligite inimicos vestros.* Verū est colloquia praua bonos mores hominū corrumpere. Idololatræ autem, seu æthnici homines, modis omnibus Iudæis obsistebant, ne diuinis iussionibus obsequerētur. Ideo inire cōnubia cum illis Christus prohibuit, atq; colloquia eorum vitare cōsultuit. Pariter quòd agros Iudæorum fructibus vberes spoliarent, & castrorum mœnia vel munitiones expugnarēt armis, illos debellare præcepit. Quòd regius propheta plurimas increpationes contra suos persecutores denuntiarit, non eas optādo sed futura incōmoda prophetaando enarravit. Videns autem benignissimus Iesus errorem ipsum de odio inimicorū esse penes Iudæos non modò inueteratū, verūm adeò familiarē, vt eos fermè totos occuparet, ait illis:

Ego autem dico vobis diligite inimicos vestros, benefacite his

cite his qui oderunt vos. Et orate pro persequentibus & calumniantibus vos. Ad quid facta est tanta verborum multiplicatio, nisi quòd velit nos ex sincero affectu & amore candido inimicos diligere? Cùm ipse quãdo adhuc inimici eramus, nos tantùm dilexerit, vt nostri causa homo fieri dignatus sit. Est à nobis super omnia diligendus, quo illi reciproca dilectione respondeamus, inimicos diligamus. Præcipit enim lex sanctissimæ dilectionis, vt quicquid vnus amicorũ diligit id ipsum ab alio diligatur. Nos autem ignorare vel in dubiũ reuocare non possumus, quin Deus quos habemus inimicos diligat, qui pro eorũ salute vnicũ filium morti crucis exposuit. Itaq; licet nostris foelicibus auspiciis sinistra ominati sint, & adhuc aduersentur nobis, & malè velint, sunt (vt illi complaceamus) diligendi, & improbi eorum mores, ad tempus patienti animo sufferendi. Erunt enim nobis nõ minus vtiles intimis familiaribus nostris. Quoniam ipsi ex tollerẽtia malorum nos reddent meliores, & animarum nostrarũ tranquillos possessoris faciẽt. Quid videtur rebellius substantia ferri? vbi tamen ipsa fuerit limis & malleis concussa, ex variis percussionibus redditur mollis & tenera, & rubiginem ab aliis metallorũ generibus remouebit. Similiter inimici nos persequentes vel affligentes, rubiginẽ

Rom. 5.

1. Ioan. 3.

HOMELIA FER. VI.

peccatorum nostrorum per patiētiae virtutem auferent à nobis. Itaque eos inter benefactores nostros numeremus, vt eos diligamus. Nos moueant quæ sequuntur. Imprimis recordemur quòd sunt caro de carne nostra, nobis autē loquitur scriptura dicens, *Esa. 58.* Carnem tuā ne despereris vnquam, nisi eos dilexerimus Dei mādātum non seruabimus, & nos eum non diligere conuincemur. Dicit enim: *Ioan. 14.* Qui mādātā mea nō seruat, me non diligit. Vnde Ioannes: Quis crederet te Deum diligere quem non vides, si fratrem non diligis quem vides? Itaq; illis beneficiamus, quoniā illis beneficia conferentes nobis multò magis beneficiemus. Quæ erūt illis per nos præstāda, nisi verba vel consolatoria, vel exhortatoria, seu quædā bona temporalia, verè caduca, & breui peritura. Quid verò pro illis assequemur, nisi gaudia in secula seculorū æterna? Forsan mihi dices: Nonnulli eorū sunt ad eò austeri atq; impudentes, vt ex beneficiis abundè collatis euaderent subaustiores, famā nostrā excogitatis macularent mendaciis, nobis in faciē conuiciātes, & redarguti dicerent: *Sap. 1.* Recedite à nobis, scientiam viarum vestrarum nolumus. Quid tunc per nos agendū erit? An ab omni officio consolationis, misericordiæ & pietatis cessabimus? Minimè omnium, contrā in eorum salutem erit Deus precibus assiduīs inuocan-

inuocandus vt corda eorum illustrare & in diuinum amorem accendere dignetur. Hæc est recta via, ad verticem virtutum perueniendi. Dicete Paulo, quòd finis præcepti est charitas, *1. Tim. x* de corde puro, conscientia bona, & fide uon ficta. Et iterum inquit, Ambulate in dilectione *Ephes. 5.* sicut & Christus dilexit vos. In confesso est, eum nos tantum dilexisse, quando inimici eius eramus, vt quo nos Deo patri reconciliaret mortem subire non recusarit. Hinc consequens est, nos oportere inimicos tantum diligere, vt sanguinem nostrum pro salute eorum si opus fuerit effundi permittamus. Dicit nescio quis: Istud domini præceptum esse nimis graue. Quis enim inuentus est in fide adeò robustus, vt pro amicis vitam morti exponere sit paratus? Pauci admodum suas facultates pro illis expendere volunt, eo tamen charitatis vinculo se obligatos non credunt, vt pro salute eorum animam ponere parati sint. Finge amicum haberi in eo gradu dilectionis constantissimum. Quid inde de inimicis dicemus? Hominem alioqui prudentissimum rarò inuenies, qui vitæ discrimini expositus, nõ sit procliuior ad inimici sanguinem propria manu effundendum, quàm vt velit seipsum pro illo morti exponere: qui tamen proximum non dilexerit, iuxta verbum Apostoli dicetis, Ambulate in dilectione sicut Christus *Ephes. 5.*

HOMELIA FER. VI.

dilexit vos. Legem non implebit, cuius cōsum-
 matio est perfecta dilectio. Qui verò nō imple-
 uerit, ad beatam vitā non ingredietur: in quam
 soli intrabunt, qui legem perfectè seruabunt.
 Igitur quò nos vertemus, qui proximos frigide
 nimis diligimus? quid inquam faciemus, ne in
 æternum miserè pereamus? An de salute nostra
 desperabimus? nihil minus. Sed bono simus a-
 nimo, & in clemētia, benignitate & misericor-
 dia illius speremus, qui nos adhuc inimicos tā-
 to fauore prosequutus est, vt filium vnice cha-
 rum è cœlo non solū in humanas fordes hu-
 ius vilis mundi demiserit, verū etiā eum mor-
 tem ærumnarum plenam subire fecit, vt salui

Rom. 8. simus, cum quo omnia nobis donauit, & ante
1. Ioan. 2. tribunal suæ maiestatis aduocatum humani
 generis instituit. Quis dubitat an pater filium
 pro nobis orantem exaudiet? Qui homo factus

Rom. 8. est vt in carne sua de peccato damnaret pec-
 catum, & iustificatio legis per eum impleretur
 pro nobis: vt pro qua parte imbecilles eramus
 gratia eius adiuti, capaces legis faciendæ esse-
 mus. Ideo cor nostrum ab odio inimici expur-
 gabit, & capax reddet huius præcepti obser-
 uandi, Caueamus ergo dicere: Istud præce-
 ptum per nos seruari non posse, quoniam om-
 nia possumus in eo qui super nos spiritum
 adoptionis infudit. Nisi à sanctis patribus ob-
 seruatum

seruatum fuisset, vtcúnque de illius obseruãtia dubitaremus: verùm nõne Moyse fidelis seruus Dei à Iudæis multis affectus iniuriis omnium maximè in illos tanta charitate ferebatur, vt dominũ orauerit, quo vel populo noxam dimitteret, vel de libro vitæ eum deleret? *Exo. 32.* Saul Dauidem multoties ad mortem quæsuit, & Dauid mortem illius acerbè defleuit. Paulus ab Israëlitis fuit legis violatæ accusatus, & se deuouerunt eum occidere, & pro salute eorum anathema fieri voluit. Nõne prothomartyr Stephanus, inter crepitantes lapidum iactus pro suis persecutoribus Christũ exorauit? Quis ergo dicet homini id esse impossibile, quod probatum est fuisse per multos obseruatũ? Fateamur tamen iuxta naturale ingenium, vitio primi parentis corruptum, esse multũ difficile. Sed quòd difficilius, eò erit Deo acceptabilius maiorisq; meriti. Itaq; amãtissimi, licet inimici nõ modò intra cordis secretũ nos oderint, verũ etiã mala de nobis loquuti fuerint, & quasi- bet occasiones nobis nocendi vbiuis locorum perquisierint, eos diligamus, & iuxta Apostoli doctrinam, bonũ pro malo repẽdamus, atq; in mediis eorũ telis expositi, arma paciẽtiæ ad iacula eorũ expugnãda induamus. Aduersus rãcorẽ internè cõceptũ, candidũ amorẽ exhibeamus. Quòd maledictis nos incesseerit, pro eorũ

HOMELIA FER. VI.

salute Deum rogemus: sciētes nos reddere ora-
 tiones nostras multū efficaces & Deo gratif-
 simas, quas pro inimicis offerimus, tantū abest,
 vt vindictā appetere de illis debeamus, vt sint
 bonis nostris iuuandi. Forfan mihi dices: Cur
 mihi licitum nō erit id agere in hostem priua-
 tum, quod agit magistratus in publicum? Est
 inter te & illum latum discrimen. Illi sanē vt
 prouinciam à nocentibus viris purget, permit-
 titur in illos fustibus & tormentis vri: tibi verò
 dictum est, Dilige inimicū. Cur ex priuata au-
 thoritate, rectius dicerem temeritate, vsurpares,
 quod pro publica vtilitate illi concessum est?
 Multa enim priuato homini non licent, quæ
 magistratum maximè decent. Itaque simus in
 inimicos beneuoli & ex benignitate animi nos
 esse legitimos Dei filios declaremus: quoniam
Mat. 6. sequitur, Vt sitis filij patris vestri qui in cælis est: qui
solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit
super iustos & iniustos. Filij verè naturales eo à
spuriis discernuntur quòd suos parentes probis
moribus, corporis compositione, gestu, loque-
la, & similibus signis referunt. Cuius regnū cu-
piunt esse augustum & nihil eorum decrescere
quæ ad magnificentiam eius pertinent. Illegiti-
mi verò ad hæc aut nihil aut parum aduertūt.
Nos autem si haberi velimus filij verè natura-
les & legitimi, decet pium parentē qui in cælis
est pro-

est probatum integritate morum, vitæ innocē-
 tia & in omnes tum bonos, tū malos benigni-
 tate animi referre. Sicut nemini nocet, omni-
 bus prodest, dignis & indignis sua elargitur, ita
 studeamus omnibus prodesse & nemini obef-
 fe. Nisi patri nostro spirituali perfimiles fueri-
 mus, præ filiis naturalibus culpādi erimus: qui-
 bus nascendo concessum non fuit, talem insu-
 mere formā, qualem habere optassent. Verūm
 in potestate cuiuslibet nostrūm ex Dei gratia
 cōsistit vt efficiamur Deo patri perfimiles, qui
 in cœlis manere dicitur, in quibus, potētia qua
 omnia creauit, sapiētia qua cunctos gubernat,
 benignitas qua in futuram gloriam suos elegit
 relucet. Qui in omnes & singulos beneficus,
 solem suum oriri, & pluuiā cadere facit, vt bo- *Mat. 6.*
 nos in officio pietatis contineat, & ad gratiarū
 actiones commoueat: peruersis autem eadem
 communicat, vt beneficiorum amplitudine in
 suum amorem eos alliciat, & ad pœnitentiam
 malefactorum prouocet. Quod ex calore solis
 & distillatione aquarum, semina humo cōdita
 germinent, foueantur, & tandiu crescāt, donec
 ad iustam perueniāt mensuram, sub eorum in-
 uolucro omne illud occultū fuit quod ad præ-
 sentis vitæ usum & conseruationē illius necesse
 est, atq; non solūm hominibus, verūmetiam iu-
 mentis, piscibus maris, & auibus cœli concedi-

HOMELIA FER. VI.

Pfal. 135 tur. Iuxta illud, Qui dat escam omni carni, &
Pf. 146. pullis coruorum inuocantibus eum. Ultra hunc
 litteræ intellectum, hæc in sensu morali vene-
 randi patres interpretati sunt, & per solē Chri-
 stum intelligere voluerunt. De quo scriptū est:
 Vobis sol iustitiæ orietur, hoc est Christus, qui
 in mundum venit. Vt sit lumen ad reuelationē
 gentium, & gloriā plebis suæ Israël. Ipse sui lu-
 minis radios omnibus illis infundit, qui cordiū
 suorum fenestras aperiunt, vt lumen diuinæ
 agnitionis habeāt, & calorem sanctæ spiratio-
 nis sentiāt. Per cœlestem rorem, spiritus sancti
 gratiam effigiant, quæ vbi erit mentibus ho-
 minum infusa, tantum illis proderit, quan-
 tum feraci terræ utilis est ros serotinus vel mane
 influēs. Vt Christus nos ad dilectionem inimi-
 corum magis ac magis inflāmaret, rursus ait:
*Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem
 habebitis? Nonne hæc & publicani faciunt? Et si salu-
 taueritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis?
 Nonne ethnici hoc faciunt?* Imprimis ad vocabu-
 lorum intelligentias veniamus, per publicanos
 vel peccatores publicos intellige, vel illos qui
 impositionibus vectigalium colligendis præfi-
 ciūtur: vt plurimum multò plura illicitè extor-
 quent quàm debeātur quò ditiores fiāt: ethnici
 verò sunt idolorum cultores. Vtriq; ductu na-
 turæ solent sibi bene merentibus benefacere, ac
 beneuolis

beneuolis bona optare: se diligentes diligunt, se salutates resalutant, cum istud non iudicetur in illis charitatis opus quod ex naturali instinctu prodeat. Videri præclarum, aeterno præmio & corona dignum inter Christianos non potest: neq; talia arguunt perfectè bonos esse, sed tantum eos declarant homines benignos: pro quibus nulla mercede cœlesti donabuntur. Quare quotquot spiritum Dei cordium suorum moderatorem habere, ac cœleste præmiū adipisci volunt, eos decet in charitate non ficta multò latiores esse publicanis: vel hominibus aethnicis. Propterea sequitur: *Estote ergo perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est.* Quod fuit illis dicere: Estote munifici, affabiles, ac beneuoli, non solum erga vestros affines & cognatos, verum etiam mites ac benigni in extraneos: ut videamini verè naturales filij patris vestri qui in cœlis est, & perfectus in se, & extra se. Tamen si vocabulum, sicut, per modum integrè similitudinis apponi solet, hîc non est omnimodæ æqualitatis: quoniã homo ad eum perfectionis gradum peruenire nusquã poterit, quò Deus perfectus est. E virtute in virtutem crescat quãtum velit, semper Deus tantò erit eò perfectior, quãtò creator à creatura distat. Neq; beneficentia hominis quamlibet absoluta, proximo elargita si fuerit, diuinæ largitati collata erit equalis: sed

HOMELIA FER. VI.

semper iudicabitur minima. Itaq; homini sufficiat pro modulo suæ virtutis ad eū perfectionis gradum tendere, quem Deus ex natura suæ diuinitatis in se habet cōsummatum. Hucūsq; Christus suos ad dilectionem inimicorū multis rationibus seu nominibus commonuit atq; hortatus est, ex quo multis visum fuit, diligere inimicum esse quid multò perfectius dilectione amici. Et opinioni eorum non aduersatur quòd Dei præceptum vnica est causa cur inimicus ab ipsis (repugnāte etiam natura) diligatur: quæ tamen nos monet & inducit amicum diligere. Verùm dilectio amici semper est (meo quidē iudicio) præferenda ac magis meritoria: quoniam ad complementū virtutis, maior ratio habenda est eius, quod est ex se bonū, quàm si fuerit factu difficilium. Est autem melius, animi vires impendere, vt illi beneficiamus qui in nos munificus fuit, quàm illū iuuare, qui nobis aduersatus est. Ex istis inferamus dilectionem amici præferendam esse. Sūt enim in operibus virtutum, aliquot gradus obseruandi. Vndè in

Cant. 2. Canticis legitur: Lex ordinauit in me charitatem: Quos modo sequēti obseruemus. Primus ad ea feratur quæ supra nos sunt. Vnde Deus super omnia diligatur & cœlestia terrenis, æterna transitoriis præferamus. Secūdus nos respiciat, tertius proximis diuersimodè cōcedatur, quartum

quartum ad corporum commoditates accom-
modemus: quibus vt valeant necessaria submi-
nistremus, & superflua denegemus. Quę etiam
ex sententia Apostoli mortificanda sunt. Quo-
niam Christus inquit: Qui amat animam suā, *Ioan. 10.*
scilicet corporis vitam, perdet eam. Explicito
fraternę dilectionis præcepto, inanis glorię
vitium nos vitare monuit Christus. Quod ho-
mines in stadio virtutis aliquo vsq; progressos,
etiam alioqui admodum graues, sicut popula-
res aggrediatur id vitiū, & in corda eorū quasi
per cuniculos quosdam irreat, quas nocendi
vires habeat, nemo perfectiūs nouit quā Chri-
stus: cui insidias & bellum indidit caput illius
amputare, & virus eius in principio extinguere
debet: quoniam si in vniuersum creuerit, quę-
libet opera alioqui sanctissima inficiet. Sicut
hominibus inexpertis videtur satis facilē ap-
plausum populi non captare, quandiu eis oc-
casio denegatur, ita vbi eis cōceditur, tunc sen-
tiunt esse multum difficile humana laude non
delectari. Qui autem hominū fauores ambiūt *Matt. 6.*
operis mercedem perdent. Nimirū est res san-
cta egenos nostris subleuare bonis: Est itidem
res pia sanctissimis precibus Deo colloqui, de-
niq; religiosa corpus nostrū ieiuniis macerare
vt spiritui obsequium præstet. Si verò qui hæc
& similia agit animum haberet inani gloria

HOMELIA FER. VI.

vitiatum, ac vellet rerum externarum ostenta-
 tione gloriari, & sanctitatis opinionē apud ho-
 mines venari, Deo cordis illius secreta intuenti
 multum displiceret, quare Christus ait: *Atten-
 dite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, ut
 videamini ab illis, alioqui mercedē non habebitis apud
 patrem vestrum qui in cælis est.* Solet virtus iustitiæ
 trifariam diuidi. Vna est Dei: alia operum fidei:
 vltima publici magistratus. Ex iustitia Dei fuit
Gene. 15 Abrahā iustificatus. De quo legitur: Credidit
 Abraham Deo, & quotquot à misericordia Dei
 præueniuntur ex ea iustificantur, ac dicere de-
 bent: *Tit. 3.* Nō ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos,
 sed Deus secundum suam magnam misericor-
 diam saluos nos fecit. Cū illa sit humano ca-
 ptu fermè incomprehensibilis, paucis explica-
 ri non potest. Quare impræsentiarum præstat
 eum sub silētio dimittere, ac solū dicere cum
Psal. 18. propheta: Iustitiæ domini rectæ sunt, lætifican-
 tes corda: Verū in illis est abissus multa. Ad
 iustitiam operum ex Dei gratia & electione li-
 beri arbitrij factorum veniamus. Tūc sanè per-
 ficitur quādo voluntas hominis adiuta singu-
 lari dono gratiæ quasi extra se in bonum opus
 non solū cōmouetur, verū quodammodo
 rapitur, tantū in optatis habens, se illi ex toto
 cōformare ad quem velut animi sui anchoram
 ipsa non deflectens ad dextram vel sinistram
 rectā

rectà tēdit. Sicut spiritu Dei agitur, ita quic-
 quid potest virtute liberi arbitrij in seipsa com-
 mouet, tota Deo fisa in opus externum egredi-
 tur, siue adsint homines, siue absint, in corde
 suo dicens: mihi adhærere Deo bonū est, & po- *Psal. 71.*
 nere in eo totam animi fiduciam: qui laboris
 primum mihi retribuet, secundum iustitiam
 meam. Scio enim quòd seminanti iustitiā mer- *Rom. 4.*
 ces erit fidelis: & quòd iustitia eius, qui sua pau-
 peribus dispersit, in seculum seculi manebit. *Psal. III*
 Huiusmodi iustitiam operū facere hominibus
 coram Christus absolutè nō interdicit, sed tan-
 tū ait: vt videamini ab illis. Quia nouit nos
 fragiles esse, & ad malū procliues: ideo monuit
 opera nostra hominibus abscondi, ne inanis
 gloriæ vermīs obrepēs nos decipiat. Quandiu
 enim laus humana per recta operantes capitur,
 fructus bonorum operum nondum planè ma-
 turus perit & emoritur. Ad tertiam iustitiæ di-
 uisionem veniamus, quæ populi Magistratus
 respicit, à Deo vel principe missos, vt omnes in
 officio cōtineant & vniciq; quod suū est red-
 dant: Quoniam inter conciuēs multa occurrūt
 diiudicanda: nunc enim sua vendunt, nūc ali-
 qua emunt, vel ad tempus oppignerant, vel cō-
 mutant. Et ex quo par pari oportunè nō refer-
 tur, inter eos discordiæ enascūtur per Magistra-
 tus pacificandæ. Quòd Christus in mundum

HOMELIA FER. VI.

non venerat, politam iustitiam ciuibus administraturus, de ea impræsentiarū loquutus non est, sed de iustitia operum fidei. Verūmtamen, tantū abest, vt eam nō approbauerit, vt variis in locis multū cōmendarit. Sicut ipsa iustitia fidei comparata parū haberet gratiæ, quòd illa sit longè perfectior, ita per se considerata, est virtus multū illustris, inter conciuēs necessariò obseruanda. Nanq; discrimen inter illas est, quale si stagnum argento, aut æs auro conferre velles, vnum esset longè preciosius altero. Propterea nemo sanæ mentis metalla stagni & æris cōtemneret aut reiicere vellet. Ita quòd Christus iustitiam fidei iustitiæ civili præposuerit, illam non reiicit, sed (vt dictum est) commendatione non vulgari dignam duxit. Quòd exēpla plus moueant quàm verba, à generali iustitia operum ad certam speciem illius descendit, inquit: *Cū ergo facis eleemosinam, noli tuba canere ante te sicut hypocritæ faciunt in sinagogis & vicis vt honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Quemadmodū variis in locis obseruatur ad campanæ sonitū pauperes cōuocare eleemosinas accepturos, similiter scribæ & pharisæi hypocritæ ad tubæ clāgorem eos conuocabant, & hoc fuit tuba canere. Sed animo verè deprauato id faciebant: scilicet vt conciuēs eos collaudarent, & donis etiam amplioribus

prioribus ornarēt. Quòd mercedem ab hominibus recipere vellēt, penes Deum perdiderūt: & perdet quisquis misericordiæ opera agit, vt honorificetur ab hominibus. Rursus per tubā intellige humani cordis iactātiā. Quotquot huius vitij hypocriseos simultate peccant, non solūm præmium laboris perdunt, verūm & Deum grauius offendunt: cui vnico tota laus operum nostrorum debetur. *Te autem faciente eleemosinā nesciat sinistra tua quid faciat dextra tua: vt sit eleemosina in abscondito. Et pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi.* Ac si planiūs diceret: Ne inficiaris vitio inanis gloriæ, eleemosinam tuā *Eccl. 27* absconde in sinu pauperis, & licet amicum habeas intimum, & tibi ad eò familiarem, vt vna manus est alteri benigna auxiliatrix, illi celatū tene bonum opus quod feceris, ne mercedem illius perdas. Si vanè glorieris, quasi sinistra humanæ opinionis, fructum auferet à dextra sanctæ intentionis. Vtrāq; manus per modum cōparationis opposita fuit, ad innuēdum nobis, quòd homo eleemosinā facturus, eam vt proximo subueniat, ad laudem Dei, & non ad populi ostentationem subministrare debet. Igitur illi sufficiat Deum habere sui operis inspectorem quem habebit unicum illius remuneratorem: qui ea videt quæ corporalibus oculis videri non possunt, atque in finali iudicio vni-

HOMELIA SABB.

cuíq; præmium iuxta opus suum rependet.

*Sabbato post diem Cinerum, ex Euangelio
Marci. Sexto cap.*



VM sero factum esset, erat nauis in medio maris, & ipse solus in terra. Benignissimus Iesus in vasta solitudine deserti, turbam quinq; millium hominum ex quinque panibus & duobus pisciculis pauerat. Facti eo pastu alacres, cum sibi regem constituere consularunt, existimantes per eum in mundo habituros rerum hubertatē & annonæ copiam cum amplissimis opibus. Hæc enim sunt quæ à suo Messia Iudæi expectabāt. Christus verò eos docere cupiens, se in mundum venisse, vt regnum longè diuersum institueret, cuius sceptrū, id est crucis vexillū, suis humeris superponeret, quasi seculi honores fugiens, seipsum ab eis subduxit. Qui ultro-
neus mysterio passionis in quo erat seculi fastū spreturus se præsentauit, ad patrem suum à quo venerat rediturus, & montē conscendit, in quo solus satis diu stetit à turba populari diuulsus, bonam noctis partem sacris precibus vacans. Eum discipuli sequuti sunt, quos cœlestia docuit, munus boni pastoris per omnia agens: cuius præcipuæ partes esse debent, postquam necessitati corporis satisfactum est, non inaniter

secedere

fecedere ad somnum : sed ad sacras preces locū eligere idoneū, quæ secretum cum mētis quiete in Deum rectā tendentis quærūt. Hæc audientes (amātissimi) exemplo benignissimi Iesu informati, quando erimus Deum patrem precaturi, corpore & mente à turba populari longè molesta, atq; à tumultu mundanorum cogitatum nos ipsos diuellamus, & cordium penetralia adreamus, tãquàm deserti interiora. Deniq; ab inferis ad superna corpore & animo ascēdamus, vt preces nostræ in aures domini exaudiantur, & postulata consequamur. Discipulis suis præcepit benignissimus Iesus lacum transmeare, & ad vltiorem maris ripam venire, tãquàm inuiti à dulcissimo omnium domino diuellerentur, & recedentes ab eo dubij essent quando erat mare transiturus, atq; ad eos vēturus, quòd diei splendor in vespērā vergens, paulatim deficeret. Denique non erat alia nauis in qua venire posset. Nihilominus nō murmūrarent neq; imminere noctem illi exposuerunt, vel tempus dicere rogarūt, quo erat eos sequiturus. Verùm ab auditu suæ vocis sacratissimæ, nauigationem cum omni diligētia adornarūt, & paratam nauim ingressi sunt, cum illa esset à littore satis distans : iam enim ipsi erant stadia fermè viginti quinque, aut triginta remigio emēsi. Oritur eximprovisò sæua tempestas, & il-

HOMELIA SABB.

lis timorē absentia Christi congeminauit, quia
 solus in terra remanserat. Verū ipse qui con-
Psal.67 turbat profundum maris, & sonum fluctuum
 eius mitigat, videns discipulos suos laborantes
 in remigrando (*Erat enim ventus contrarius eis:*)
circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans
supra mare, & volebat praterire eos. Describuntur
 discipuli aptè admodū laborātes in remigādo:
 quoniam periculum illis occurrit nō simplex,
 sed multiplex. Primū lacus quem transierunt
 erat adeò diffusus, vt mare dictus sit: noctis te-
 nebræ timorem auxerunt: & horrorem conge-
 minarunt venti vehementes, deniq; diuersi, om-
 ni penè momento lacū cum maximo impe-
 tu commouētes. Christus hæc prospiciens, vsq;
 ad quartam noctis vigiliam eos reliquit incon-
 solatos, quasi aliò intētus esset, & salutē eorum
 negligeret. Verū cur suos familiares amicos
 tam diu hærere istis eminentibus periculis per-
 misit? Nempe virtutem patientiæ illorū, nobis
 notam fieri & constantiorem ventorū flatu &
 reflatu voluit, qui prosperos successus eorū re-
 morabantur. Nos verò audiētes quòd in rebus
 aduersis animos non deposuerūt apostoli, neq;
 ab incepto opere destiterunt desolati, sed in
 domino sperantes sese consolabantur dicentes:
 Dominus noster omnipotens est, sicut patres
 nostri annunciarunt nobis, & nos docuerunt

eum esse, qui ventos produxit de thesauris *Psa. 134*
 suis, quando percussit primogenita Ægypti, ab
 homine vsq; ad pecus, suos Israëlitas illesos ser-
 uauit: quando Pharaonem cum equitatu eius *Exo. 14.*
 mare vorauit: idē ipse quamprimū placebit,
 ventis & mari imperabit, atque nos à periculo
 submersionis liberabit, ad cuius verbum fiet il-
 lico tranquillitas magna. Præterea dabit nobis
 ex tentatione prouentū. Sicut Christus se con- *1. Corin.*
 tinuit quasi homo dormiens, qui causas & ne- *10.*
 gotia suorum parū curat, & circa quartam no-
 ctis vigiliā eos ab omnibus periculis liberauit,
 similiter quos diligit aliquando angustiari ad
 tempus permittit, & eos quasi aurū in fornace *Sap. 3.*
 tentat, vt habeant ex tentatione prouētum, sed
 curam eorū non deponit. De quo legitur: Ecce *Psa. 120*
 non dormitabit neq; dormiet, qui custodit Is-
 raël: Itaq; (amantissimi) in aduersis patientiam
 seruemus, memores prophetā dixisse: Viriliter
 agite, & confortetur cor vestrum, omnes qui
 speratis in domino. Nouit ipse quid nobis ne-
 cesse est, & tempus opportunum, quo à malis
 eminentibus nos liberet. Quemadmodum cō-
 stantes in aduersis dum tribulantur diligit, etiā
 illos odio prosequitur, qui eum tentant. Vnde
 per prophetam Israëlitis dicebat, Offensus fui, *Psal. 94*
 quia patres vestri me tentarunt in deserto, qui-
 bus iuravi in ira mea, eos non intraturos in re-

HOMELIA SABB.

20. quem meam. Ipsi sanè Moyſi dixerant, ſe non credituros diuina ordinatione ab Ægypto fuiſſe abductos, & in deſertū adductos, niſi impræſentiarum aquã de petra educeret. Quid enim hoc aliud fuit, niſi Deum tentare, & illi modū præſcribere, quo ipſos incolumes ſeruaret: Hoc autem non fuit miſericordiam eius implorare: ſed multò magis iram illius prouocare, & furorē indignationis eius magis ac magis accendere. Ideo legitur quòd ignis ſuccenſus fuit in furore illius & præbauerunt atq; viderunt opera eius, ſcilicet potētiam maiestatis ipſius, nec non iuſtitiam ab eo obſeruatam pro diffidētia ſua. Quando enim Moyſes petram percuſſit, aquæ cū tanta abundantia fluxerunt, vt in torrentes innundarint, atque in ſtagna è fontibus aquarum effluerint. Sed poſtmodum ex diuina ordinatione, fermè omnes in deſerto interierunt. Ideo caueamus (amantiſſimi) Deum tentare, vel illis quos nobis præpoſuit conuiciari. Deum ſanè tentant, quotquot mediis verè legitimis ad conſecutionem ſalutis tum animæ tum corporis penitus neglectis, ad quædam illegitima manus ſuas extendunt, & ea agere præſumunt, quæ eis caro vel ſanguis reuelat, vel illicita, à Deo poſtulant & ſe in pericula vltro coniiiciunt. Aliud enim longè diuerſum eſſet, ob ſalutem animæ ſuæ vel
proxi;

proximorum , ad iussum domini se periculis exponere : sicut discipuli imminentibus tenebris se exposuerunt mare ingressi , & postmodum ad gentes exterarum profecti , salutis verbum nunciarunt . Hoc enim illis non fuit Deum tentare , sed diuinæ vocationi respondere , & iussa domini capessere . Hæc agentes serui Deo deuoti , sciant quòd Deus potius rerum naturam inuerteret , quàm illis auxiliũ in tẽpore opportuno denegaret . Dicente scriptura : Non confundantur domine qui sperant in te , quoniã tu *Psal. 5.* benedices iusto , & scuto bonæ voluntatis tuæ proteges eum . Væ ergo illis , qui vocationi diuinæ non parent , & periculis sine causa sese exponunt , seu mediis à lege diuina interdictis vtuntur . Tales sunt qui diuitias mediis iniquis congregant , timentes ne manus vel pedes sui arescant , vndè ex solito labore sibi victum quærere non valeant . Ideo per fas vel nefas diuitias cumulant , hoc enim nõ est in Deo sperare . Dicente Psalmista : lacta cogitatũ tuum *Psal. 54* in domino & ipse te enutriet . Et alibi : Timentes dominum non diminuentur omni bono . Rursus : Non est inopia timẽtibus eum : contrã , erũt gloria & diuitiæ in domo eius . Sed Deum tentare , est quodãmodo eum mēdacij arguere dicentem : Inuoca me in die afflictionis tuæ , & *Psal 49* eruã te . Inuocatus enim quomodo auxiliũ eis

HOMELIA SABB.

Mat. 5. in necessitate constitutis denegaret, qui solem suum oriri facit super bonos & malos? Quibus *Psal. 36.* ait Psalmista: Spera in domino, fac bonitatem, reuela illi cogitationes tuas, & dabit petitiones cordis tui. Ex quo discipuli in eum sperarunt, & quicquid in se erat fecerunt, laborantes in remigando. *Venit ad eos ambulans supra mare. Illi ut viderunt eum ambulans supra mare, putauerunt phantasma esse, & exclamauerunt. Cur eum planè non cognouerunt, nisi quòd se moribus eorum conformarit. Simile est quod discipulis in castellum Emaus euntibus contigit. Ipsi ex visis miraculorū portētis, & ultra numerum multiplicatis, eum credere debuerunt potentē super aquas securè ambulare. Vt cūque hæsitarunt eum esse, vel phantasma iudicarunt, & exclamarunt, quoniam timor maximus eos totos occupauit, ex eo enatus, quòd à vulgo nautarū audierant quædā phantasmata supra mare videri, & non nihil discriminis nauigantibus minari: neque omni spiritui credendum esse sciebant, quòd angelus sathanas soleat se in angelum lucis transformare, ut fidelium mentes longè commodiùs malis opinionibus corrūpat. Cū ergo essent discipuli ex ea visione multum perterriti, & sui impotentes facti, minimè credentes liquidum aquæ elementum portare corpus hominis sua natura graue, ac solidum. Et omnes*

eum vi-

eum viderunt & conturbati sunt, statim loquutus est
 cum eis & dicit: Confidite, ego sum, nolite timere. De-
 cuit eum indicio suæ vocis manifestum fieri,
 ne ipsi amplius conturbarentur, sed cōsolaren-
 tur videntes eum supra mare ambulanti, ac
 si illis tacitò diceret: Vobis videri mirum non
 debuit, impleri de me quod scriptura de vero
 Messia ait: scilicet in mari via tua, & semitæ tuæ *Psal. 76*
 in aquis multis. Et iterum: Cùm transieris per *Esa. 43.*
 aquas, tecū ero, ne flumina cooperiant te. Quò
 magis consolarentur, *ascendit ad illos in navim,*
 & cessavit ventus; & plus magis intra se stupe-
 bant. Nam non intellexerunt de panibus. Erat
 enim cor eorum obcæcatum: qui si memores
 fuissent miraculi, quo ipse paulò antè ex paucis *Mat. 15.*
 panibus tot millia hominū pauerat, pro re stu- *Marc. 8.*
 penda non habuissent, videre eum super aquas
 ambulanti. Cùm esset aliud longè prodigio-
 sius præsentè miraculo, scilicet pavisse tantillo
 cibo maximam hominum multitudinē, & ex
 reliquijs eorum prudenter collectis, duodecim
 cophinos plenos habuisse: quare illos superflui
 timoris redarguit, quo se præsentè aquis sub-
 mergi timuerat. Venerat enim ut esset illis ad-
 iutor atq; protector in salutem. Cuius assisten-
 tiam secum habere optabat Sanctus Iob dicēs:
 Pone me iuxta te, & cuiusvis manus pugnet cō *Iob. 17.*
 tra me. A quo totus pendebat regius propheta

HOMELIA SABB.

Psal. 26 ²⁶ dicens: Si cōsistant aduersum me castra inimicorum, si millia populi circudent me, non timebo, quoniam dominus mecū est, tanquā bellator fortis. *Psal.* 92 ⁹² Videre potuerunt mirabiles esse elationes maris, sed credere debuerūt eum qui in altissimis habitat, multò mirabiliorem esse atq; fortiorē omni tempestate, quam repressit, & flumina fluctus suos eleuantia compescuit, quamprimū loquutus est. Expediebat sanè eos videre illum siccis pedibus super aquas ambulare, ventorum impetus sedare, & mare tranquillum reddere: vt ex istis mouerentur in eum non frigidam habere fidem, seu hæsitanter credere, vt faciunt ij, qui subitò credunt, & paulò pòst à fide recedūt: atq; omnia quæ de filio hominis, vel de cœlo, vel de infernis scripta sunt, non pluris faciunt, quā si audirent inanes fabulas muliercularum, vel puerorum terriculamenta. Qui verò cordium radices in Christum ex sancto timore cōfigunt, ipsi animosè ac firmiter credunt totius mūdi elementa potius inuertenda quā sermones eius veraces non esse: quos omnibus aliis quæ auribus audierūt, oculis intuiti sunt, manibus palparunt, meritò præferunt, vt in eo fide constemus, & memores simus omnia ad vnguem cōpleta fuisse, quæ de aduentu Messiaë scripserant prophetae, & fuerūt martyrum sanguine cōprobata, communi cōsensu

sensu piorum hominum, omnibus retro secu-
 lis viuentium corroborata, & miraculis testifi-
 cata, literis quoq; in salutem omnium deman-
 data. Quid ergo stultius est dementia illorum,
 qui à suscepta fide resilierunt ex solo auditu in-
 anium argutiarum, quas hæretici illis persuase-
 runt? Cur ex præteritis ad coniecturas futurorū
 non venerūt? Cur (inquam) animo non reuol-
 uerunt, multa antiquitus nunciata quæ vide-
 bantur tunc incredibilia de filio Dei & homi-
 nis, nascituro, passuro, & resurrecturo, & nihil
 esse horum omniū quod opportunè tempore
 nō euenerit? Homines prophetae in istis omni-
 bus mentiti non sunt, quomodo Christus altis-
 simi filius, Spiritu sancto operāte homo factus
 mentiretur? Igitur impias cogitationes à sarha-
 na emissas super diffidentia promissionū Chri-
 sti excutiant, firmissimè credentes Christū esse
 Deum deiq; filium, qui neminē fallit, & à ne-
 mine falli potest. Quæ per anigmata nunc co-
 gnoscimus, tunc planè cognoscemus, quando *1. Cor. 13*
 eum facie ad faciem videbimus. *Et cum transfre-*
tassent venerunt, in terram Genezareth, & applicue-
rant. Cognouerunt eum ab operibus suis esse il-
 lum de quo propheta ait: Tu dominaris pote- *Psal. 88.*
 stati maris: motum autem fluctuū eius pro ani-
 mi libito mitigas. Istud in aperto fuit, quoniā
 in sermone eius siluit. ventus. Neq; sacramento

HOMELIA SABB.

caret præsens miraculū, fuisse sub diluculo diei
 factum. Nobis enim hoc profuit, ne nesciamus
 quandiu tenebræ vitiorum nobis dominabun-
 tur, tandiu varijs tentationibus agitabimur:
 Quum primū verò Christum ad nos venien-
 tem agnosceremus, & vitia propulsauerimus, ip-
 se lucem gratiæ cœlestis nobis concedet, & in
 trāquillo erimus, eūmq; prædicabimus per to-
 tam regionē, & malè habētes ad eum adduce-
 mus, sicut illi adduxerūt. Hæc pro sensū literæ
 sufficient. Quid sub morali adumbratum sit,
 paululum cōtemplemur, vt qui ex hystoria rei
 gestæ non nihil cōditionis habuimus, ex sensu
 mystico aliquid consequamur, credētes opera
 domini, prout ab euangelistis cōmemorantur
 facta fuisse, & aliquid in illis sub cortice verbo-
 rū celatū esse, formādis moribus nostris appri-
 mē commodum. Cū autem præsens seculum
 sit instar maris tempestatibus maximis exposi-
 tum, aptè admodum vnum potest per aliud fi-
 gurari, & per nauim ecclesia adūbrari: quando-
 quidem ex sententia Sapientis illi comparatur.

Prou. 31. Ait enim, quòd facta est quasi nauis institoris
 de longè portans panem suum. Imminēte pas-
 sionis articulo, sero factum est, & Christus nauim
 militantis Ecclesiæ discipulis regendā cō-
 misit, iuxta illud: Dispono vobis regnum, sicut

Luc. 22. disposuit mihi pater, atq; cōpleto mortis triū-
 pho

pho resurgens victor gloriosus, cælos ascendit, dextera affessus Deo patri, atq; extra periculum cuiusvis casus fortuiti, per commotionem aquarum adumbrari positus. Ideo aptissimè dictum est: Cùm sero factum esset, nauim fuisse in medio maris, & ipsum solùm in terra. Tunc discipuli eius experti sunt quod illis prædixerat: Qui me persecuti sunt, vos persequentur. *Ioan. 15.* Et vidit eos laborantes in remigando, aduersus ventos persequutionū, à pseudoprophetis excitatos, vt Ecclesiæ nauim perdant. Proh dolor, nondum sopiti sunt, verùm in dies quasi auctis copijs increbescunt, & quod dolens dico, nōnulli eorum qui in regimine huius nauis positi sunt, ignaui otio torpescūt, atq; parū ad sedandam ventorum tempestatem laborant. Neque oues domini in ea manentes ad portum salutis deducere curant, verùm cōquirendis pinguioribus sacerdotijs, & multiplicādis pecuniarum thesauris insudant, & noctes ducūt insomnes, & ad quæuis pericula (vt dicitur) inter enses & ignes sese obiciunt vt ex prouentibus ecclesiæ, iuxta carnis desyderium viuāt. Hunc enim ad turpia rapit auri sacra fames, illū excæcat honoris ambitio, istum ad nefanda alliciunt corporis delitiæ. Est qui luxu & inertia tēpus terit, ventri suo seruiens. Neq; prospiciūt zizaniotū feminatores pseudoprophetas demoniaco fu-

HOMELIA SABB.

rore impulsos, variis in locis regnorum & provinciarū, errores spargere. Vnde in christianismo oritur valida tēpeſtas, omnia ſacra & prophana commiſcens, & diſſidia inter Chriſti fideles nutriens, pacē eccleſiæ perturbans. Et foris multos interficit ferox Turca hoſtis nocentiſſimus, intus autē eſt pavor maximus à pseudoprophetaſ excitatus, qui nihil in optatis plus habent, quàm Eccleſiæ ſtatum inuertere. Inter huiuſmodi infortunia, non nihil conſolationis nobis datur ab illis qui indefeſſo cogitatu animi, commentarios in ſacros codices edunt. ne ſeminaria errorū optimos fruſtus ab Apoſtoliſ complantatos ſuffocent, vel emori faciāt: quos precor per viſcera miſericordiæ Ieſu Chriſti, in quibus viſitauit nos oriens ex alto, In cępto opere tandiu perſiſtere, quandiu tempeſtas per pseudoprophetaſ cōmota durabit. Quos modò opportunè arguāt, modò importunè increpent, in omni tamen doctrina. Urget enim neceſſitas hęc agendi & ſe offert opportunitas omniū maxima. Sintq; memores doctrinæ Apoſtoli dicentis: Væ mihi niſi euāgeliiſ ſauero, neceſſitas mihi incumbit: & certò ſperent, dominum in terra æternæ ſtabilitatiſ labores eorum penſaturum, vbi vnicuiq; ſecundum opera ſua reddet, poſt quartam vitæ præſentis vigiliã vel occaſum, modò legiſ præcepta ſeruauerint.

Quem-

Luc. 1.

1. Cor. 9.

Mat. 16

Quemadmodum militaris exercitus duces noctu vigilant, & aliquos vigilare faciunt, ne exercitu quiescente hostis ingrediens quasi ex insidiis in castra irrumpat & incautos dormientes iugulare faciat: similiter Ecclesiae praepositi vigilare debent, dicente illis scriptura: *Vigilate ne scietes qua hora filius hominis veniet: Qui hominem beatum predicauit, quem, cum venerit vigilantem inueniet. Cum illi conseruandis militum corporibus, alioqui morituris strennuè vigilent, cur isti seruadis animabus in aeternum victuris non vigilabunt, scietes gregem dominicum hostem habere vigilatissimum: qui tanquam leo rugiens Ecclesiae militatis castra circumcui quarens quem deuoret: cui viriliter resistendum est. Ipsi circa gregem dominicum vigilantes, pro carnis conditione senescunt, & quisque cum Apostolo dicere poterit: Cupio dissolui & esse cum Christo: ut fiducialius cum eo quiescat, temporalium obliuiscatur, ad superna inardescens: ad quam promouebitur, modo in nauis militantis Ecclesiae consistens iuste vixerit. Christus qui caelos ascendens, discipulis ait: Vado parare vobis locum. Et: Iterum veniam ad vos, eum visitabit, si non in visibili forma saltem in inuisibili potentia. Cum enim dotes vitae immortalis habebit, iam tam solidè super stabilimentum maris quam super terrae elementum*

*Matt. 13**Luc. 12.**1. Petr. 5.**Phili. 1.**Ioan. 14*

HOMELIA SABB.

inambulare poterit. Quid rursus signat quòd
 Christus tantis rerum discriminibus ipse finem
 daturus, discipulos in timorem priori longè
 maiorem incidere permisit? Legitur sanè illos
 omnes eum vidisse atque conturbatos fuisse.
 Nimirùm appropinquãte hora mortis, ad me-
Hebr. 9 moriã reuocabit fidelis seruus Christi, morien-
Ioan. 5. dum esse, & in præsentia eius assistendũ, cui pa-
 ter omne iudicium dedit, vt omnes honorifi-
 cent eum. Recordatus peccator criminũ quæ
 commisit, gemens intra se præ angustia spiritus
2. Cor. 5. dicere poterit. Appropinquat dies, in quo reci-
 piam siue bonum siue malũ, prout in corpore
Psa. 142 gessi. Quòd ue scriptũ est: In conspectu Dei nõ
 iustificabitur omnis viuens: cui ratio reddenda
 erit, non solũ de grauioribus offensis, verũ-
 etiã de verbis otiosè prolatis, & de rebus vanè
 conceptis seu cogitatis. Ideo ante faciem tanti
 iudicis astare timebit, nescius cum qua distri-
 ctione opera eius pensabũtur. Stans ergo super
Rom. 1. lectũ doloris, propter cogitationes sibi occur-
 rentes, & se inuicem accusantes ac defendẽtes,
 timore horribili turbabitur: quibus se immisce-
 bunt immundi spiritus, misereri nescientes, &
 illi per omnia nocere cupientes: omnes quoq;
 machinas tẽtationum aduersus eum: commo-
 uebunt, vt lucernam fidei in eo lucentis extin-
 guãt, atq; eum in foueam desperationis cadere
 faciant.

faciant. Nam exprobrabūt illi quòd benignitatem Dei ad bonum prouocantis multoties spreuerit, & fidem in baptismo datam violaue- rit, etiam occasiones bene agēdi diuinitus mis- fas cōtempserit. Si quid rectum egerit, calum- niosē deprauabunt, & domesticos eius cōmo- uebunt, vt quædam superflua, de vxore, liberis, & rebus transitoriis in medium afferant. Quid fidelis seruus inter tot rerum discrimina pote- rit salubrius agere quàm ad Christum saluato- rem omnium confugere? Qui in mundū venit soluturus quod peccator rapuerat, ac illi dice- re, Domine vim patior, respōde pro me, & mi- *Psal. 68.*
ferere mei, quoniam si à fide præstita aliquātu- *Esa. 38.*
lum vacillauero, inimicus me conturbans exal-
tabitur, dicens: Præualui aduersus eū. Cur Deus *Psal. 12.*
filium suum aduocatum nostrum instituit, nisi *1. Ioan. 2.*
quòd cum pro nobis exaudire & postulata cō-
cedere velit? Si inimicus iterum inspirarit, vanū
est credere te in filium Dei adoptatum, & æter-
næ salutis præmio dignū esse: cū iustitiæ ope-
rum tuorum sint longè viliores vilibus pannis
menstruose mulieris: illi dicat: Abi retro impo-
stor nequissime, cū sis mendax ac pater men- *Ioan. 8.*
dacij. Cur ob loquelam tuam de salute mea de-
sperarem? Sum enim illius corporis membrum, *Ephes. 5.*
cuius caput est Christus in cælo regnās, quem
pater semper exaudit. Iuxta illud Ioannis: Scie- *Ioan. 8.*

HOMELIA SABB.

Ioan. 12. bam quòd semper me audis. Et vult ipse vt vbi
 est ibi sit & minister eius. Ideo peccata nostra
 sua fecit, & pœnam illorum soluit, vt suam iu-
 stitiam nobis communem redderet, quò illuc
 perueniamus vbi est cum patre regnans. Hæc
 secum reputans fidelis seruus, Christi auxilium
 imploret, & ad crucis vexillum velut ad sacram
 fidei anchoram, mentis oculos figat, memor
Ioan. 3. Deum patrem humanum genus tantum dile-
 xisse, vt quo seruaretur filium in mortem tradi-
 derit. Ex ea spe de Christo concepta, fidelis ser-
 uus à Dæmoniaco incursum liberabitur, qui huc
 & illuc circumuolare seu cursitare poterit, sed
 fidelem seruum, Christi præsidio innixum vin-
 cere non valebit: & sic confusus ab expectatio-
 ne sua, indecorè recedet. Hæc per fidelem ser-
 uum agenda erunt circa finem vigiliarum no-
 ctis, vel vitæ præsentis occasum: ne à dæmone
 circumueniatur: cuius terrores tantò magis ti-
 mebit, quantò amplius cor habuerit grauiori-
 bus peccatorum tenebris obcœcatum. Panes in
 sensu morali representant sacramenta tum pœ-
Psal. 41. nitentiæ, tum hostiæ salutaris. Quoniam sicut
 lachrymæ pœnitentis panes dicuntur, iuxta il-
Psal. 101 lud: Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac
Ioan. 6. nocte. Et rursus: Cinerem tanquam panem man-
 ducabam, à facie indignationis domini: ita sa-
 lutaris hostia, est panis viuus, qui de cœlo de-
 scendit,

scēdit, vitam mundo daturus. Itaq; studeat homo infirmitate corporis & animi pressus, dolēs ac mœrens, ad pœnitentiæ sacramentum accedere. Vbi in illo se probauerit, ad sacramentum altaris accedat: & studeat cor suum peccatis vitiatum, vtriusq; sacramēti perceptione purgare: tūc ipse cum Christo in terram Genezareth ingreditur. Quid enim Genezareth aliud sonat quàm initium natiuitatis? Quid rursus est noua cōuersio peccatoris ad Deum, quàm hominis peccato mortui regeneratio? Tunc ipse qui Christū subobscurè nouit, illum planè cognoscet, quem facie ad faciem videbit. Ad literæ sensum redeamus. *Cognouerunt eum. Et percurrentes vniuersam regionem illam, cœperūt in grabatis eos qui se malè habebant circumferre, vbi eum esse audiebant.* Erant sanè de tollendis à corporibus morbis multò magis solliciti, quàm de salute animarum. Ideo corpora infirmorum in lectis posita eo loci circumferiebant, in quo Iesum esse audierant: & coram illo ea variis morborum generibus laborantia exponebāt, sperantes eos salutem cōsequuturos ab illo, qui in eadem regione prius multos curauerat, quem nouerant nō solum vulgari rumore, sed ab operibus ibidem ab eo patratīs. Et quocūque introibat in vicos vel in villas, vel in ciuitates, in plateis ponebant infirmos, & deprecabantur eum, vt

HOMELIA SABB.

fimbriam vestimenti eius tangerent: *Et quotquot tangebant eum salui fiebant.* Verum quid eos mouit velle fimbriam vestimenti eius tangere? Mea quidem sententia hystoriam audierant mulieris profluuiio sanguinis duodecim annos laborantis, quæ de medicis diffusa & *Ibidem.* Christo fisa ait intra se: Si tetigero tantum fimbriam vestimenti eius salua ero: Tetigit, & salutem consequuta est. Similiter quotquot Christum tangebant salui fiebant. Ex istis consequens necessarium non est, omnes eum tãgentes salutem consequutos fuisse, quoniam crucifixores in passionis misterio non solum vestimenta illius tetigerunt, verumetiam corpus nudum contrectarunt, flagellarunt, & cruci affixerunt. Illis autem tactus huiusmodi nõ profuit, sed multum nocuit. Quid rursus adumbrat vestis Christi nisi euangelium eius? Sicut sub illa corpus eius abstrusum fuit, ita sub Euangelio, ipse absconditur. Quotquot euangeliũ eius legunt, vt illi aduersentur, Christi vestem tangunt, verum ex eo tactu fructũ non referunt. Qui verò ad Christum per fidẽ cum simplicitate cordis accedunt, à vitiis curantur. Amantissimi, si animæ salutem consequi velimus, Christum ex vera fide, pio affectu, verbo & opere tangamus, & salutem consequemur: prout salui fiebant, qui fimbriam vestimenti eius tangebant.

Feria

*Feria secunda post primam dominicam
Quadragesima. Matthæi 5.*



*C*ùm venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli eius cum eo. Benignissimus Iesus pascha cum discipulis facturus, antequam transiret ex hoc mundo ad patrē, est multa super nouissimo aduētū eos alloquutus, vt sub spe beatitudinis habendæ, bonos in officio pietatis cōtineret, malos verò metu æternæ damnationis terreret, & à malè cœptis reuocaret. Atq; omnes redderet certiores, diulgato per totum orbem salutis euangelio, nihil certiùs expectandū esse, quàm post cōsummationem seculi generale iudiciū. Quod fiet ad laudem bonorum & confusionē peruersè viuentiū. Itaq; ait: *Cùm venerit filius hominis.* Mihi dices. Iā ipse venerat cinctorio nostræ carnis circūdatus. Recordare velim, quòd erat iterum vêturus, priùs enim venerat in forma serui, & cum summa humilitate ad saluandum nos. iuxta illud Ioānis: Non venit vt iudicet mundum, sed vt saluetur mūdus per ipsum. Et quotidie veniens, pias fidelium mētes inhabitat, dono cœlestis gratiæ eas iustificās. Vndè sanctus Iob dicebat: Si venerit ad me, nō videbo eum: qui venturus est iudicare seculum per ignem. Tunc (ex sententia Ioannis) arguet mū-

Ioan. 14.

Ioan. 12.

Iob. 19.

Ioan. 16.

dum de peccato, iustitia & iudicio. Cùm autē
 impresentiarum esset de eo aduentu nouissimo
 loquutus Euāgelista, in quo veniet Christus in
 maiestate sua, & erit multum mutatus ab illo,
 qui in præsēpio inter animalia iacuit, vel quan-
 do inter homines cōuersatus est, habitusq; fuit
 nō modò tanquàm eorum nouissimus, verum
 etiam vt nebulo perditissimus, iniustam quoq;
 mortis sententiam excepit: qui tamen erat Deo
 charus & ab omni crimine purus. Tunc appa-
 rebit in sua maiestate, supremus angelorum &
 hominum dominus: ob cuius reuerentiam cir-
 cūm circā astabunt angeli eius, quē cuncti ho-
 mines, velint nolint, siue læti, siue tristes vi-
 debūt. Non caret latenti mysterio, q̄ dictus nō
 est filius Dei, sed hominis. Ex eo sanē error illo-
 rum destruitur, qui dicere ausi fuerunt, filium
 Dei cum sola maiestate diuinitatis reuerfurū,
Psal. 97 vt orbem terræ iudicet in iustitia, & populos
 in veritate. Recordetur velim, eum die resurre-
Ioan. 20 ctionis, in medio discipulorum astitisse, quādo
 Thomas non erat cum illis. Cui dixerunt con-
 discipuli: Vidimus dominum, & respōdit: Nisi
 videro in manibus eius fixuram clauorum, &
Ibidem. mittam digitum meum in latus suum non cre-
 dam. Ne periret incredulus manens, post dies
 octo Christus iterum apparuit illis, atq; corpus
 suū prout fuerat in cruce clavis perfoſsum pal-
 pare

pare monuit. Cum eodem corpore, post dies
 quadraginta à sua resurrectione numerandos,
 ipsis supernè cernentibus cœlos ascēdit, quibus *Marc.*
 ab angelo nūtiatum fuit: Quemadmodū vidi- *ultim.*
 stis eum, ascendētem in cœlum, ita veniet. Cum *Act. 1.*
 corpore ascendit & cum eodem reuertetur. Id-
 circo pulchrè dictū est: Cūm venerit filius ho-
 minis. His adde, quòd si humani corporis sub-
 stantiam ab eo submoueres: iam dicendus non
 esset hominis filius, sed tātūm Dei vnigenitus.
 Quòd sit cum vtrāq; natura ad iudiciū ventu-
 rus, testantur scripturæ sacræ. Ait enim Ioānes:
 Videbunt eum in quem transfixerūt. Et Esaias *Ioan. 19.*
 inquit: Vidi dominum sedentem super solium *Esa. 6.*
 excelsum, & plena erat omnis terra maiestate
 eius: Cur veniet, nisi vt accipiat regnum quod *Esa. 7.*
 non corrumpetur, & potestatem quæ ab eo
 non auferetur? aduentum eius tot & talia præ-
 cedent prodigia, quot & qualia ab initio mun-
 di non fuerunt visa. Erunt enim terræmotus
 per loca, pestilentia, fames, bella, seditiones *Luc. 21.*
 hominum præ confusione sonitus maris & flu-
 ctuum, & terrores magni, Quoniam in cœlo
 apparebunt signa in sole, luna, & stellis: & quo
 tempore hæc omnia fient nemo planè nouit.
 Nempe si Deus tale secretum aliquibus reuela-
 re voluisset, istud discipulis eum rogantibus
 quando hæc fient reuelasset. Quibus respōdit:

Act. 1. Non est vestrum nosse tempora & momenta, quæ Deus pater retinuit in sua potestate. Verum tamen in sacris literis multa habentur, ex quibus diem aduentus filij hominis proximum esse suspicari possimus. Multa enim ex his quæ prophetæ prædixerunt, & in figuris contigerunt impleta esse nouimus: quorum duo præcipua referamus. Vnum est sicut ignis ante faciẽ Christi præceder, & inflamabit in circuitu inimicos eius, & arescent homines præ sonitu maris, & fluctuum: istud etiam ex historia Loth, & iusti Noë colligitur: Ignem scilicet & aquas ad perditionem hominum impiè viuentium cœlitus emissa. Vterq; iustus erat, atq; præco iustitiæ domini cõstitutus, & fuit ab impiis explosus atq; derisus. Ad Sodomitas veniamus, quos vitæ honestatem seruare & pœnitentiã agere monuit *Ibidem.* pius Loth. Cui responderunt: An tu homo aduena, in terram nostram ingressus es, vt nos doceas ac iudices? Si pergas eo pede quo cœpisti ambulare, te ipsum multo magis quàm omnes alios affligemus. Itaque sanctas exhortationes eorum qui indignationem Dei imminere nunciabant contempserunt, scelera multiplicantes, cibo atq; potu stomachum grauabant, vt iuxta carnis appetitum rei vxoriæ lubricosius vacarent, & filios atq; filias nuptui dabãt, amplissimas domos ædificabant, pomaria arboribus diuersis

diuersi generis ornabant. Quòd scelera patra-
 re non cessarint, ignis è cœlo descendit, & hos
 omnes deuorauit. Mihi dices: Cùm ad generis
 humani conseruationem edere, bibere, vxores
 ducere, filios & filias procreare, & nuptui dare
 necessariũ sit, cur his de causis arguuntur? Nón-
 ne Deus cibos & potus ad vitæ vsum creauit, &
 cuncta pedibus hominum subiecit iuxta illud:
 Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues, boues, *Psal. 8.*
 peccora campi, volucres cœli, & pisces maris.
 Et ex sententia Pauli: Matrimonium est hono- *Hebr. 13*
 rabile, & fuit diuina ordinatione institutũ. Cur *Gene. 2.*
 ergo hæc commemoratur, quasi essent suppli-
 cio digna, nisi quòd Sodomitæ non sint legiti-
 mè istis vfi, verũ pessimè abusi? Ideo fuerunt
 causæ perditionis suæ. Vt dictum est, superfluè
 edebant & bibebãt, quò ardor libidinis cibo &
 potu inflamatus in illis abundaret. Quæ enim
 sunt re ipsa legitima, ex incidentibus causis vi-
 tiosa fiunt. Quòd autem iniquitas Sodomitãrũ
 ex abũdantia panis & otio ortum habuerit, te- *Eze. 16.*
 statur Ezechiel. Quidquã parũ dissimile, tẽpo- *Gene. 6.*
 ribus iusti Noë obtigit, vndè legitur filios Dei
 vidisse filias hominum pulchras esse, quas spre-
 ta ratione totius honestatis, loco vxorum ac-
 ceperunt: quorum iniquitates Deus horribili
 supplicio ex inũdatione aquarum deleuit. Nũc
 verò actus carnalium hominum hodie viuẽ-

tium, ad mores illorum cōferamus, quos Deus igne & diluuiο deleuit: procul dubio inueniemus mores & actus eorum cōformes esse: & inter eos vitia regnare quæ Paulus circa finē mūdi vētura prædixit. Ait enim: in nouissimis diebus erunt homines seipfos amātes, blasphemi, parentibus inobedientes, ingrati, in omnibus viis suis inconstantes, arcanorum proditores, voluptatum amatores, speciem pietatis simulantē, sed virtutem illius abnegātes, & quotidie è malo in penis proficiētes, non solum à veritate deuij, sed alios inducere in varios errores cupidi. Istis adde q̄ Petrus testatur eos audaces, sibi placētes, nouas sectas introducere non metuentes, in conuiujs luxuriantes, cor ad omne malum procliue habentes, & auaritia excœcatum. Iam enim præcesserūt bella, seditiones, pestilentia, fames, & maximi terrores in cœlo apparuerunt non nihil infortunij præsa-gientes. Propterea regnare non cessarunt scelera, quæ temporibus Loth & Noë regnauerant: Quibus abolendis ignem è cœlo & aquarum abundantiam Deus misit: sūntq; mores huius seculi ex toto deprauati. Ex istis coniectari possumus diem iudicij proximum esse, & Deum prophetas suos Enoch & Heliam è cœlo misurum: vt sint præcones vltimi aduētus. Quotquot seculo dediti sunt, vocem eorum non audient,

dient, sed illos persequentur, ingentes diuitias
 cumulabūt, quarum adminiculo tranquillam
 ducere vitam & explere animi libidinē spera-
 bunt:& quasi eximprouiso horribile iudicium
 Dei sentiēt. Hæc cōmemorata sunt, vt emēde-
 mus in melius quæ ignoranter peccauimus, ne
 præoccupati die mortis, tēpus pœnitētiæ qua-
 ramus quod inuenire non possimus. Ideo iuxta
 sentētiā domini: Oportet nos operari donec *Ioan. 9.*
 dies est: veniet nox quādo nemo poterit opera-
 ri. Hoc idē sentit Apostolus: Dum tempus ha- *Gala. 6.*
 bemus, operemur bonū. Itē Ecclesiastes quod- *Eccles. 9*
 cūq; potest facere manus tua instanter opera-
 re: quia nec opus, nec ratio, erunt apud inferos
 quò tu properas. Dum valemus perpetuum vi-
 tiis repudium faciamus: ne si ad ea reuertamur,
 nobis cōtingat re ipsa quod sub enigmatē vxō
 ri Loth contigit, quæ retro aspiciens, in sta- *Gen. 19.*
 tuam salis cōuersa fuit. Vitia declinantes in do-
 mino speremus, qui nobis aderit, ne in die ma-
 la percamus, in qua peribunt qui manu aratro
 admota, ad tergum respiciēt. Vt mundi malitiā
 vincamus, & fastū præsētis vitæ magis excre-
 mur, gesta & actus antiquorum patriarcharū,
 apostolorū, martyrū, cōfessorū ob mētis oculos
 ponamus, quorū exēplis vitā nostrā in melius
 cōponamus, vt dū venerit filius hominis nobis
 dicatur: *Respicite & leuate capita vestra, quo-* *Luc. 21.*

niã appropinquat redẽptio vestra. Quid lætius,
 quĩdue desiderabilius audire possemus? Sicut
 lætabimur, ita maxima omnium tristitia repro-
 bos occupabit: quibus tãtillum spei non dabi-
 tur tormẽta euadendi. *Tunc sedebit filius hominis
 super sedem maiestatis suæ, & congregabuntur ante
 eum omnes gentes & separabit eos ab inuicem, sicut
 pastor segregat oves ab hædis.* Circũm circã stantes
 erunt duodecim Apostoli iudices constituti,
 Mat. 19 quibus Christus ait: Sedebitis super sedes duo-
 decim, iudicantes duodecim tribus Israël. Atq;
 cum eo veniente virtutes cœlorũ mouebũtur.
 Tale quĩdpiam videbitur, quale contigit quã-
 do monarcha potentissimus, ad agenda quãdã
 ardua pergens suo exercitu cingitur: pariter in
 circuitu filij hominis erunt angeli eius, & vir-
 tutes cœlorum mouebuntur. Per sedem in qua
 cum maiestate magna sedebit, nubẽ intellige,
 quã cum cœlos ascendentem suscepit, dicente
 Act. 1. scriptura: Sicut vidistis eum ascẽdentem in cœ-
 lum, ita veniet. In confesso est, quando ascẽdit,
 nubem eum suscepisse ab oculis discipulorum:
 ergo eadem nobis illũ restituet. Vt multis pla-
 cet, ex sentẽtia Ioëlis prophete, iudiciũ domini
 in valle Iosaphath fiet: ait enim de eo prophe-
 ta: Congregabo omnes gentes & eas deducam
 in valle Iosaphat decertaturus cum eis. Vt tunc
 læti ante sedem tantæ maiestatis astemus, &
 Deus

Deus nunc nobis peccata condonet, ad vexillū crucis confugiamus, in quo sedes est commiserationis eius: hanc sedem nobis tandiu adire conceditur, quādiu præsentem vitam agimus, & non magis à metuēdo & veraci iudicio eius prouocare ad sedem misericordiæ illius quàm reo liber appellatorius ab inferiori ad superiorē conceditur. Postquam verò fragilis naturæ necessitati cesserimus, & in cōspectu filij hominis sistendi erimus, vt vnusquisque nostrum mercedem recipiat eorū quæ in corpore gessit, appellare non licebit, ante cuius conspectum in momento tam veloci & subitaneo, vt est ictus oculi congregabuntur omnes quarumcūque nationum, temporum, conditionū, graduum, ætatum fuerunt, vt impleatur scriptura dicens: Cōgregate illi omnes gentes. Nemo sanè quātūlibet excelsus, diues, præpotēs, iudiciū eius effugere poterit, iuxta illud propheticum: Non est qui se abscondat à calore eius: quod fiet non humanis quibusdam coniecturis, sed ex rationibus validissimis. Omnes enim iudicabit in iustitia & æquitate, obseruans quod in forensi iudicio fieri consuetudinarium est, in quo partes diuersimodè collocantur, & vtrīque diuiduntur. Et ipse fontes ab innocentibus separabit veluti actores reis opponuntur, vel sicut bonus pastor oues ab hædis setotino tempore dif-

*Ioël. 3.**Psal. 18.**Psal. 95.**Mat. 25*

scernit. Similiter qui vita innocēti & moribus inculpatis vixerunt, diuersas à reprobis māfiones sortiētur. Quare dictum est: Et statuet quidem oues à dextris, hœdos autem à sinistris: id est bonos à malis separabit. Rationem audias velim, cur electi fuere per oues designati, & reprobi per hœdos figurantur. Multus enim est ouium fructus à lacte, lana & carne: sunt in quâ oues naturæ patientis ac modestæ, & sui pastoris vocem audiunt, & eum quouis sequuntur, atque ad mortem sine vlllo clamore pergunt. Ex istis fideles Christi seruos representare debuerunt, quos Christus monuit mansuetudinem seruare, iuxta illud: Discite à me quia mitis sum, & humilis corde. Et quemadmodum fuit tanquàm ouis ad victimam ductus non aperiens os suum, cupit suos in aduersis patientes esse. His ac similibus ex causis, iusti per oues representantur: quòd ex dono gratiæ sint simplices, & in aduersis patientes: contrà hœdi in arboribus, arbutis, & holeribus dignoscuntur esse nocua animalia. Rursus per montium aspera loca & abrupta, nec non inter dura saxa, iter facere & discurrere gaudēt: ad coitum feruent, in circuitu caprarum ambulantes vitiosè lasciuiunt, ob ardorem libidinis fœtorē emittunt, & cornibus inuicē aduersantur. His adde eos in veteri lege pro peccati expiatione offerri, ideo

Ibidem.

Mat. 11.

Esa. 53.

Leuit.

ri, ideo decentissimè peccatores adumbrant.
 Postquam erit omne genus hominum ante fa-
 ciem tanti iudicis & omnium regis, *Tunc dicit*
rex his qui à dextris eius erunt: Venite benedicti patris
mei, possidete præparatum vobis regnum à constitutio-
ne mundi. Rex, cuius noster textus meminit, ille
 est de quo Hieremias ait: Regnabit & sapiens *Hier. 23*
 erit, faciet iudicium & iustitiã in terra: Et hoc
 est nomen quo vocabũt eum: Dominus iustus
 noster. Quiq; ex Ioannis sententia scriptũ de-
 fert in vestimento & femore suo, rex regum & *Apoc. 19*
 dominus dominantium. Ipse primũ iustis in
 dextrum latus collocatis loquetur dicẽs: *Venite*
benedicti patris mei, pro mercede operum vestro-
 rum æternæ beatitudinis præmiũ percepturi.
 Euntes sparsistis semina operum misericordiæ, *Psal. 125*
 veniẽtes afferte manipulos iustitiæ. Possessionẽ
 non transitoriã & temporaneã sed stabilem &
 perpetuò duraturam regni cœlestis apprehẽsu-
 ri, vobis præparatã à cõstitutione mundi. Mihi
 dices: Nondum formati erant, cur ergo dicitur,
 tunc cœleste regnum eis præparatum fuisset? *Apo. 12.*
 Animo reuolue certamen in cœlis inter Mi-
 chaëlem & draconem commissum, in quo nõ
 præualuit draco, sed instar fulguris è cœlo *Luc. 10.*
 cecidit, cum angelis eius, qui fuerant in cir-
 cuitu diuinæ maiestatis tanquam cœlestes mu-
 ri. Vnde quando ceciderunt, visa fuit in cœlo

Pfal. 50 ruina magna, cuius restorationem ex filiis hominum fieri decrevit Deus: Quod spiritu prophético regius psaltes nouit dicēs: Benignè fac domine in bona voluntate tua Syon, vt ædificentur muri Hierusalem. Ideo pulchrè dictum est: Sedem in cœlis à cōstitutione mundi fuisse electis præparatam, qui tunc accipiēt regnum decoris, & diadema variæ speciei de manu domini: cuius dextera tanget illos, & lati in cordibus suis dicent: Dextera domini fecit virtutē dextera eius nos tetigit atq; exaltauit. Nūc certiores facti sumus quod æternū viuemus, mirabilia eius narrabimus, & misericordias illius decantabimus, cuius laus semper erit in corde nostro. In sequētibus refert, pro quibus officiis eos tanto actali præmio dignatus est, inquit: *Esurui, & dedistis mihi manducare, Sitiui & dedistis mihi bibere: hospes eram & collegistis me: nudus eram & cooperuistis me: infirmus, & visitaſtis me: in carcere eram & venistis ad me.* Benignissimus Iustus præmium iustis & tormentum iniustis daturus, nō solūm opera eorum iudicabit, verūm & rationem assignabit sui operis nos erudiens, non temere proximos iudicare: sed antèquàm ad sententiam condemnationis eorū deueniamus, quòd omnia probè discutiamus: ne per nos videātur iniuste damnari. Ideo omni excusatione carebūt, qui sine præuio maturæ inquisitionis

sitionis examine, proximos iudicabunt. Quare iustus dicet: quoniam secundum legis præcepta esurienti panem vestrum fregistis, sitienti, potum dedistis, nudos vestistis, vagos in domum introduxistis, in carceratos consolati estis, infirmos visitastis, & hæc omnia mei favore fecistis, idcirco percipite regnum vobis à constitutione mundi præparatum. In quibus non minus admiremur animum benignissimi Iesu in illos longè propensum, qui misericordiæ opera exercent, quàm eius munificentiâ collaudemus, ex qua pro exiguis operibus, in afflictos impensis, cœlestis vitæ præmium cõfert. Omnia enim quæ in præsentia vita agere possumus, si magnitudini gloriæ quæ reuelabitur in nobis collata fuerint, habenda sunt longè imparia, & multò magis eius largitati, quàm nostris meritis assignanda. Itidem de tolerantia malorum dicas. Vndè Paulus: Non sunt cõdignæ passiones hu- *Rom. 8.*
 ius seculi, ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Itaq; manentes stupidi super tâta humanitate benignissimi Iesu, respondebunt dicentes: *Domine quando te vidimus esurietem & pa-
 uimus? sitientem & dedimus tibi potum? quãdo autem
 te vidimus hospitem & collegimus te? aut nudum &
 cooperuimus te? aut quando te vidimus infirmum, aut
 in carcere? Et respondens dicet illis: Amen dico vobis
 quandiu vni de his fratribus meis minimis fecistis, mihi*

fecistis. In promptu est intelligentia eorum quæ Christus dicere intendebat: nimirum in omni paupere esuriens pascitur, in sitiens potatur, in hospite colligitur, in nudo vestitur, in infirmo visitatur, in incarcerato consolatur. Cum ipse opera misericordie externum hominem concernentia tantum commedarit, subinferamus alia, quæ internum hominem respiciunt esse penes eum omni laude digniora. Itaque amantiissimi, studeamus fratrem spiritu pauperem spirituali cibo intelligentiæ scripturarum cibare: & aqua sapientiæ salutaris potare virtutibus: nudum sanctis exhortationibus vestire: in heresim lapsum, ad Ecclesię gremium reuocare: infirmum in fide, in via veritatis continere: ad tempus supportare, carnali concupiscentia impurum, & quasi in tenebroso carcere inclusum, salutaribus doctrinis ab impia seruitute libidinis reuocare. Huiusmodi misericordie opera Deo multum grata, nobis erunt quasi faces per semitas iustitię coruscantes: quæ alia corpus concernentia tanto præcedunt interuallo, quanto ortus solis distat ab occidente. Nos ea parare nobis monet Ecclesiastes, quoniam in die indignationis domini, multo magis quam diuitiæ abundantes & diu conseruata nobis proderunt. Hæc enim sunt, quæ filios Dei iustificat, & quantum sit inter eos vel illos discriminis discernunt. Pro quibus
 immar-

immarcessibilis gloriæ corona dabitur. Tãdem
 benignissimus Iesus se ad alios sinistrum latus
 tenentes vertet dicens illis: *Discedue à me male-*
dicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo &
angelis eius. Esuriui enim & non dedistis mihi man-
ducare, Sitiui & non dedistis mihi potum, hospes eram
& non collegistis me, nudus, & non cooperuistis me,
Infirmus, & in carcere & non visitaistis me. Quàm-
 primùm seuera vox sententiæ domini in eos
 prolata fuerit, qui misericordiæ opera nõ exer-
 cuerunt, & per immites angelos audita, ipsi tan-
 quam iustitiæ illius ministri miseros peccato-
 res à facie illius expellentes in exilium, non mo-
 dò perpetuũ, verum & plusquàm criminofum
 proscribent ac deducunt, scilicet ad inferni no-
 uissima, vbi erit fletus & stridor dētium. Væ er-
 go illis, qui tanta tamq; graui comminatione
 damnationis æternę non terrētur, quibus tunc
 præclusa erit omnis fuga aut dilationis termi-
 nus. Ad obiecta vel crimina repellenda, non
 audientur supplices, vt merita causarum rursus
 dispiciantur. Ibi enim omnia sine terminis ab-
 soluētur, & irretractabilis erit iusti iudicis sen-
 tentia. Vnum mihi considera, quod Christus
 pios alloquutus sui patris meminit dicens: *Ve-*
nite benedicti patris mei, & impiis loquutus
nomen illius subticuit. Cũ enim Deus pa-
 ter sit totius benedictionis dator & gloriæ lar-

Mat. 22

Luc. 13.

gitor, quem iusti assequuntur, mentionem de illo fecit: quòd autem homo peruersè viuens solus sit suæ perditionis author (quod testatur *Osea. 13* propheta Ozias dicēs: Perditio tua ex te Israël, auxilium tuum tantum ex me) nomē paternæ dignitatis Christus suppressit. Cui respōdebūt: *Domine quando te vidimus esurientem & sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum & in carcere & non ministravimus tibi?* Tunc ipse negligentias illorum dinumerās, narrationis formulam utcūque præscindet sub his verbis: *Infirmus & in carcere, & nō venistis ad me. Ex istis nos docuit munus æquissimi iudicis esse proborū hominū benefacta abūdanter collaudare & prædicare, & aliorum malefacta, tanquam auditu indigna, quasi transeūter recensere, vel obliuisci, aut quadā excusatione velata obtegere. Cui respondebunt: Quando te vidimus esurientem &c. quibus ait: Amen dico vobis quandiu non fecistis vni de minimis his, nec mihi fecistis. Et ibūt in ignē aternū.* Ex domini responso, erunt cōfusi dicentis: Vos non latuit ex lege, proximis in necessitate constitutis benefaciendum esse, quoniam illud facere neglexistis, idcirco ite in ignem aternum. Cur dominus de supplicio damnatorū loquutus, de aternitate ignis obstinatos peccatores comburentis loquitur, nisi ad differentiam alterius, qui in statu gratiæ decedentes & in purgatorio

gatorio manentes, pro mundanis quibuslibet
 labeculis ad tempus illos affligit. Vt tãdem pu-
 rificati, ad sydereas mansiones euolent, de qui-
 bus loquitur Paulus dicens: Saluabuntur, sed *i. Cor. 3.*
 quasi per ignem. Tũc miseri sinistrum latus te-
 nentes, vltro citrõq; respiciẽt, si quem nancisci
 poterũt, qui eis auxilio sit: qui neminem inue-
 nient. Quisque eorum gemens intra se hæc di-
 cet: Ego miser quò me vertam, quò fugiã à fa-
 cie domini? Si ascẽdero in cœlum illic est, si de- *Psal. 138*
 scendero ad infernum adest. Si sumpsero pēnas
 diluculo habitaturus in extremis maris, illuc
 me inueniet dextra eius. Sursum aspiciẽs iudicẽ
 iratum, videbit arcum tenentem & sagittas suas
 tãquã vasa mortis ardentibus infectas. Deor-
 sum verò prospiciens, ardẽtem caminum ignis
 inferni intuebitur. A dextris stabunt iusti cum
 magna animi constantia, eos accusantes quòd *Sap. 5.*
 se angustiarent, & labores suos abstulerint: dæ-
 mones à sinistris erunt facti criminum accusa-
 tores. Et ipsi vermem cõscientiã sentient intus
 stimulantem. Tunc sicut prius iniustitiam cõ-
 ceperunt, ita tunc dolorem parient, & vitæ tur-
 piter actẽ eos pœnitebit. Sed frustra: quòd tem-
 pus miserationum domini præterierit: ideo de-
 trudentur in fornacem ignis, à quo nunquam
 erit liberatio. Hæc audiant impœnitentes, ac
 memoriã mandent se in supplicium æternum

protrahēdos qui charitatis opera in proximos non exercuerunt. Quid ergo de illis fiet, qui flagitia & dictu & auditu horrenda commiserunt? Audiētes ipsi iudicium illorum nimis seuerum, qui in proximos liberales non fuerunt ex eo pensitent velim, quale sustinebunt, qui, dolo & fraude aliena vsurparunt. Si inquā prophana auarè retinentes semper ardebunt, quali pœna ipsi punientur, qui sacrilegia cōmittunt? Procul dubio supplicium æternæ damnationis grauissimum patientur: & erit pro peccatorum mēsurā plagarum modus. Quotquot ad infernum deducuntur, erūt à facie Dei perpetuò exules. Sed iuxta corpus plus aut minus pro discretionē malefactorum punientur: iusti verò ad beatam vitam euolabunt, ad quam peruenire optabat Psalmista dicens: Vnam petij à domino hanc requiram, vt inhabitem in domo domini & visitem templum eius.

Dent. 25

Psal. 26

*Feria tertia post primam dominicam
Quadragesimæ. Matthæi secundo.*



um intrasset Iesus Hierosolymam commota est vniuersa ciuitas dicens: Quis est hic? Paucis diebus ante passionis mysterium voluit benignissimus Iesus paulum honoris & gloriæ mundi velut gustare, &

re, & illum sibi ab ea gente exhiberi, à qua erat paulò pòst verecundè capiendus, & crudelissimè perimendus: quo nobis notum esset, mundi gloriam sibi non defuturam, si illam prosequi voluisset. Quare vectus asello animali mansuetissimo, ad ferendum omne onus parato, & circa humeros signum crucis vt plurimum ferente, est Hierosolymam ingressus in typum quòd venerat lignum crucis super humeros baiulans peccata nostra portaturus & expiaturus. Iterum Zachariæ prophetiam consummauit dicentis: Filiaë Sion, ecce rex tuus tibi venit mansuetus, sedens super asinam & filium subiugalis. Amantissimi, audientes Iesum præceptorem nostrum gloriam mundi spreuisse, & solùm quasi in transgressu illam gustasse, qui solus omnium supremam gloriam promeruerat, consyderemus qua excusatione sese tuebuntur illi ac defendent, qui eius discipulatum profitentes, illam indefesso animo ambiunt. Ipse tandiu asello vectus inambulauit assistentibus discipulis, quoad radicem montis Oliueti ventum est: vbi numerosa hominum turba è ciuitate egressa, cum maximo fauore illi obuiam venit. Nonnulli eorum vestibus suis se spoliarunt, & viam illi constrauerunt: alij autem ramos ex arboribus inciderunt & in viam prostrauere,

Mat. 21

Ioan. 12.

Mar. 11.

Luc. 19.

Zach. 9.

ommo-
nis est
is my-
s Iesus
gusta-
re, &

runt: turba præcedens & eum sequuta, laudum carmina resonabat, Deum mirificè collaudans pro virtutibus, quas ab eo editas fuisse cognouerat. Ciues verò Hierosolimitani illum viderant semper ingloriū fuisse, humiles quoq; discipulos elegisse, vndè mirabantur videntes eum in comitatu longè solenni, & cum pompa non solū admirāda, sed etiam stupenda ciuitatem ingredi. Quotquot in eū oculos conuertebant, eis luxit maiestas vultus eius, tantò splendidiior, quantò ipse dignitatem omnium huius mundi monarcharum post se reliquit. Et inuicem dixerunt: Quis est hic, cui tantum honoris à populari turba defertur? Qui illum præcedebant & sequebantur, si de maiestate eius plane informati fuissent, utiq; illis respōdissent, quòd

Psal. 23. in psalmo Dauidis habetur: Ipse est dominus virtutum & rex totius gloriæ. Verū quædam de illo mediocria tantū conceperant: quare de eximio propheta loquuti sunt, respōdentes illis: Hic est Iesus propheta à Nazareth Galilee. Quid mirum si mirabatur omnis populus, dicens: Quis est hic? cū habeas de eo quidpiam mirabilius, scilicet dum est cœlestem ingressus Hierusalem angelos dixisse, Quis est iste qui venit de Edom, & tinctis vestibus de Bosra? quā formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ. Quibus respondit: Ego sum qui lo-

qui loquor iustitiam, factus propugnator ad *Esa. 63*
saluandum. Populus illis respondens ait: hic
est Iesus propheta à Nazareth Galileæ. Hæc re-
ferens credidit se illi tantum honoris deferre
quâ tum meruerat, verum id erat longè inferius
eius maiestate omniū dignissima. Cùm enim
ipse sit Deus Deiq; filius, hominum vocibus &
angelorum choris satis commendari non po-
test. Si quæ illi tribuerunt in sensu mystico in-
terpretari voluerimus, aliquid sub illis multum
commendabile latens esse proculdubio inue-
niemus. Primùm quid sonat vocabulum Iesus,
nisi saluatorem? Cui magis nomen seruatoris
quàm illi conuenit, qui in mundum venit sal-
uare populum suum, & purgare à peccatis eo-
rum? Antequàm è cælo in uterum virginis de- *Matt. 1.*
scendisset, istud nomen illi diuinitus inditum
fuit, & ab angelo pronunciatum, prius quàm conci-
peretur. Rursus eum prophetam nominarunt
sine alio eius dignitatis vel conditionis addita-
mento, ad insinuandum nobis, se loquutos fuis-
se, non de quouis propheta vulgari, sed de pro-
phetarum supremo & omniū dignissimo, què
venturum promiserat Moyses dicens: Prophe- *Deut. 18*
tam de fratribus vestris suscitabit vobis domi-
nus, ipsum tãquàm me audietis. Qualem eum
nominarunt, talem seipsum esse agnouit sub his
verbis: Nò est propheta sine honore nisi in pa- *Luc. 4.*

- Luc. 13.* tria sua. Et iterum: Non oportuit prophetam perire extra Hierusalem. Itidem professi sunt
- Luc. 24.* discipuli in castellum Emaus pergentes, cum quibus ambulavit, & ait illis: Qui sunt hi sermones quos cōfertis adinuicem & estis tristes? Responderunt de Iesū Nazareno, qui fuit vir propheta, potens sermone & opere. Et meritò prophetam nominavit: quia nomen prophetae nemini iustius quàm illi competit, qui non solum præterita & futura prædixit, sed vniuersarum cogitationes nouit, & nonnullas earum opportuno tempore detexit. Vndè Iudæis dicebat: Quid mala cogitatis in cordibus vestris? De quo alibi legitur: Videns Iesus cogitationes eorum dixit: Omne regnum in se diuisum desolabitur. Insuper prophetiæ donū habuit multò abundantius cæteris omnibus prophetis. Rursus est ille in quem omnes prophetarum prædictiones conueniunt: ideo aptè admodum populus respondit: Hic est Iesus propheta cū additamēto sequēti, à Nazareth Galileæ. Sicut enim Nazareth flos interpretatur, ita illum adumbrat, de quo legitur, Stirps Iesse virgam produxit, quoniam à stirpe Dauidica Dei genitrix genus duxit: quæ florem id est Christū genuit, super quem spiritus altissimi requieuit.
- Esa. 7.* De quo Esaias: Egredietur flos de radice iesse, & requiescet super illū spiritus domini. Quē admodum

admodū flos agri mirificè flagrās cōmendatur, ita Christus q̄ suauitatē odoris omniū virtutū spiret & vbique diffundat, est omni laude dignissimus, atque propheta floridus nominari meruit. Videamus quid ciuitatē ingressus ipse egerit: imprimis templum adiit, vndē sequitur: *Et intrauit in templum.* Id obseruans quod generoso adolescenti ciuitatem ingresso verè natiuū est, & fermè ingenitum, scilicet paternam domum adire, ne nesciat an cuncta à tempore sui recessus prosperè cessissent. Item vt nos informaret, quoties in urbem procedimur nostrarū rerum agendarum gratia, causa purē precationis templum adeundum esse, vt deinde quæ agenda occurrunt, cum Dei adiutorio exequamur. Rursus episcopos docuit templi curā habere, & circum circā prospicere, si quid in eō cōmittitur, quod illud dehonestet. Prospiciens benignissimus Iesus in templo fori speciem exerceri, fuit maxima indignatione commotus, *Et eiciebat omnes vendentes & ementes in templo, & mensas nummulariorum & cathedras vendentiū euerit.* Imagine quadam ob oculos nostræ mentis depingens nihil indignius esse quàm in domo Ecclesiæ militantis, (de qua legitur: Domū *Psal. 92* tuam decet sanctitudo domine in longitudinē dicrum) videre quidquàm turpe & indecens fieri: quā externæ sordes non tam prophanant,

aut animalium stercora maculant, quàm vitia
 turpis quæstus & auaritiæ fordidant. Cùm ipse
 indignum duxerit oues & pecora in illo vendi
 quod nouerat paulò pòst à Romanis demoli-
 tum iri, quantò ferret hodie indigniùs, prospici-
 ciës scelera in ea domo patrari, in qua eius pre-
 ciosum corpus seruatur? Neque solum à tēplo
 omnes qui vendebant, aut emebant eiecit, ve-
 rùm etiam cathedris assidētes & nummularios,
 atq; mensas eorum euertit. Aliud multum me-
 morabile nobis refert euangelista Marcus, sci-
 licet quòd vas per templū deferri non permisit.
Mar. 11. Et vendentibus columbas ait: *Auferte ista hinc,*
Ioan. 2. *Et nolite facere domum patris mei, domum negotiatio-*
nis. Ex quibus in vnum collectis manifestò ap-
 paret, illos ei multum displicere, qui templum
 militantis ecclesię prophanant. Scire cupis vn-
 dè perniciofa cōsuetudo ista vendendi in tem-
 plo oues ortū habuerat? Astruitur sanè proba-
 bilium virorum testimonio, ab auaris sacerdo-
 tibus excogitatā fuisse. Erant enim turpis qua-
 stus appetentissimi, & nouerant ex lege omnes
 de populo Israël teneri ter in anno cum mune-
 ribus in cōspectu Dei apparere. Venientes au-
 tem in templum ex longinquis partibus & vi-
 ctimas non afferentes eo prętextu se excusabāt,
 quòd boues, capras, arietes, hœdos, passerres, co-
 lumbas, turtures, & alia seu pecora seu altilia ad
 vsum

vsu sacrificij destinata secum adducere non poterāt: vt cessaret omnis excusatio eorum, sacerdotes prædam loco victimæ in populo Dei agere cupientes, istos vendentes & ementes in templo instituerāt, quibus victimas omnis generis venundederant & nummularios illis supposuerant, quo à longinquis partibus veniētes cessante omni excusatione munera offerrent. Ex ea insigni fraude excogitata, duplex commodum reportabant, vnum ex sedibus locatis venditoribus animalium & auium, aliud ex eo quod quicquid emptū erat, in peculiates vsus eorum conuertebatur. Cū illos præ omnibus deceret decorem domus Dei diligere, ne Deus cum impiis eos perderet, & venientes in templum inducere deberent, Deo puras preces offerre: quæ non curabant turpis quæstus appetentissimi. Rursus nouerāt in lege scriptū esse: Non erit mercator in domo domini. Et *Zac. 14.* Psalmista ait: Quoniam negotiationem nō cognoui, intrabo in potētias domini. Et propheta illos execratur, qui pecuniam dant ad vsurā, *Psal. 70.* & munera super innocentem accipiūt. *Psal. 14.* Ex istis eos decuit hominum in templo vendentium atq; emētium turbam cum sceneratoribus suis eiicere: contrā eos instituerāt & supportabant. quare Christus flagello ex funiculis facto omnes eiicit. Iphis præsentibus, & nihil vel mini-

mum contradicentibus, quanquam sciret inde
 lucra eorum minui, sed flagello Christi parue-
 runt. Stātes in templo cruori sanguinis anima-
 lium & sāvitiæ assueti, eadem passi sunt. Quid
 ergo audiri potest præsentī miraculo excellen-
 tius ac magis stupendum? Ideo parere ei neces-
 sarium fuit, quod ignem, fulgur, ac quid ierenū
 in oculis eius rutilarit, vel in tota facie tāta ma-
 iestas reluxerit vt cōtradicere ausi non fuerint.
 Hīc quærunť multi, quod nam inter plurima
 Christi miracula, haberi debeat omnium lon-
 ge maximum? Sūt qui Lazari resuscitationem
 credunt illud esse: alij cœci nati illuminationē
 præferunt: nonnulli aquæ in vinum conuer-
 sionem mirificè laudant: plerique mirantur fa-
 ctam in monte Thabor corporis Christi trans-
 figurationem. Istud mihi videtur multò mira-
 bilius illis omnibus. Testatur Christus se in mū-
 dum nō venisse vt dominetur, sed vt ministret,
 & inter discipulos stetit tanquā minister: vnde
 videretur aduersus peccātes in templo, ma-
 gistratum agere non debuisse. His adde quòd
 aliās rogatus inter duos fratres hereditatem di-
 uidere, respondit. Quis me inter vos iudicem
 constituit? Illud verò non minus decens erat,
 quā flagellum facere, vendentes à templo
 eiicere, atque nummulariorum æs expandere.
 Cur ergo qui ab vno abstinuit aliud egit, qui
 non

Matth.
 20.

Luc. 12.

nō plus pro vno q̄ pro alio à patre missus fuerat?
 Dicendū est, quòd specialius venerat super san-
 ctum montem Sion præceptum legis nuncia- *Psal. 2.*
 turus. Quare illum decuit templum visitare, &
 illud seruare ab omni spurcitia & sorde purif-
 simum. Ideo qui fratrem iudicare & legiti-
 mam hæreditatis suo fratri reddere vel assigna-
 re noluit, in prophanatores templi magisteriū
 exercuit, non iuxta vulgarem priuati hominis
 vacationem, sed ex diuino spiritu: qui in pro-
 fligandis cum quadam violentia impietatibus,
 aliquando sanctissimis viris infusus fuit. Vndè
 Moyses excusatur, quòd prius quàm fuerit po- *Exod. 2.*
 pulo Dei præfectus hominem Ægyptium oc-
 cidit, Helias quoq; qui sacrificulos idoli Belial *4. Reg.*
 trucidauit: ea ratione Christi opus commen- *22.*
 datur. Tam enim abest vt sit temerariū, vt fue-
 rit non modò heroicum, sed etiam planè diui-
 num, tanquàm ex iustissimo impetu perpetra-
 tum. Quod paulò pòst scripturarum testimo-
 niis confirmauit ipse, & miraculis multiplici-
 bus comprobauit: atq; in præsentia ad scriptu-
 ræ authoritatem confugit, & dixit eis: *Scriptum*
est: Domus mea, domus orationis vocabitur: vos *Esa. 56.*
autem fecistis illam speluncam latronum. Quid aliud
 est spelunca latronum, nisi quoddam diuerso-
 rium, in quo latrones ea occultant, quibus ho-
 mines occisos spoliarunt? Illi mysticè domum

Dei speluncam latronum faciūt, qui ea in proprios vsus conuertunt, quæ sunt pauperibus, ne pereant nimia egestate oppressi, distribuenda: & omne studium animi eò impendunt, vt suis affectibus carnalium desideriorum amicis cõplaceant. Quibus nutriendis quæstus amplissimos profundūt, & ex sacerdotiis lac emulgent quæ aliquando venum exponunt, quasi nesci-

1. Cor. 3.

rent Apostolum dixisse: Qui templū Dei violarit, disperdet illū Deus. Longè grauiori pœna plectendi sunt illis quos Deus à templo eiecit. Cur iudicium & iustitiam facere in templo in-

Ezec. 9.

cipit Christus, nisi quòd scriptum esset: incipe à sanctuario Dei? Et obseruauit quod prudens physicus hominem variis infirmitatibus laborantem visitans facere solet, quòd totius morbi originem noscat, & radicem illius amputari possit. Nobiliora corporis membra principit tangit ac perscrutatur, ex quibus ad alia descendit. Similiter pij pastoris munus est templum adire & introspicere si sacerdotium illius fuerit vita innocenti & probis moribus, quoniam si peruersè vixerit, fides populi paulatim marcescet. Quidpiam simile in arboribus & arbutibus cernere licet, si ea videris esse foliis pallentibus, rectè iudicabis aliquid vitij circa radicem illarum inesse. Similiter vbi sacerdotium est vitium corruptum, populus vt plurimùm cernitur in-

discipli-

disciplinatus. Et meritò quidem quos inuenit
 Christus vendentes in templo eiecit: quoniam
 sine Dei offensa, suas negotiationes in templo
 non exercebāt: quò fallacibus verbis maximas
 opes congererent se mutuò fallebant audacter
 mentientes. Et Deus in criminis pœnam non
 rarò permittit diuitias illorum nō esse stables,
 sed ipsis viuentibus perire, aut per malos hære-
 des prodigè dispēsari, aut fraude excogitata ad
 extraneos venire, fiuntq; ipsi paleis perfimiles,
 à quibus optima grana flagello concussa extra-
 huntur, & vitiosa in illis remanent. Ipsi pariter
 assiduis laboribus atterūtur, vt in mundo diui-
 tes fiant: quando ab humanis recedunt, nihil
 secum præter peccata stercorebus viliora repor-
 tant, & relinquunt alienis diuitias modis illicitis
 acquisitas, & eos tātum manet sepulchralis
 fouea, quia domum Dei fecerunt speluncā la-
 tronum. Mirari posses audiēs Christum dicen-
 tem domum Dei patris suam esse, nisi animo
 reuolueres quod ipse in euangelio Ioānis patri
 dicebat: Omnia tua mea sunt. Et alibi legitur: *Ioan. 17.*
 Quæcūq; sunt Dei patris, eadem esse filij eius.
 Cur voluit Christus templum Iudæorū mirifi-
 cè seruari nisi quòd militantis Ecclesiæ figura
 fuerit, & quædam præcipua in eo seruabantur,
 quæ tantum erāt rerum sacrarū militantis Ec-
 clesiæ figuratiua. Aliquot referamus, & ea no-

stris rebus sacris conferamus. In eo sanè recon-
 dita erant candelabrū, mensa p̄positionis pa-
 num, aureum thuribulum, vrna cōtinens man-
 na cœlitus demissum, virga Aaron, tabulæ te-
 stamenti, duo Cherubim desuper propiciato-
 rium claudebant. *Hebr. 9.* Quid per candelabrū repræ-
 sentatur nisi fides piè credētium, ante dominū
 semper lucēs? Quid mensa p̄positionis panū,
 nisi altare nostri saluatoris sacrificij? Quid au-
 reum thuribulū nisi orationes sanctorū? *Iuxta*
Apoc. 8. illud Apocalipsis, Ascendit fumus aromatū in
 conspectu domini, de manu angeli thuribulū
 tenentis: quod ibidem interpretatū extitit ora-
 tiones sanctorū. Quid māna cœlitus demissum,
 vel propositio panum, nisi preciosum Christi
 corpus? Quid tabulę testamenti, nisi sancta Dei
 euangelia? Quid duo Cherubin, nisi sanctorū
 imagines? Quid inquam virga Aarō nisi crux,
 in qua Christus nos redemit? Hęc autem sunt
 quę in figuris contigerunt, & iuxta rei veritatē
 penes nos hodie sunt. Ideo templum militantis
 Ecclesię tantò reuerentiùs apud nos habeatur,
 quanto veritas figuram præcellit. Et quemad-
 modum rex Salomon cōsummato templi ædi-
 ficio, hęc omnia suis in locis decēter deposuit,
3. Reg. 12 dominum precatus si populus in eo illum ora-
 uerit quādo clausum fuerit cœlū, & subsequen-
 ta annonę sterilitas, seu enata ex corrupto aëre
 pestilentia

pestilētia vt eum exaudire dignaretur: similiter
 intra templum militantis Ecclesiæ Deum pre-
 cemur, in qua cū omni reuerentia seruetur pre-
 ciosum Christi corpus, & veneratur sanctę cru-
 cis vexillum atq; sanctorum imagines. Deniq;
 populo sancta Dei euangelia nuntiantur: quæ
 nos docent primū quærere regnum Dei, & fa- *Matt. 6.*
 cere iustitiam eius. Precemur inquam illum, vt
 mala humeris nostris impendētia à nobis auer-
 tat. Nisi hæc omnia sollicitè obseruemus, valde
 timendum est, ne nobis eueniat quod Iudæis
 Dei honorem negligentibus nuntiātū fuit. sci-
 licet auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur *Mat. 21*
 genti fructū illius facienti. Quod Christus ver-
 bis pronunciauerat dicens: *In iudicium veni, vt* *Ioan. 9.*
videntes non videant, & qui cæci sunt videāt. Reipsa
 compleuit quando *accesserunt ad eum cæci &*
claudi & sanauit eos. Imprimis dicamus cur post
 prodigiosa opera, illico edere miracula voluit.
 Istud sine causa rationabili ab eo factum fuisse
 non credamus. Nimirum decuit virtutem eius
 maiestatis per opera, tum externa tum interna
 approbari: vt iuxta doctrinam Pauli, Fides no- *1. Cor. 2.*
 stra nō solūm esset eius sermone testificata, ve-
 rum etiam ostentatione spiritus sancti ex mul-
 tiplicibus miraculis comprobata. Iterū nos do-
 cuit quid futurum esset Iudæis & hominibus
 æthnicis. Iudæi de lege gloriabantur, & quasi

FERIA III.

clarè videntes aliis ducatum præbebant quos malitia excæcavit. Æthnici verò hæctenus in tenebris vitiorum ambulantes, quia ad Christũ accefferunt, lumen fidei receperunt. Nos qui iniquitates nostras hucúsq; prolongauimus, si à vitiorũ tenebris expurgari velimus, ad Christũ accedamus, qui cæcos illuminauit, & gressus nostros per vias mandatorũ eius dirigamus, *Psal. 118* iuxta illud Psalmistæ: Et ambulabam in mādatis tuis quæ dilexi nimis, Quotquot enim legē Dei non seruāt, & in templo vel alibi indecora committunt, cæci sunt, claudicantes in semitis suis. In eo genere illos comprehendas, quos tenet superbia, & arguit Esayas dicens: Vē qui dicitis bonum malum & malũ bonum: ponentes tenebras lucem. Si lumen oculorum, non dico corporalium, sed spiritaliũ recuperare velint, ad Christum accedāt, qui cæcos in templo curauit. *Videntes autem principes sacerdotum & scribæ, mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in templo & dicentes: Osanna filio David, indignati sunt.* O impietatem omnium maximam, ob diuinũ opus Christum Dei filium venerari & collaudare debuerūt. Contrà occasione hinc sumpta, in necem illius immerentis conspirarunt. Ipsi animo cruciabantur, quòd virtutem illius in curandis cæcis & claudis experti fuerant. Deniq; autoritatem qua in vendentes & nũmularios

larios vsus fuerat. Hoc sanè fuit vilissimum ingenium totius impietatis plenum. Quò enim Christum miraculis abundare, atq; sublimiùs à populo extolli viderunt, eò vehementiùs indignati sunt: & toti circa puerorum acclamationes versabantur, factas diuini numinis afflatu, cui calumniosè dixerūt: *Audisne quid isti dicunt?* Quid fuit aliud dicere, nisi si homo esses verè humilis & inglorius, qualem plerúnq; te simulas esse, sub his verbis: Nò quæro gloriã meam, *Ioan. 8.* neq; ab hominibus claritatē accipio, tibi talem applausum fieri per pueros nò permitteres: còtrà prohiberes omniũ maximè, quoniam laus oblata tibi, soli Deo debetur. Quod Christus ab eis interpellatus fuerit, ad quid ea de se prædicari permitteret, quæ soli Deo conueniunt, respòdere illis æquissimo iure potuisset, quia hæc mihi debetur, fiuntq; diuino spiritu suggestore. An decretum illius infringere vultis? Scitote velim, si pueri meas laudes tacerent muti lapides eas inclamarent: Obtundite si vultis capita vestra, mihi inuidètes, per eos reuelabitur gloria domini: at suum responsum prudenter temperauit, ne ex illo ansam maledicendi infumerent, & ait. *Vtiq; audio: sed nunquàm legistis: Ex ore P sal. 8.* *infantium & lactentium perfecisti laudem domine?* Hæc proferens tacitò approbavit quòd pueri inclamauerant: aliàs illis dixisset: Sūt pueriliter

& ineptè loquuti, & cùm sint in annis adolescentiæ cõstituti, venia debetur. Sicut hæc non respondit, etiam absolutè non dixit eos nõ esse prohibendos hæc loqui, quod iam dudum fuerat à Dauide propheta prænunciatum. Se din omnibus (vt dictum est) occasionem maledicentiæ vitauit. Aliàs respondisset: Qua ratione vultis me ora puerorum Deo laudes canentium obturare? Proculdubio viderer prophetiæ imperitus vel nescius, aut gloriæ Dei inuidus, quales vos estis, qui tot visis miraculis, ad referendam Deo gloriam non promoueamini. Ex eo autem quod dictum est: Ab ore infantium & lactentium Dei laudem pronuntiari, non credamus pueros assistentes fuisse ætatis ad eò teneræ, vt matrum vbera adhuc lamberent: quoniam in aperto est eos tunc non potuisse ad plenum verba formare, & ex consequenti diuinas laudes resonare. Verum ex facto longè mirabiliori inferre voluit eos non debere mirari, si adolescentes aut idiotæ homines atq; illiterati dono sancti spiritus afflati veritatè loquerentur, cùm dicat scriptura, Deum ea reuelare paruulis, quæ sapientibus absconsa sunt. Exemplo sint apostoli in Christo paruuli, prius persecutores fuerant, cibos manu & arte quærentes, neq; in ludo literario exercitati, & illis dedit os sapientiam, quibus non potuerunt resistere aduersarij.

Mat. 11. Deum ea reuelare paruulis, quæ sapientibus absconsa sunt.

Exemplo sint apostoli in Christo paruuli, prius persecutores fuerant, cibos manu & arte quærentes, neq; in ludo literario exercitati, & illis dedit os

Luc. 21. sapientiam, quibus non potuerunt resistere aduersarij.

aduersarij, atq; eos consolatus est dicens: Dum steteritis ante reges & præfides, nolite cogitare *Mat. 10* quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quod loqui oportunū erit. Rursus Hebræorum pueri clamantes Osanna, homines per sacrum baptismata Christo recenter natos adumbrarunt. Pueris enim ab vberibus matrum pendentibus, & ad corporis nutrimentum lac concupiscentibus persimiles, qui vt secretū nostræ fidei mysteria capere valeant, sunt à præpositis ecclesiæ instruendi, & quasi lacte nutrirī debent, iuxta illud Petri: Quasi modo geniti infantes lac sine dolo concupiscite. *1. Pet. 2.* Hic admiratur humile principium regni Christi. Sapientes enim huius mūdi pudefacturus, voluit asello vectus & pueris circumdatus in confuso clamantibus Osanna Hierosolimam ingredi. Quisnam seculi sapientia præditus, illum prospiciens ridiculoso æquitatu vectum, & pueris circumdatum urbem ingredi, nō iudicasset potius quendam agere Silenum vel morionem esse, quàm charissimum Dei filium. Audiamus verò qualis exitus fuit huius regni multum abiectè auspiciati. Pòst quàm enim semetipsum vsque ad mortem crucis exinaniuit, Deus pater illum exaltauit, & in cœlo maiestate omnium *Phil. 2.* suprema potiri fecit. Qui nuper fuerat ciuitatem ingressus cum solēni apparatu, paulò pòst

FERIA III.

ab illis qui cum utrumque; honorificè susceperāt
 fuit a lapidibus cæsus, & morte dolorum plenissima
 affectus. Vt quod humiliter inchoauerat glo-
 riosissimè cōsummaret, factus est angelis tantò
Hebr. 1. melior, quantò differētius præ illis nomen hæ-
 reditauit. Huius honoris prærogatiua quid sub-
 limiùs, quid excellentiùs, aut mente complecti
 aut verbis consequi potest? Quàm inuentus est
 dispar regibus & monarchis huius seculi! qui
 in regna sua aut monarchias cum apparatu ma-
 gnificentissimo ingrediuntur, à quibus diffidit
 inter subditos commotis aliquando expellun-
 tur, saltem tot angustiis & doloribus atteruntur
 vt in medio dierum suarum ab humanis afflu-
 mantur, relinquentes alienis opes amplissimas
 & eos sepulchralis fouea pro domo æterna tan-
 tum manet. Cur nobis commemoratur humili-
 tia Christi initia gloriosos exitus seculi attulisse
 ex aduerso, regna monarcharum superba & ma-
 gnifica, turpes & ignominiosos exitus habuisse
 nisi vt de nobis humiliter tum sentiamus tum
 loquamur, quò ad maiora per Dei gratiam pro-
 moueamur? Quoniam exempla magis nos cõ-
 mouent quàm verba, duo diuersi generis exem-
 pla in medium afferamus. Alterum sit de homi-
 nibus Babilonicis, alterum verò de sancto pa-
Gen. 12. triarcha Ioseph. Illi maximo fastu animi, altis-
 simam turrinam ædificare cœperunt, sed ob lit-
 guarum

guarum varietatem, inceptum opus cum ma-
 ximo dedecore imperfectum reliquerūt. Con- *Gen. 37.*
 trà sanctus patriarcha Ioseph, Hismaëlitis ven-
 ditus, ab humili seruitute modum viuendi in-
 choauit, quoniam teste psalmista: Manus eius *Psal. 80.*
 in coffino seruiuerūt, verum paulò pòst fuit tan-
 ta ac tali dignitate ornatus, vt fuerit ab Ægy-
 ptiis patriæ parens dictus. Sciens autem beni-
 gnissimus Iesus fomitem inuidiæ si hominem
 occuparit in causa esse, vt quem semel odio ha-
 buerit, semper excretur, & quantò quidquàm
 proximo cui inuidit melius succedere prospe-
 xerat, tantò magis aduersus eum commouebi-
 tur, cui si facto nocere nō possit, fallacibus ver-
 bis aduersari attentabit. Ideo Christus vt mali-
 tiam illorū confunderet recessit, vndè sequitur:
Et relictis illis abiit foras extra ciuitatem in Bethaniã
ibique mansit & docebat eos de regno Dei. Nouerat
 fanè (vt dictum est) inuidorum hominum ma-
 litiam multiplici verborū ambage nō destrui,
 sed potiùs irritari, quare eis locum cessit quos
 suis exhortationibus sanctissimis deteriores fie-
 ri (quibus emendari deberent) noluit. Cur in-
 quam extra ciuitatem abiit, nisi q̄ in ea nullum
 hospitem benignum reperit? Fuerat veritatem
 ingenuè loquutus, quæ (sicut vulgari prouer-
 bio teritur) odium parit. Hic vnum desleamus,
 scilicet commendabilem Iudeorum consuetu-

dinem in penis versam. Consueuerant sanè pa-
 tres eorum præ foribus suis peregrinos operiri,
 atq; eos quasi reluctantes ad hospitium non dico
 prouocare, sed quodammodo impellere: Nobis
 Gene. 18 exemplo sint historiae Abrahami & Loth. Proh
 & 19. dolor, filij eorum totius hospitalitatis & frater-
 nae commiserationis gratiam perdidierunt, &
 perdunt qui pauperum non miserentur, sciètes
 tamè beatos prædicari, & in die ultimo ab om-
 nibus malis liberari, qui super egenum & pau-
 perè respiciunt. Ab vrbe egressus, quò iuit Chri-
 stus? nempe in Bethaniam, vt corpore quiesce-
 ret vbi prius mète erat cum Lazaro, Martha &
 Maria sororibus suis. Illic sanè proborū homi-
 num est beata quies, vbi vitæ sanctitas floret.
 Amâtissimi, si homines verè Euâgelici velimus
 haberi, iuxta sanctorū patrū exēpla hospitalita-
 tē diligamus: memores q̄ duo ex discipulis Ie-
 su in castellū Emaus profecti eū ex habitu per-
 egrini incognitū ad cœnam & hospitium non
 Luc. 24. tam inuitarunt quā coegerunt dicentes: Mane
 nobiscū domine, quoniam aduesperascit, què
 in fractione panis cognouerunt. Vnde Paulus
 Hebr. 13 ait: Hospitalitatem diligite, per quam antiqui
 patres Deo mirificè placuerunt.

*Homelia ferie quartæ post primam dominicam
 Quadragesimæ Matthæi duodecimo.*

Accesse.



Accesserunt ad Iesum Scribæ & Pharisei
 dicentes: Magister, volumus à te signum
 videre. In superioribus nos informa-
 uit Euangelista, miraculum à beni-
 gnissimo Iesu æditum esse, triplici ratione stu-
 pendum. Quoniam eodem momento homi-
 nem mutum à linguæ vitio, cæcum ab oculorū
 cæcitate, dæmoniacum à dæmoniaci furore
 liberauit. Prospicientes Scribæ & Pharisei quos
 longissima disputatione nō solūm confutau-
 rat Christus, verum etiā grauer arguerat, illud
 rumore sinistro deprauare excogitarunt, & præ
 maxima animi inuidia muscitando dixerunt
 eum in Beelzebuth principe dæmoniorum eie- *Matt. 9.*
 cisse dæmonia. Atq; rursus accesserunt, excogi-
 tantes si qua arte eum seducere possent, quem
 præceptorem nominarunt, cuius discipuli esse
 noluerunt, utpote qui nihil minus in votis ha-
 berent, q̄ mores & vitam eius exprimere. Eos
 imitantur, qui ut proximos seducant, eis paci-
 fica loquuntur, atque sub mutuæ familiaritatis
 velamento, venena dulcorata proponūt. Exē-
 plo sint qui probas virgines fallacibus verbis
 subornant, & vanis eludūt promissis, ut carnis
 desyderium cum illis complere valeant. Pacifi-
 cis quidem sermonibus vtuntur, sed intus pleni
 sunt spurcitia, fraude & dolo. Iridem de illis di-
 cas, qui non nihil amicitia simulāt, periculum

facturi quid proximi de re aliqua sentiant, quo eos ad iudicem traducat, carcere & pœnis plectendos. Malitiam eorum detestatur Ecclesiasticus dicens: Væ homini duplici corde, labiis scelestis & manibus malefacientibus. Atq; iterum: Væ peccatori terram ingredienti duabus viis. Istud impræsentiarium in pharisæis clarissimè innotuit, qui Christum ex mente subdola, omni animaduersione dignissima cœuenerunt, coram quo steterunt non secus ac si essent amici & familiares eius pacifici. Sed animi rancorem intus celabant, aliud in ore atq; aliud in corde habentes, quasi simul possent & flare & sorbere. A quo signum fieri exquisierunt, quasi si in gratiam eorum aliquod miraculum æderet, parati essent sine mora verbis eius credulâ aurem accommodare. Et signum fieri de cœlo expetierunt, credentes multò difficiliùs posse fieri ab eo, & ipsis multò faciliùs quicquid ageret calûniari. Quoniam astrorû periti, rationes quàm difficile reddunt corû quæ præter naturæ cursum accidunt, & in ferendis iudiciis maximè variat. Itaq; aiunt ei: Magister nos qui plebæi non sumus, neq; arûdini ventorum impetu huc & illuc agitatae similes sed viri admodû graues atq; eruditi, volumus videre signum è cœlo procedens, quod te declaret hominem esse Deo charissimû. Quæ enim hætenus fecisti, votis nostris

stris non satisfaciunt, quoniã è cœlo non sunt. Verum nunquid viderant stupendum miraculum, quo hominem cœcum, mutum & dæmonio obnoxium curauerat? Viderant sanè non modò diuinitùs factum, sed (vt ita loquar) cœlitus emissum. Quod alios præsentés in admirationem omnium maximam cõuerterat illud calumniati fuerant, quare aliud è cœlo ædere noluit: & illis imminere grauissimas afflictiones, nõ quidem temporarias & labiles, sed perpetuò duraturas declarauit. Quoniam ea malignè calumniabantur quę non solùm sentiebãt, verùm etiam oculis videbant, & manibus palpabant vtilia esse. Enimvero si quid nouę rei in fauorem illorũ ædidisset Christus, illico dixissent magos in Ægypto quædã non minus prodigiosa fecisse, & illis calumnię ansam subministrasset. Ideo stans quasi aduersus ab illis, & animi dignitate ad semetipsum conuersus ait: *Generatio mala & adultera signum querit & signũ non dabitur ei nisi signum Ionæ propheta.* Nunquid eos generationem malã nominare debuit, quibus loquitur Moyses in suo cantico dicens: *Generatio praua atq; peruersa, hoc cœne reddis domino popule stulte & insipiens?* Pariter adulteram vocauit, quoniam si mulier quę sui corporis copiam alteri quàm suo coniugi communicarit, carnale adulteriũ incurrit, cum generatio

Mat. 12

Deut. 32

FERIA IIII.

eorum honorem soli Deo debitū operibus manuum suarum exhibuerit, & impietates gentilium qui filios & filias dæmonibus sacrificarūt sequuta sit, atq; Deum quem coluerunt patres eorum non modò ad iracundiam prouocarūt, quando vitulum aureum conlarunt, & contra Moysen seditiones mouerunt, verum etiam illum dereliquerūt qui nos fecit & creauit, nonne hoc spirituale adulteriū fuit? quid enim idolum colere aliud est, quàm adulteriū spirituale committere? Istud ex variis prophetarum testimoniis colligitur. Aliquod exempli gratia referamus. Imprimis propheta Dauid inquit: *Psal. 37* Perdes omnes qui fornicantur à te in inuentionibus suis. Et *Osea. 1* Ozeas ait: Fornicati sunt Iudæi recedentes à Deo suo. Insuper dominus Moysen alloquitur dicens: *Exo. 22* Populus iste fornicatur post deos alienos. Hac de re Christus eos vocauit generationem malam & adulteram. Mihi forsàn dicet, nescio quis parū pius: Cùm Christus legem instituerit, qua cautum est nemini licere iniuriam proximo inferre ab huiusmodi conuitio multùm atroci, quò eos fornicationis filios vocauit, consultò abstinuisset. Absit hæc de Christo sentire, & similia ab ore fidelium egredi non debent, quoniam ipse in terris uicè agens, spiritu Dei plenus, omnia tam prudenter egit, vt prudentiùs fieri non possent. In ista

munus

munus veri concionatoris exercuit: cuius partes sunt induratos homines non simpliciter arguere, sed aliquando palam increpare: ut qui secreta reprehensione corrigi non potuerunt ex publica emendentur quò crubescètes in agnitionem peccatorum suorum deducantur. Què admodum enim ciuili magistratus publicos malefactores pro meritorum qualitate pœnis afficit diuersis, ita concionatori permittitur quando expedit, iuxta suæ vocationis decen-
tiam non solum peccata hominum detegere, sed operarios eorum sub verborum inuolucro manifestare, ne tanquàm morbida oves totum gregem dominicum inficiant. Verùm quid sibi vult responsio Christi dicentis: *Signum non dabitur illis*. Recole obsecro eos signum è cœlo fieri postulasse, quod tale illis exhibitum non fuit quale exquisierant, scilicet diuinitatis Christi quæ in cœlo relucet, sed assumptæ humanitatis eius, quæ in terra erat. Incapaces sanè erant signum videre illius gloriæ quam habuit prius quàm mundus fieret. Quòd autem in salutem omnium mori venerat, signum viderunt eius mortis in Iona figuratum. Ad certio-
rem huius rei euentiam, in vnum conferamus quæ in hystoria Ionæ habentur, cum illis quæ circa Christi mortem contigerunt. Ex facta collatione, proculdubiò inueniemus Ionam in

FERIA IIII.

multis Christum expressisse. Imprimis ad vocabula nominū Ionæ & Niniuæ descendamus, quia rebus per Christum exhibitis, aptissimè conueniunt. Quid enim Ionas sonat præter columbam, vel mœrētem seu dolentem? Quid inquam Niniue, nisi speciosam? Cui verò hæc magis conueniunt quā benignissimo Iesu & sponsa eius? Dum enim baptizaretur à Ioanne spiritus sanctus in columbæ specie super eum descēdit, & peccata nostra super lignū crucis in corpore suo portauit. Quibus abolēdis multum genuit & acerbè doluit. Qui fidelium Ecclesiam sibi in sponsam adoptauit, vt eam ex deformi speciosam redderet, maculas illius sui sanguine aspersione lauit atq; mundauit. De qua Canticum ait: Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Sicut Ionas Niniuitis ad prædicandum ita ipse Iudæis missus fuit. Vtérq; pœnitentiam agere auditores monuit. Ionas vt Niniuiti prædicaret natale solum reliquit, & super nauem conscendit, à tēpestate turbulentissimè impetu ventorum orta, nauis in qua erat naufragio periclitabatur: quare visum fuit presentibus opportunum esse morte vnius iram De placare. Sors mittitur quisnam esset in salutem omnium mortis periculo exponēdus, & super Ionam cecidit, qui pro salute omnium proiec- tus in mare, & mori non recusauit. Quàmprimū

projectu

Luc. 3.

Ioan. 1.

Ephes. 5.

Cant. 4.

Ionæ. 2.

Mat. 12

Ioan. 1.

proiectus est, mare à feruore suo tepuit, & ex sedata tempestate timuerūt omnes, & vota Deo vouerunt, atq; hostias laudis immolarunt. Ad benignissimū Iesum ea referamus, in quo impletum fuit signum Ionæ propheta. Et summo cælo egressus, illam hæreditatem dereliquit, in qua huc usq; moram traxerat, iuxta illud: Ad te *Psa. 122* leuauī oculos meos qui habitas in cælis. Ideoq; in regionem nostram venit, vt fidelium Ecclesiam sibi despōsaret, & ex turpi formosam redderet. Quia peccauimus omnes: omnia in nobis non minus confusa inuenit, quàm quiduis supra mare ex flatu luctantium ventorum turbulentum est. Consilium congregarunt sacerdotū principes & populi seniores. In quo Cayphas cum esset pontifex anni illius astitit de Christo dicēs: Expedit vt homo iste moriatur, *Ioan. 11.* ne tota gens pereat. Et ipse qui in salutem omnium venerat, mortem subire non recusauit: vt suæ passionis interuētū cessaret tempestas: quæ etiam sedata est, quia Deum patrem nobis propitium reddidit. Quotquot passionis mysterio præsentēs erant, ea videntes quæ fiebāt, timuerunt timore magno, & plurimi percutientes pectora sua dixerunt: Verè filius Dei erat iste. *Matth.* Quot diebus Ionas in mare proiectus, in vētre ceti stetit, totidem Christus secundum corpus *Mar. 15* in sepulchro iacuit, & anima eius in inferiora

Q



terre descendit, ut eos visitaret, qui erant in lacu inferiori, in tenebris, & in umbra mortis. Cetus grandis qui Ionam deglutiuerat tertia die uiuentem supra littus euomit, & sepulchralis fouea quæ corpus Christi triduo occultauerat, eum nobis rediuiuū donauit. Ex istis in vnum deductis, signū Ionæ prophetæ in Christo eluxit & egregiè dictum est. *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ita erit filius hominis in corde terre.* Auditum est quomodo corporis Christi mors, sepultura, & resurrectio eius, fuere per signum Ionæ prophetæ adūbrata: quòd ue principem huius mundi, per cetum (belluam maris cruentissimam) adumbratum vicit, & nos à vinculis eius liberauit. Ionas à maris periculo liberatus prædicare non destitit, & Niniuitis nuntiauit vindictam Dei proximam esse, nisi à vita peruersè acta resipiscerent. Christus verò à morte resurgens, non solùm discipulos per dies quadraginta regnum Dei docuit, sed eos pœnitentiam prædicatum misit. Vnde Petrus illorum princeps institutus, paulò post stans in medio plebis, vocem suam sustulit dicens: Sciat omnis domus Israël Deum patrem filium suū quem crucifixistis mirificasse. Hæc & similia audientes Iudæi dixerunt: Quid, ad hæc faciemus? Et respondit Petrus: Pœnitentiã agite, & baptisetur vnusquisque vestrũm in nomine

Act. 1.

Act. 2.

mine

mine eius, in remissionem peccatorum, & accipietis donum spiritus sancti. Sicut Ionas Niniuitis tempus quadraginta dierum indultum esse ad onus pœnitentię nunciauit, aliàs ciuitas eorum funditus corrueret: ita Christus Iudæos quadraginta annis ad pœnitentiã expectauit. *Psal. 94*
 Quòd in malitia obdurarint corda sua, & vias eius non cognouerint, subsequuta est desolatio ciuitatis eorum tanta, vt vnicus lapis super aliũ relictus nõ fuerit, & bona pars eorum in ea interierit: alij verò per varios fines terræ exularũt. Ex istis mihi videtur in aperto esse, signũ Ionæ prophætæ, mortis, sepulturæ, & resurrectionis Christi significatiuum fuisse. Quoniam Niniuitæ ad vocem Ionæ pœnitentiã egerunt, Iudæorum iudices erunt, ac dicent eos iusto Dei iudicio æternæ damnationis pœna plectēdos, quia oblatam Dei gratiam suscipere spreuerũt, quam ipsi ab auditu vocis amplexi sunt. Vnde sequitur: *Viri Niniuita surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiã egerunt in prædicatione Ionæ. Et ecce plus quàm Ionas hïc.* Cur Christus huiusmodi comminationes Iudæis denunciauit, nisi vt modò minis, modò blanditijs eos alliceret, quatenus diuinis iussis obsequerentur? Quòd autem neglexerint memoratas calamitates sustinuerunt, & cruciatus longè maiores in inferno positi nunc sustinēt:

ubi non simpliciter, sed quàm vehementissimè
 torquentur, & insultationes inimicorum seu
 Niniuitarum exprobrationes, tormenta illo-
 rû augment. Aiunt enim illis Niniuitæ: Eramus
Psal. 99. neglectus, contrà vos fuistis gens sancta, populus
 domini, & oues pascuæ eius. Nos sine lege scri-
 pta viximus, vos legem à Moysè suscepistis, ex
 qua nosse potuistis Christû esse Messiam à lege
 promissum, quod miraculis cò pluribus com-
 probauit. Nos correcti sumus ad vocem homi-
 nis ex regione ignota veniētis, qui nulla edidit
 miracula, nihilq; præmij nobis rectè operanti-
 bus spopòdit, neq; est quicquam de regno cœ-
 lorum loquutus, neminem morbis curadis sibi
 amicum fecit, tribus tantùm diebus nos pœni-
 tētiam agere monuit, & voci eius à maximo ad
 minimum paruimus omnes. Rex enim noster
 è regali folio descendit, & sacco indutus in ci-
 nere & ieiunio pœnitētiam egit, quem omnes
 sequuti sunt. Vos autem infideles Iudæi, ad præ-
 dicationem benignissimi Iesu moti non estis,
 quem ex patria & parentibus notum habuistis,
 fuit prophetarum oraculis prænūciatus, Ioan-
 nis digito demonstratus, dicētis: Hic est agnus
Ioan. 1. Dei, qui tollit peccata mundi, voce Dei patris
Mat. 3. mirificè commendatus. Ait enim: Hic est filius
Et 17. mihi charissimus ipsum audite. Notus inquã
 in omni

in omni Iudæa fuit, & nomen eius in Israël nõ potuit non magnum esse, quòd ab Abrahamo & Dauide genus duxerit. In synagogis & tēplo *Matt. 1.* populum docuit, nõ tribus tantum diebus, sed cõtinuis tribus annis. Doctrinam suam esse veram innumeris penè miraculis testificatus est, & infirmos suis beneficiis abũde adiunxit, iuxta Zacharię prophetiam: Hierusalem venit mansuetus, sedens super asinam, & filiũ subiugalis, *Zach. 9.* prædicans sæuas minas non intonuit, verè pœnitentibus cunctorum remissionem peccatorũ contulit, rectè operantibus se æternam fœlicitatem largiturum sponndit: eum tamẽ, qui tot & tanta operatus est, vt distet à Iona multò longiùs quàm distat oriens ab occidente, Lux à tenebris, veritas à mēdacio, Deus ab homine, audire neglexistis: quare vos tormenta omnium grauissima manebunt. Ad alia veniamus quæ regina Sabba illis dicere poterit. *Surget enim in iudicio cum generatione ista, & eam condēnabit, quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis: 3. Re. 10.* Et ecce plùs quàm Salomon hìc, scilicet Christus. Erat legis & testamētorum Dei nescia, sed multum cupida audiendi sapientiam Salomonis, ex solo rumore cogniti. Ideo à longinquis partibus, scilicet à finibus terrę Hierosolymam venit, cum camelis plurimum auri & argenti deferentibus, varias quoq; rerum preciosarum

Species, quo Salomoni munera offerret gratiosa, quorum interuentu sapientiam eius audire posset. Iudæi autem qui homines religiosi præ omni natione quæ sub cælo est, haberi volebāt, & in signum magnæ fidei signaculum circumcisionis deferebant, tantò illi dissimiles fuerūt, vt Christum suæ gentis amantissimum, multis quoq; miraculis approbatum, in templo quotidie docentem & talia proferentem, qualia nemo antea eloquutus fuerat audire noluerunt. Contrà eum habere spiritum Beelzebul promulgarunt, omni cõtumeliarum genere affecterūt, capitalibus etiam insidiis ad mortem persequuti sunt. Ex istis omnibus eos cõuincet regina Sabba maximis omnium tormentis afficiendos esse. Amantissimi, hæc ad nostram doctrinam scripta sunt, vt pœnitentiam agamus, si per externas nationes iudicari nolumus, & impendētem Dei vindictam euadere velimus. Scientes hæc Iudæis contigisse, timeamus ne dominus noster patiens & multum misericors, nostris offensus peccatis tandē nobis irascatur, & in vita præsentis omne genus morborum nobis immittat morientes quoque in pœnas indeficientes coniiciat. Væ ergo illis quos benignitas saluatoris nostri ad respiscētiā vocauit, atq; diu expectauit, & adhuc impœnitentes sunt. Recordentur velim Iudæos naturales

ramos

Psal.
144.

ramos fuisse virentis oliuæ, quibus Deus non *Rom. ii.*
 pepercit. quomodo credet eum sibi ex oleastro
 procreatis, & speciali dono gratiæ in palmitem
 oliuæ inficis veniam largiturum. Hæc memo-
 riæ mandent qui totos dies festos vanè consu-
 munt in vestibulo suæ domus, vel torpentes ina-
 ni otio vel epulis & ebrietatibus vacantes, atq;
 histrionum gesticulationes diuinis rebus præ-
 ferentes. Vndè accidit eos ea ignorare quæ sa-
 luti eorum maximè conducunt. Nisi sapien-
 tiam veri Salomonis nempe Christi audire ve-
 lint, timeant ne in die vltimi aduentus voces
 infidelium audiant sibi dicentium: in fide per
 nos fallacibus diis præstita vsque in finem con-
 stantes fuimus, & corporis vitam præsentaneo
 mortis periculo exponere maluimus, quàm nõ
 seruare nostra promissa, vos autem qui Christo
 nomina dedistis, tantulã vestræ fidei Deo datæ
 rationem non habuistis: sed iuuenti omni vè-
 ro mobiliores estis. Non solùm huiusmodi ex-
 probrationes audire timeant, sed atrocissima
 subire supplicia caueant. Ideo à malis respi-
 scant, scientes Euangelij professores suæ fidei
 desertores, sumpturos suppliciũ æternæ dāna-
 tionis lōgè grauius idololatriis hominibus, ipsi
 in Deum peccant ex animi perfidia, sed in eo
 nos confundunt, quòd (vt dictum est) in sua fal-
 laci religione habeantur lōgè cordatiores quàm

in nostra simus: qui modò hanc, modò aliã re-
 ligionis formulam assumere volumus. Est cui
 iamdudum arridebat sanctũ dogma cathedræ
 Petri, & illi hodie placet Lutheri & sequacium
 eius pestilens doctrina. Quorsum tēdit intem-
 peries ceruicis illius? Animo reuoluat precor
 idololatrias homines antiquorum patrũ decre-
 ta constanter obseruare, & iuxta ea quęcũque
 occurrunt negotia administrare. Cur nos qui-
 bus ab Apostolo iussum est obedire præpositis
 nostris, etiam discholis, nostrorũ iussa episco-
 porum nõ capessemus? Proh dolor, sunt qui ea
 tam facili contemptu fastidiunt, quàm leuem
 sibilum anseris aut ventris crepitum fastidirẽt.
 Ideo ab idololatriis hominibus in finali iudicio
 condemnabũtur, dicentibus illis: Si centesima
 homiliarum sacri euangelij pars nobis nuncia-
 ta fuisset quam audistis & spreuistis, hodie per-
 petuo igne inferni non arderemus: sed fortassis
 aliquem gloriæ gradum in cœlis etiam dignis-
 simum teneremus. Quòd Christi euangelium
 seruare nolueritis, ignis inferni omnibus aliis
 longè viuacior vos iustissimè manet, & perpe-
 tuò manebit. Prospiciens benignissimus Iesus
 Iudæos suis exhortationibus sanctissimis ad
 pœnitentiam non prouocari, calamitates qui-
 bus à Romanis afficiendi erant, & æternòs cru-
 ciatus quos meruerant, sub inuolucro verborũ,
 & simi-

& similitudine hominis dæmonio obnoxij
 cursim & Laconicè potiùs quàm profusè ex-
 plicuit, dicens eum qui semel fuerat à potestate
 dæmonis liberatus & sanè mèti redditus, quòd
 otiosè vixerit, & sese torpori & ignauia dederit,
 nò solùm in ampliorem incidisse miseriam,
 sed etiã nouissima illius fuisse peiora prioribus.
 Quòd benignissimus Iesus de Iudæis verè ob-
 stinatis loquutus sit, similitudinis còclusio nos
 docet, qua dicitur: sic eueniet generationi huic
 pessimæ, similitudo comparationis vtriúsq; ita
 se habet. *Cùm autem spiritus immundus exierit ab
 homine, ambulat per loca arida, quærens quietem. Et
 non inueniens, dicit: Reuertar in domum meam vnde
 exiui, & veniens inuenit eam vacantem, scopis mun-
 datam, & ornatam.* Per spiritum immundum, dæ-
 monem intellige. Ideo ipse dicitur immundus,
 quoniam sicut Christus quæ polluta sunt mū-
 dare & purificare lætatur, ita dæmon mundata
 ab eo & purificata fœdissimis peccatorum for-
 dibus maculare & contaminare gaudet. Tunc
 hominem reliquit, quando baptismatis sacra-
 mentum dignàter suscepit. Expulsus autem ab
 eo, circa aliorum corda ab humore vitiorũ sic-
 cata circumuolat, modis omnibus secreta eorũ
 inuestigans: vt quædam suæ malignitatis vesti-
 gia in eis imprimat. Verùm circa illos operam
 perdit, quos dominus custodit & conseruat.

Anima hominis baptismo regenerati dicitur scopis mundata, id est, purissima, quia susceptum baptisma, non modo primam originis culpam purgat, sed alia quæq; vitia aufert, & spiritualibus charismatum donis illam ornat. Quod ipse per corda aliorum à rore cœlesti vel sancti spiritus gratia siccata circumvolans, eam viderit bonis operibus vacantem, ex vitio corporis ac desidiæ, se in eam iterum ingressurum sperat. Quidpiam simile de pessima generatione Iudæorum audias velim. Tunc spiritus immundus ab ea exiit, quando Moyses ieiunio quadraginta dierum attenuatus, ex monte Sinay legem decalogi attulit, & ipsa soli Deo Abraham, Isaac & Iacob seruire & mandata illius seruire promisit: nefando idolorum cultui abrenuntians. Ab ea tunc exiens, per corda infidelium Gentium quasi per loca arida inambulavit, sperans in illis perpetuam habere requiem. Verum complures eorum, audita prædicatione Apostolorum sacrum baptisma susceperunt, immundo spiritui & operibus sathanæ renunciantes: quoniam prius dæmoniis & non Deo sacrificauerant. Expulsus ab eis dæmon, ad Iudæos rediit, qui Christum immerentem morti exposuerunt dicentes: Hic est hæres, occidamus eum, & illius hæreditatem habeamus. Verum mortis eius consummatio, eis postmodum

Exo. 32.
 & 34.

Mat. 21.

dum infelicissimè cessit: quia in ultionem illius, domino permittente, fuerunt non modò ab hostibus capti, & in seruitutem plus quàm criminofam redacti, verùm etiam ex vitio perfidiæ quo Christum esse verum Messiam negarunt, rursus dæmonio obnoxij fuere: & hodie sunt nouissima eorū prioribus peiora. Quoniam patres eorum in Ægypto manentes idola coluerunt, sed nihil specialis blasphemix in Deum Abrahami, vnum in substãtia & trinum in personis dixerunt: sed honorẽ illi cum idolis tribuerunt: at filij eorum multò grauiùs peccarunt, quoniam ex lege Christum esse Messiam & mundi redemptorem nouerunt, & se illum esse miraculis ex resurrectione mortuorum comprobauit. Verùm tantùm abest, *Rom. i.* vt veniens fuerit ab eis reuerenter (vt decebat) susceptus, vt eum non modò à suis synagogis expulerint verùm etiam morte probrosissima moriturum condemnarint. Vndè iniquitas illorum fuit longè maior iniquitate patrum eorum, quoniam præstaret viam veritatis non nouisse, quàm postea quædam maligna excogitare. Et dicitur Iudam minus criminis habiturum fuisse si discipulatum Christi non approbasset, quàm habuit postquàm discipulatum illius approbavit, & eum in

R. ij

manibus inimicorum prodidit. Multo que tolerabilius cum Simone Mago ageretur, si baptizatus non fuisset. Itaque spiritus immundus, ut Iudæos iterum aggredere, assumpsit septem alios spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi, & fiunt nouissima illius peiora prioribus, hinc duo occurrunt seruatō ordine particulatim discutienda. Primum est, cur spiritus immundi describuntur numero septem: rursus quid sonat alios esse alios nequiores. Per spiritum aut bonum aut malum, operationes eius intellige. De bono legitur, quod

Matth.

Ioan. 1.

Esa. 7.

Tob. 12.

Luc. 8.

tunc spiritus domini super Christum abundantissime descendit, quando cum omnibus gratiarum donis repleuit. De quo prophetauerat Esaias dicens: Requiescet super eum spiritus sapientiae & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiae & pietatis atque timoris domini. Contra, quos daemon possidet, omnibus vitiis deformes reddit. Unde sicut mitis angelus Raphael se unum esse de septem spiritibus ante Deum astantibus declarauit, quia etiam immitis spiritus, quos occupat, eos omni genere vitiorum inficit. Nobis exemplo sit Maria in ciuitate peccatrix, a qua dominus septem eiecit demonia peccatorum septem mortalium adumbratiua. Quot enim mortalibus peccatis homo implicatur tot demonibus subiici dicitur, & quod fortius aliquo peccati genere quis tentatur, tanto si

tò si victus fuerit dæmō ipse peior aliis dicitur. Est autem omnium pessimus, quia vitia virtutes esse mentitur: nimirum simulata sanctitas, est duplex iniquitas. Quoties ille mentem hominis aggreditur, id nō aperto Marte facit, sed ex insidiis, sub specie virtutū occultis: inde dicitur maximè improbus. Vt hominem multò facilius seducat, in mentem illius intrat, & fiūt nouissima illius peiora prioribus. Quid homo tot inimicorum insidiis appetitus agere debet? Aliud ex multis quæ occurrunt omni ex parte in mētem meam non apparet illi commodius esse q̄ ad crucis vexillum confugere, & Dei auxilium tandiu inuocare, donec ipsius misereatur, & à malo culpæ eripiat ac liberet. *Christo adhuc loquente ad turbas, Ecce mater eius & fratres stabant foris, quærentes loqui ei.* Quid dicere vellent me penitus fugit, fortassis erāt pia sollicitudine pleni, ne populi compressione, quidquàm sinistri ominis ipse subiret. Verum pia mater eius, q̄ esset cœlestium secretorum probè conscia, cum aliis nō anxiabatur, quam sancta fides ab omni metu liberam fecerat. Hic nemo miretur nominari audiens cōsobrinos benignissimi Iesu fratres illius, quoniam modus dicendi in sacris literis vsitatissimus ac frequens est, consobrinos vel amicos fratres vocari. Eodē genere dicendi vtitur Christus suos discipulos fratres vocans,

quando post resurrectionem mulieribus ait: ite
Mat. 28 nuntiate fratribus meis, ut eant in Galileam: ibi
 me videbunt. Vota discipulorum per interme-
 dias voces plebis ad eum peruenerunt, & respon-
 dit: *Qua est mater mea, & qui sunt fratres mei? Et*
extendens manus in discipulos suos ait: Ecce mater
 mea & fratres mei. Videri posset haec verba ex
 quodam animi fastidio dixisse, quasi matrem
 suam fastidiret, & praesentem esse parum curaret,
 & quodammodo eam nescire se diceret: sed
 nihil minus. Ipse enim qui legem veneratio-
 nis parentum instituit, eam sollicitè seruauit.
 & euangelij professores, in cathedra veritatis
 sedentes, docuit, totos circa id vnum versari,
 quod est auditoribus suis maximè necessariū,
 scilicet occultos scripturae locos sollicitè inter-
 pretari. Rursus quod manum suam in discipu-
 los extenderit dicens: *Hi sunt mater mea & fra-*
tres mei, credamus parentes nostros bifariam
 diuisos esse. Quidam illorum sunt carnales, alij
 verò spirituales. Iuxta huius mystici sensus in-
 telligentiam, ille Christi mater efficitur, qui
 eum in corde suo concipit, & pater eius, qui
 sancta praedicatione, aut vita exemplari, eum
 in corde proximi format ac gignit, secundum
 hunc scripturae intellectum Paulus in suos au-
 ditores paternum affectum gerens, eos filios
Gal. 4. vocabat, sub his verbis: Filioli mei, quos ite-
 rum

rum parturio, donec formeretur in vobis Christus. Nonne qui voluntatem eius facere satagebant, amicos vocavit Christus? Concupiscens vt secum partem in regno cœlorum haberent. Quo huiusmodi cognationem clarius demonstraret præcedentibus sequentia connexuit: *Quicumque fecerit voluntatem patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror & mater est.* Fateamur ex istis nos ex dono gratiæ fieri posse fratres, & sorores, & matres benignissimi Iesu. Verùm mater quæ illum genuit non nihil specialis prærogatiuæ ex eo consequuta est, quòd operante spiritu sancto, & virginitatem seruauit, & ex sua carne purissima, illi corpus sanctissimum aptauit, ex quo per singulas generationes ipsa prædicatur verè beata & fœlix, sed longè beatior est quòd in corde suo illum ex sancta fide concepit, quàm quòd ex corpore suo generauit. Quoniam carnis conceptio, sine re-
 cta fide, ad consequendum æternæ salutis præmium illi non profuisset, sed in fide viua consistit fœlicitas omnium suprema.

Ioan. 15.

Feria quinta post primam dominicam

quadragesima.

Ioannis Octauo.



*D*icebat ergo Iesus ad eos qui crediderunt ei Iudæos: Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis. Benignissimus Iesus Iudæos nouiter ad fidem conuersos, quasi modò genitos infantes, non solido cibo sed lacte educauit. Quos monuit non superficie tenus in se credere, sed constantem animum in fide recepta retinere, ne aut fallaciis hominum, aut tētamētis dæmonum ab ea dimouerentur cū illa sit omnium virtutum basis ac stabile fundamentum, per quod homo recta operatus ad agnitionem veritatis deducitur, & tandem ad glorię Dei celsitudinē sublimatur, cuius merces erit videre Deum patrem, & vnicum filium eius, cum sancto spiri-

Ioan. 17. tu, iuxta illud Ioannis: Hęc est vita æterna, vt cognoscant te verum Deum, & quem misisti

Psal. 26. Iesum Christū. Et psalmista inquit: Credo videre bona domini in terra viuentium. Quare illis qui crediderant dicebat: *Si manseritis in sermone meo verè discipuli mei eritis*, & sedebitis super mensam meam in regno patris mei. Quem pro illis precatus est inter alia dicēs: Volo pater vbi ego sum, scilicet in cęlis, illic sit minister meus.

Ioan.

Quid enim aliud est in sermone eius permanere, nisi vsq; in finem illius legis præcepta seruari? Hęc enim duo scilicet sermones & mandata sunt eiusdem significati. Vndè vbi euāgelista ait: Si

ait: Si diligitis me mandata mea seruate, & alibi
 inquit: Qui diligit me sermonem meum serua- *Ioan. 14.*
 bit: quòd homini non sufficiat ad beatitudi- *Ibidem.*
 nis còsequutionem, principiò profundam ha-
 bere fidem & baptismatis lauacro mundatum
 fuisse, verùm etiam illum oportet fidem suam
 sanctis operibus manifestare: quibus dabitur
 retributio multa. Verùm in illis est labor non
 modicus, sed nemini ingratus, qui mercedis ra-
 tionem habebit quem voluntariè sustinebit fi-
 delis seruus Christo fidès. Itaq; Christo creda-
 mus, & in sermone eius permaneamus. Vt tan-
 quam verè discipuli eius, regni cœlorum parti-
 cipes simus, & ex dono fidei quæ vera sunt co-
 gnoscamus. Vndè sequitur: *Et cognoscetis verita-*
tem, & veritas vos, à peccatorum vinculis & in-
 fernalibus pœnis liberabit. Qui enim verè cre-
 dit, is Christum agnoscit esse in omnibus ver-
 bis veracem & sanctū in cunctis operibus suis.
 Qui regni cœlestis portas nobis aperuit. Qua-
 re de seipso loquens dicebat: Ego sum via veri- *Ioan. 6.*
 tas & vita. Est enim via salutis, veritas immor-
 talis, incorrupta, atque incommutabilis, & vi-
 ta indeficiens. Eum esse talem cognoscāt oportet,
 quotquot in eum verè credūt. Istis aptè ad-
 modum cònexuit. *Et veritas vos liberabit.* Ex istis
 dominicis verbis, Iudæi fuere vltra modū tur-
 bati, de ingenuitate maiorum suorum glorian-

tes. Nihil enim peius audire potuerūt vocabulo seruitutis, & erant animo adedò hebeti ac stupido, vt verba Christi ad corporis seruitutem referrent, credentes quòd eos turpissimæ seruitutis notasset. Quare mussitando illi dixerunt: An putas nos veritatem nescire & seruos hominum esse? à qua seruitute nos liberabis? Ideo responderunt ei: *Semen Abrahæ sumus & nemini seruiuimus vnquam.* Verùm mentita est iniquitas sibi, quoniam serui fuerant & hominum & vitiorum, quæ est turpissima omniũ seruitus. Vt de proauis eorum aliquid dicamus, Nónne sanctus patriarcha Ioseph, à quo bona pars eorum genus duxerat, pòst quàm fuit Ismaëlitis vèditus in Ægypto seruiuit? Vndè legitur, q̄ manus eius in coffinò seruierunt. Nónne inquã fratres illius grauissima fame oppressi, cum pio parète in Ægyptum descenderūt? quorum filios Pharaonis operibus non auri & argenti, sed luti & lateris seruire fecit. A qua seruitute grauissima Deus illos liberauit. Quod huius beneficij liberationis memores non fuerunt, eos postmodũ maximæ ingratiudinis arguit dicens: *Eduxi vos de domo seruitutis, & obliuisti estis me.* Vt de patribus eorum sileamus, nõne ipsi pro seruitutis iure Romanis tributa soluebant? A quo liberari cupientes à Christo percontati sunt, an *Mat. 22* liceret censum dare Cæsari, quibus viso numifmate

mate census respondit: Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Prodiit ergo ex arroganti iactantia cordis eorum Christo respõdere: *Nemini seruiuimus vnquam.* Ipsi enim ex lotionibus corporum tuebant quòdue legem in latis phylacteriis inscriptam circumferrent, sibi videbantur sanctissimi, & homines incircuncisos contemnebant, pelliculam præputij amputatam habentes, & animum vitiiis conspurcatum gestabant. Quasi vera sanctitas in solis operibus externis consisteret, & legem Dei verbis & operibus exprimere non curabãt. Ac si illis sufficeret à sanctissimo patriarcha Abrahamo genus duxisse secundum carnem. Quare responderunt: Genus Abrahamæ sumus, & nemini seruiuimus vnquam. Propterea de curit Christum suæ mentis conceptum pleniùs exprimere & illis dicere: *Amen amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum seruus est peccati.* Vocabulum amē, Hebræum est, quod nullus interpres vel Græcus vel Latinus immutare voluit, ne sacramentum sub velamento illius abstrusum si semel nudatum esset, apud plebeios homines vilesceret. Quod illos in superioribus duplici nomine taxauerat Christus, altero quòd veritatem nescirēt, & hoc erat animæ vitium, altero quod serui essent, quod est fortunæ malū indignabatur, & quod erat multò leuioris momēti.

FERIA V.

in medium adduxerunt, primum dissimulantes, scilicet, qui facit peccatum seruus est peccati. Quare Christus subindicauit seruitutem de qua loquebatur omnium miserrimam esse. Parum enim apud Deum refert an homo natus fuerit

1. Cor. 7. liber an seruus. Iuxta illud Pauli: Seruus vocatus es, non sit tibi curæ. In Christo Iesu non est seruus neque liber. Omnes enim inquit vnum sumus in Christo, filij Dei per fidem: sed illum commendat qui proborum parentum mores & vitam exprimit. Ipsi enim iuxta carnis originem ab Abrahamo genus duxerant, sed quia dereliquerunt Deum factorem suum, illegitimi ac degeneres erant. Quibus aliàs dixit: Ex patre diabolo estis, & opera illius facitis, qui ab initio mendax est, & vos in seruitutem reduxit. Si veritatem nosse, & à peccati seruitute liberari vultis, ad eum accedite qui veritas est, & vos liberabit. Quisquis enim peccatum facit, diaboli mancipium efficitur, qui primus peccati author fuit. Quisquis inquam huiusmodi seruitutem omnium miserrimam incurrit, est conditionis longè deterioris illo qui homini furioso seruit: quoniam si improbum nactus fuerit dominum, & eius imperio satisfacere nequit, illum dimittere poterit, & tunc à dominatu illius liberabitur: Verùm multò secus cum seruo peccati agitur, quoniam miserrimū seruitutis iugum

1. Cor. 7.

Ioan. 8.

Sap. 2.

iugum humeris suis impositū excutere nequit. Erit pro animi libito ipse quouis locorum, vindex peccati conscientia eum semper comitabitur, & plus aut minus pro disparitate criminū mentem illius torquebit, grauissimis quoque punget stimulis. Nempe illam modico temporis interuallo quietam dimittet, desyderiorum carnis cupidam, quibus deus offenditur: & que temporis progressu, instar floris agri velociter transeunt: verū fœtor peccati hominis mentem cōfundens perpetuò manebit: nisi illo donante, qui solus peccatū non fecit, & in mūdū 1. Pet. 2. venit vt fieret sacrificiū p̄ peccatis nostris illū 2. Cor. 5. inde exemerit, hic est Christus qui Iudeos quasi in peccatorū sepulchris dormiētes, ad meliora excitauit. Rursus vt terrorem illis incuteret, sequentia proposuit, & quasi medicinā curandis vulneribus eorum salutarem obtulit, quo à miserabili seruitute peccatorum liberarētur dicens: *Qui facit peccatum seruus est peccati.* cuius Rom. 8. stipendium erit mors omniū pessima. Hæc audientes nos qui peccauimus, maculas criminū nostrorum per lachrymas ab oculis abundè effluētes lauemus, memores seruum peccati non Ioan. 8. manere in domo domini in æternum. Domus domini bifariam diuiditur: Vna enim in terris est, in qua militamus, alia verò in cœlo manet: quam facti triūphatores mortis & peccati ha-

bitabimus. Quandiu enim homo sacri baptismatis vnda perfusus, in militanti Ecclesia positus erit, inter Dei filios numerari poterit, quem speramus in domo domini eternū permanfurū. Ac in nouissimo die, quando in præsentia Dei cuncta cernētis stabimus, omnis veritas manifestabitur, quoniam electi à reprobis perpetuo

Mat. 25 separabuntur diuortio: qui enim bona fecerūt in domo domini in æternū manebunt, contra qui mala egerunt, in ignem æternū proiicientur. Hæc scientes (amantissimi) iugum miseræ seruitutis peccatorum nimis graue à nobis excutiamus, & filio Dei adhæreamus, qui semper manet in domo domini, in quam sequaces sui itineris introducet. Sicut ipse mundum vicit, & nos vincamus. Illi mundum vincunt, qui tentationibus carnis & immundi spiritus viriliter reluctantur, diuina ope freti victores euadunt. Tunc verè liberi erunt quādo ab illo plena libertate donabūtur, qui peccatum non fecit. Videns benignissimus Iesus Iudæos molestius vltra quàm dici posset, verba quæ in salutē illorum proposuerat accepisse, vt animos illorū aliquantulum placaret, & ne vltra modum excandescerent in iram ait: *Si ergo vos filius liberauerit, verè liberi eritis.* Ac si planius diceret, scio iuxta carnis conditionem vos esse filios Abrahamæ, *Cur queritis me interficere etiam morte multò*
 omnibus

omnibus aliis turpiori & longè calamitosiori à peccato inde contracta. Maiorū vestrorū merita quamlibet maxima vos liberare nō possunt: quia peccatū in præcepta legis Dei admissum, committētem vinculis æternæ mortis alligat, à quibus sine speciali auxilio diuinæ cōmiserationis quis non liberabitur: solus Dei & hominis filius vos liberare poterit. Sacerdotibus antiquæ legis data fuit facultas victimas pro peccatis offerendi, sed denegata potestas relaxandi peccata, quæ filio Dei & hominis perpetua est. *Mat. 9.*
 De quo Paulus ait: Qui à potestate tenebrarum nos eripuit, & in libertatē glorię filiorū Dei vocavit. Ex istis illos arguebat tacitè dicens: Scio quod vobis eo nomine multum placeatis, quod filij Abrahę estis, sed gloriatio vestra est verè momentanea atq; popularis: quod omnes illos respiciat, qui Iudaico nomine gloriantur. Multò æquius esset ex eo gloriari, quod filius vos liberauerit, prout liberabit, si mores & ingeniū antiqui patris Abrahami referre velitis. Est enī ingenuæ prolis specimē egregiū ac laudabile opus, antiquos patres imitari. Quantū ab ingenuis moribus factissimi patris Abrahami absitis, vel ex eo perpendite, quod ille diuinis iussis parere concupiscens, vnicum filium in quo tota spes eius posteritatis multiplicandæ instar arenarū *Gen. 22* maris, posita erat, immolare paratus fuit. Vos autē cōtra legis decretū, inhibentis proximum

Mat. 9.

Mar. 2.

Collo. 1.

Gen. 22

occidere, me Dei & hominis filium interficere
 quæritis: & hoc vnum in causa est, quia sermo
 meus nõ capit in vobis. Si à vobis vt decet, pio
 corde susceptus fuisset, vos cõprehendēs hamo
 persimilis esset. Tunc enim hamus piscẽ capit,
 quando capitur ab illo. Veruntamen ista simi-
 litudo non est omnimoda. Quos enim pisces
 hamus capit, illos aut lædit, aut perimit: sed ser-
 mo meus illis quos capit, nihil damni aut iniu-
 riæ infert. Contrà sicut pisciũ captio est in per-
 nicem eorum, ita & sermones mei ad salutem
 animarum. Si malè loquutus sum pœnã suffer-
 re non recuso, verùm id solùm loquor quod vi-
 di apud patrem, & vos quæ vidistis apud patrẽ
 vestrum, facitis. Sicut Deus pater ante secula tẽ-
 poralia filium genuit, ita illi sine principio rerũ
 omnium notitiam dedit. Quòd ambo in sub-
 stantia vnum sint pater & filius, tantùm ea lo-
 quitur filius, quæ apud patrem vidit. Cùm in-
 quam Deus pater verax sit, quæcũq; loquitur
 filius vera sunt. Vndè illis alibi dicebat: Si veri-
 tatem dico vobis, cur nõ credidistis mihi? Nisi
 quòd ex Deo non estis. Et sequentia probãt eos
 fuisse filios Sathanæ, quia Christum immeren-
 tem interficere quærebãt. Ideo ait illis: *Quæ vi-
 distis apud patrem vestrum facere vultis. Responderunt
 & dixerunt ei: Pater noster Abraham est, Dixit eis
 Iesus: Si filij Abraham estis, opera Abraham facite. Cur
 autem*

autem quasi dubitatiuè loquutus est inquiring: Si filij Abrahæ estis, qui priùs absolutè dixerat: Scio vos Abrahæ filios esse? Nempe per vnum originem carnis eorū approbavit, per aliud verò impia eorū opera dānauit. Sicut enim iuxta carnem genus ab Abrahamo duxerant, ita ex operum dissimilitudine ab eo longissimè distabāt: Fuit Abrahamus ex iustitia fidei Deo charus, in bello strenuus, domi hospitalis. Ad vocē illius dicētis: Egredere de terra tua & de cognatione tua, & veni in terram quam monstrauero tibi, domum, patriā, & parētes reliquit. Comites eius fuerunt recta fides, sancta spes, charitas Dei & proximi perfecta, ex quibus iustitię laudem apud Deū promeruit. Illos autem comitabantur vitia infidelitatis, diffidentię & rebellionis. Iterum Abrahamus exultauit videre diē natalis domini, quē in spiritu cognouit & gauisus est, illi verò diē mortis eius accelerare voluerunt, & rem omnium pessimam committere consuluerunt, & tandē consummarunt: quia in fontem atq; immeritū conciuem morte turpissima mori iudicarunt. Ex istis contemplare Christi miles quanto morum interuallo distabant à sanctissimis moribus patriarchæ Abrahami. Quare Christus præ manibus habuit, quod in medium afferret aduersos eos, dicens: Tantū abest vt ea faciatis quæ fecit sanctissi-

*Rom. 4.**Gene. 15**Gene. 12**Ioan. 8.*

mus patriarcha Abrahamus, quē reueritus est, & in spiritu vidit, interficere vultis. Vnde illis tanta aut talis audacia, vt Dei filium in mortem adigere voluerint, nisi quod in forma hominis se illis tantum communicauit, & diuinitatem manere in illo non crediderunt? Huiusmodi rationē assignauit Ioannes euangelista dicens:

Ioan. 10. Quod eum interficere voluerunt, quia filium Dei se fecit. Ex rationibus commemoratis, illos conuincit legitimos Abrahamæ filios non esse, quoniam opera operibus Abrahami ex diametro pugnantia agebāt. Quibus aptè admodum rursus ait: *Vos facitis opera patris vestri*, scilicet diaboli. Quoniam vſitatissimū in sacris literis est, eos vocari huius aut illius patris filios, cuius opera & mores exprimūt. Istud ex sententia Ezechielis prophetae colligitur: quod enim Iudæi impietates amorrhæorum imitati sint, ait illis:

Ezec. 16 Pater tuus Amorrhæus est, mater verò Zethæa. Eos sciebat propheta ex carnis origine naturales Abrahamæ filios esse: quoniā verò factis & operibus sathanæ & infidelibus consentiebāt illos arguit. Et Christus pariter istos increpauit: ac si planius diceret: Sanctitas antiquorum patrū filios parum iuuabit, nisi probos mores eorū imitentur: quoniā quisq; multò magis ex operibus suis, q̄ ex alienis æstimabitur. Quare si legitimi Abrahamæ filij haberi vultis, ingeniū & mores eius exprimate.

exprimate. Quādiu enim opera operibus illius
 palām contraria penitusq; dissidentia feceritis,
 illegitimi atq; degeneres filij eritis. Ex istis in-
 tellexerūt Christū nō loqui de carnali genera-
 tione eorū, sed dissimilitudine operū, Ideo inui-
 cē dixerunt: desinamus illi iteratō dicere, quod
 semen Abrahæ sumus. Quoties enim id ipsum
 dicemus, toties nobis replicabit: Si filij Abrahæ
 estis, illum in sanctissimis operibus imitemini,
 de cuius nobili genere gloriamini. Præsagiētes
 ipsi quem aliū patrē loco Abrahæ illis assignare
 vellet, dixerunt: *Nos ex fornicatione nō sumus nati.*
 Aduertamus in sacris literis idololatriæ vitium
 per fornicationis peccatū non rarō adūbrari: q̄
 ambo vitia non nihil similitudinis inter se ha-
 beāt. Sicut enim mulier peccatrix toties adulte-
 rium cōmittit, quoties suū corpus alteri viro q̄
 cōiugi suo prostituit: ita quoties gens Iudæa in-
 vitiū idololatrię incidit, toties Deū dereliquēs,
 se dæmoni submisit. Vltorius in multis fuerat le-
 gem Moyfi transgressa, ideo vanē gloriabatur
 se Deum Abraham semper coluisse, & hoc per
 hæc verba: Nos ex fornicatione nati non su-
 mus, dicere intendebat, scilicet Deū Israēl sem-
 per coluisse quem adorauit pater Abrahā. Ve-
 rùm teste psalmista, dæmoniis immolarūt, quos *Psa. 105*
 non coluerūt patres eorum. Vndè Christus lo- *Deut. 32*
 quacitatem eorum de se multa præsumentium

verè temerariam compescuit. Sciebat enim (vt prædiximus) eos iuxta carnis conditionem genus ab Abrahamo habuisse, at si operum illius imitatores fuissent, Christum tanquam blasphemum hominem lapidare nõ attentassent, quibus ait: *Si Deus Abraham, esset pater vester, utiq; diligeretis me. Ego enim à Deo processi, & in mundum veni: neque enim à meipso sum, sed ille me misit.* gloriabantur ex lege Moyfi cuius præcepta nõ obseruabant, sed quæ in illis præcipua sunt, scilicet Deũ colere, super omnia diligere, & proximum sicut seipsum amare negligebãt. Ex iis *Mat. 22* enim duobus pendet lex, pendet & prophetæ. Erat autem Christus vtróq; nomine per eos diligendus tanquàm Dei & hominis filius: Verùm tantùm abest, vt cum diligerent, vt etiã interficere vellent. Quid ergo impudetiùs fuit quàm eos ex lege gloriari? Interim verò aduersus illã tale crimẽ molliri, quale fuit ad mortẽ captare eũ, qui Dei patris negotia strenuè gessit, à quo per æternam generationem processit, & pro salute omnium per temporalem incarnationem in mundum venit, qui tanquam Deus non est sine genitore, & tanquam homo sine matre. In sequentibus rationẽ adfert cur vocem eius non capiebant dicens: *Me non cognoscitis quia audire sermonem meum non vultis.* Oportet enim priùs quàm quis alium loquẽtem rectè intelligat, vt

sermones

sermone illius paciēter audiat. Ideo ipsi ad sermone Christi intenti non erant, quoniam à vita peruersè acta recedere nolebant. Vndè à vera cognatione patris Abrahæ alieni erant, & morum similitudine sathanam referebāt. Pòst quàm multoties ab eo quæsierant quem alium parentem vitæ Abrahami assignare vellet respondit: *Vos ex patre diabolo estis, & desyderia patris vestri vultis facere: qui homicida fuit ab initio, & in veritate non stetit.* Ac si planiùs diceret, ab initio mundi, ipse non ferro accinctus, aut versatili gladio armatus, sed lethifera persuasione vsus, lethali verbo primum parētem percussit atque occidit: quem ex iusto peccatorē, & de immortalitate mortalem fecit, dicēs illi: Si de ligno scientiæ boni & mali comederis, Deo similis eris. Cui cōsensum præbuit & mortem incurrit: factusq; à paradiso terrestri exul, cum esse mēdacē agnouit. Ex istis cernere licet, diabolum homicidam fuisse ab initio, qui in veritate nō stetit, fuisset sanè cum spiritibus angelicis beatus, si in veritate perstitisset, à qua recedēs & in malitia cor suum obdurās, peccatum peccato addidit. Quia primum parentē muliere iam seducta seduxit, atq; ex propriis mēdaciū loquutus est: ideo rectè dictus mendax & pater mendacij. Sicut enim mendacium opponitur veritati, ita Christus qui est veritas æterna, mentiri nesciēs,

Genes. 3.

diabolo oppositus est, qui diabolus in veritate
 nō stetit: & ideo quā primū ab illa recessit,
 gratia Dei illum dereliquit. Et quotquot in ve-
 ritate fidei non manent, atq; ex propriis men-
 dacia loquuntur, à Deo recedunt, & eos subito
 diabolus occupat, qui est veritatis oppugnator,
 & zizaniorū feminator. Ex quibus terra cordis
 eorum prius fructifera, in falsuginem redigitur
 à malitia ipsius habitatoris in ea. Hæc omnia
 Christus ab oculos Iudæorum depinxit, vt ipsi
 à mēdacio recedentes, in eo qui veritas est, cō-
 starent, quē ad impulsū diaboli tradere morti
 proposuerāt. Sicut enim vnaquæq; arbor qua-
 lis est à fructu suo dignoscitur, similiter quales
 ipsi erant cuiusue cōditionis, suis operibus ma-
 nifestarunt. Et mentiebātur dicentes se legiti-
 mos Abrahæ filios esse, quoniā eius patris erāt,
 cuius desyderia complere volebāt. Nemo non
 nouit eos Dei creaturas esse, qui in principio
 omnia fecit: sed per morum similitudinem ex
 diabolo erāt, quia eius (vt sæpe dictum est) par-
 tes fouebāt, non solū homicidæ verūmetiam
 mendaces. Quoniam ex multa iniquitate non
 solū suggesta, verūmetiam profundè persua-
 sa primos parentes seduxit. Solet enim homo
 haberi eius patris filius, cuius arbitratu sua agit
 negotia, tametsi ab illo genus non duxerit: Ea
 ratione Iudæos opera diaboli faciētes, Christus
 diabo l

diaboli filios nominauit. Audientes (amātissimi) diabolum ab initio homicidam, mendacē, & mendacij patrem fuisse, illius cōsortium fugiamus: à quo recedentes ad Christum accedamus, qui omnes mendaciū loquutos perdet, & veraces simus: & qui peccatorum serui fuimus quos gratia Dei liberos iustitię fecit, iustē viuamus, vt fructum bonorū operū feramus in sanctificationem vitæ, per quem in fine vitæ æternam consequamur. *Psalm. 5*

Homelia feria sextæ post primam dominicam. Ioannis quinto.



Rat dies festus Iudaorum, & ascendit Iesus Hierosolimam. Consueuerat benignissimus Iesus cum aliis dies festos in templo celebrare, ideo Hierosolimā ascendit, vbi miraculo antea inaudito quanta esset suę diuinitatis maiestas manifestauit, nō modò in cōspectu ciuium Hierosolimitanorū, sed & rusticorū, etiam opificum, qui ex aliis ciuitatibus ad diē festū conuenerant: in quo legē Moyfi quam instituerat, salutarī obseruātia approbauit. Stans autem in templo, salutis verbū nuntiauit, iuxta illud psalmistæ: *Psalm. 39.* Annunciaui iustitiā tuā in ecclesia magna, in medio Ecclesię laudabo te. Hoc facto diuiniverbi ministros monuit, illud nō p̄dicare in āgulis vel domibus

Act. 2.
6. priuatis, instar pseudoprophetarum: sed in Ecclesiis Deo dicatis, atq; omnibus coram. Ideo Petrus apostolorum princeps, & protomartyr Stephanus, in plena concione hominum illud publicarunt, & recôciliationis cum Christo faciendæ Iudæos monuerunt. *Erat autem Hierosolimis probatica piscina quæ cognominabatur Hebraicè Betsaida, quinque porticus habens.* Multis placet illam id nominis à sensu cōtrario habuisse, quod pisces in ea diu viuere non possent. Alij verò referunt illi nomē impositum fuisse ob pecudes quas sacerdotes pro sacrificiis illic præparabāt. Probatica enim Græcis idem est, ac si dicas peculiaris. Eodem penè argumento Betsaida Hebraicè appellabatur. Descensus multiplex illi erat, tanq̃ longè necessarius ad sacrificiorū præparationem, quoties frequens turba popularis ad diem festum ex diuersis partibus mundi cōueniebat. Ideo quinque porticus habuit, *in quibus iacebat multitudo magna languentium hominum, cæcorum, claudorum, aridorum expectantium aquæ motū.* Hos tres infirmitatum gradus specie differētes ad maioris miraculi ostentationem Euāgelista studiosè expressit, q̃ sit vt plurimum aut nullius aut difficilimè curationis. Qui enim ex eo cæci sunt, quòd potentia visus sit in illis ex toto perdita, curari non possunt: quoniam à priuatione ad habitum non datur regressio. Itidē dic-
cas de

cas de illis qui mēbra habent non modò rupta, verū etiam abbreviata, vel de hominibus aridis qui meatus spirituum habent ita cōstipatos atq; constrictos, vt parū nutrimenti ad singula corporis membra percipiant: tales diu languescunt, & ad mortem paulatim tendūt. Ipsi circa labrum huius piscinæ stabāt motum aquæ expectantes, quæ ex concauis terræ non profluebat, sed ex nubibus cœli descendebat. Et erat muris vndiquaq; circūclusa ne proflueret, nisi ab angelo cœlitūs misso cōmoueretur, qui incertis atq; indeterminatis horis in piscinā descendebat. vndè sequitur: *Angelus enim domini descendebat de cælo & secundum tempus mouebatur aqua.* Nimirū si eadem hora semper commota fuisset, languidi homines tantū ad horam commotionis illuc properassent. Fiebat autem huius aquę commotio per angelum, cum sono forti ac turbulento ab omnibus perceptibili, aliās cæci frustra illic astitissent, horam commotionis expectantes, qui aquam videre non potuissent. *Qui prior descēdebat in piscinam post aquę commotionem sanus fiebat à quacūq; detinebatur infirmitate.* Scire cupis Christi miles cur diligentiori concessum fuit quidpiam specialis priuilegij? Nimirū descēsus in piscinam prioritas, illum arguebat maiorem in angelū huius aquę commotorem fidei zelum habere, qui Christū

noui testamenti angelum adumbrabat, potentem suos ab omni infirmitate mentis & corporis liberare. Nemo in dubium reuocabit, an piscina fuerit frequenti hominum multitudine circumclusa, tum eorum qui ad diem festum conuenerant, tum aliorum qui infirmorum in quinque porticibus decumbentium curam gerebant: quare illi opportunum fuit insigne miraculum patrare, pro quo paralyticum hominem longe deploratissimum, & morbo penè immedicabili atque uetustissimo retentum delegit. Quisnam ille fuerit me latet. Non desunt credentes illum esse cuius

Mat. 9. Euangelista Matthæus meminit: at mihi mens est longè diuersa. Ille enim multos habuit seruos, qui summa cura illum coram Christo detulerunt: hic uerò conqueritur se neminem habere, qui post aquæ commotionem, eum in piscinam mittat. Ille domino coram obmutuit, iste suam miseriam multis uerbis explicuit. Ille fuit domi curatus, hic iuxta piscinam sanus. Illum dominus monuit sibi in posterum cauere, ne quid deterius illi contingeret, nihil tale de isto legitur. Istis adde, ansam maledicentiæ longè diuersam à Iudeis excogitatam fuisse. Hi Christum accusarunt sabbati violati, & isti arguerunt blasphemiam in Deum. Nunc calamitosi hominis hystoriam prosequamur, quo nihil uideri potuit infortunatius. Triginta enim &
octo

octo annos in sua infirmitate habuerat. Vnde
 tolerantia eius mihi videtur omni admiratio-
 ne digna: quoniam nisi patientissimus fuisset,
 iuxta piscinam, aquæ motum tandiu non expe-
 ctasset. Cur patientia eius ob oculos nostros de-
 pingitur, nisi vt nostræ mētis socordiam deplo-
 remus? Quoties enim ob peccata quæ commi-
 simus suæ correctionis flagella Deus nobis im-
 mittit, impatienti animo sumus: hic verò mor-
 bum paralysis non vno tantum anno, sed octo
 & triginta annorū spatio sustinuit, nihil mur-
 murans: cuius exemplo mouemur, quoties fla-
 gellum Dei nos percutit, cum beato Iob dicere:
 De manu domini bona suscepimus, cur mala *Iob. i.*
 nō suscipiemus? Quod dederat abstulit, & laus
 eius siue in aduersis siue in prosperis semper fit
 in ore nostro, Atque ad sacras preces confugia- *Iaco. 5.*
 mus, scientes assiduam iusti deprecationem, in-
 numerata secum bona adferre. Deus enim nostris
 excitatus suspiriis & precibus, mercedē dabit,
 non modò meritis nostris parem, sed longè il-
 lis ampliorem. Forsan dices, nimis laboriosum
 esset, assiduis precibus vacare, & ad ostium di-
 uinæ commiserationis, malleo orationis diu-
 pulsare: Verum recole quicquid à virtute pro-
 ficiscitur, sicut est præmio dignum, ita labo-
 ris plenum. Itaque si fuerimus morbo etiam
 longissimo vexati, aut quadam necessitate

etiam extrema oppressi, ad Christum orationis interuentu accedamus, qui paralyticum hominem triginta & octo annos morbo lāguentem exaudiuit & curauit. In quo admiremur constantem in aduersis animum. Si enim coram illo perstemus, sicut perstitit paralyticus, faciet

2. Cor. 1. Deus pōst quā abūdarint in nobis passiones, abundare consolationes: & nostri miserebitur, sicut paralytici misertus est, quē prospexit longissima ægritudine attenuatum, neminem habere qui eum in aquam ab angelo commotam tempestiuè deferret. Quare misericordia motus, illum præuenit dicens: *Vis sanus fieri?* O magnam Dei nostri misericordiā! Non solū languido homini obuiam, sed etiam vota & preces eius præoccupantē. Ipsamet nos aliquando torpentes non modò præuenit, iuxta illud psal-

Psal. 58. miste, Misericordia eius præueniet me. Verū etiam vt bene velimus, & recta operemur nos excitat, & nondum orantes exaudit. Vndè per prophetam ipse ait: Antequam clament exaudiam eos, atq; illis nondum loquētibus adero. Rursus cunētis astantibus notum fieri voluit Christus se venisse, vt omnes à peccatis liberaret qui morbum suum oderint, & salutis habēdæ desyderio internè tacti, diuinum fauorem inuocarint. Cui paralyticus respondit: *Domine hominem non habeo, vt cū turbata fuerit aqua mittat*

me in

me in piscinam. Dum venio enim ego, alius ante me descendit. Admirare Christi miles, huius lægidi hominis modestiam. Qui interrogatione benignissimi Iesu offensus non fuit. Nimirum si vitio arrogantis animi laborasset, illi statim morose respōdisset, an tu huc venisti me demissurus? Est enim mordax derisio postulare an id velim quod & morbi longitudine, & longissima huius loci residentia, cum pertinaci animo salutis habendæ facta, id summo complecti desiderio indubium est. Hoc enim à me quæris quod meis omnibus votis semper anteposui. Spes enim mihi misero, ex graui infirmitate lecto decumbenti nūquam defuit. Vndè stō hīc motū aquæ expectans: quòd nemo sit mihi adiutor propicius in salutem alius me præuenit, quicquid vales mihi misero impartiri velim. Christū sanè prospiciebat & misericordem & corpore validū, quem verecundè satis rogabat illi suppetias dare, quā primū ab angelo moueretur aqua: fortassis ob scribarum pharisæorum vel sacerdotū præsentiam Christo inuidētium, animi vota significantiùs exprimere noluit: sed tantū subindicauit, quid sibi obstabat quin salute optata potiretur. Illi Christus se talē reddidit, qualis se nouitiis in fide insinuat. Parum dissimile est quod habes de duobus discipulis in castellum Emaus pergētibus. Sicut tandem *Luc. 24.*

eum in fractione panis cognouerunt, dicentes
 cor nostrum ardens erat in nobis, dum loque-
 retur in via, & apperiret nobis scripturas, etiam
 ipse illum ab operibus eius agnouit, atq; in illū
 credidit. Cur verò imprimis ait illi, *Vis sanus fie-
 ri*, nisi vt nos doceret concursum liberæ volun-
 tatis ad salutem necessarium esse? nos quoq; in
 periculis constitutos moneret, diuinū fauorem
 tantò instantiùs postulare quantò validius à sa-
 thana & angelis eius impetimur. Languidus
 homo vt Christum ad compassionē magis ac
 magis commoueret, egregiè ait: alius me ante-
 uertit, éstq; impedimento meæ saluti. Nisi aliū.
 de adiutus fuero, spes habendę salutis me relin-
 quit: quoniam qui amicorum ope fretus in pi-
 scinā mittitur, omnibus aliis beneficium salutis
 subripit. Prospiciēs benignissimus Iesus homi-
 nem languidū salutē sociis non inuidere, neq;
 eos conuitiis afficere, q̄ cum præuenirēt, sed ci-
 tra aliorum iniuriam, viriū suarū imbecillitatē
 candidè profiteri, tolerantia illius fuit apprimè
 delectatus. Quantum ipse fuit calamitosus ho-
 minibus huius tēporis dispar: qui ad subleuādas
 animæ & corporis angustias, se totos diris de-
 uouēt spiritibus: dies quoq; in quibus nati fue-
 rūt execratur! Hoc nō est Deū ad misericordiā,
 sed ad irā prouocare: neq; infirmitatē depellere,
 at potiùs ex impatiētia animi augere. Christus
 infirmi-

infirmitatem ab eo expulsurus ait: *Surge tolle grabatum tuum & ambula. Statim sanus factus est homo ille, & sustulit grabatum suum & ambulabat.* Quoniam membra eius fuerāt subitò rectissime cō-
 pacta, atq; tam firmissimè cōsolidata, vt grabatum sine corporis tædio vel molestia ferre potuerit. Quid mirū? Cùm enim Christus sit virtus suprema, ad operis complementum moras temporis non obseruauit, quas medici necessariò obseruant: quoniam sine successiuis temporum interuallis morbos à nobis depellere non valent. Quod Christus hīc semel externè egit, per baptismi sacramentū totius pietatis & gratiæ plenum, in piscina adumbratum, quotidie operatur in nobis. Sicut enim aqua illius hos à febre, illos à lepra, & cæteris infirmitatibus curauit: similiter aqua baptismi, nos ab omnibus peccatis, animorum morbis purgat. In multis conueniūt: antè quàm aqua piscinæ hominem languidū à morbo liberarit, angelū de cælo descendere, aquam cōmouere, & illi virtutē morborum curatricē cōferre decuit. Similiter simplex aqua sine auxilio angeli noui testamenti (hic est Christus) neminem curare potest. Vbi verò adest qui dicitur noui testamenti angelus, iuxta illud Malachiæ: Veniet ad templum suū *Mala. 3.* dominator quem vos queritis, & angelus testamenti quem vos vultis, potens est quotquot

ad baptismum accedunt, à peccatorū sordibus purgare, quoniam virtus Christi omnipotens est, & Soli rectissimè comparatur: cuius radij omnes qui obicem non ponūt illuminant, neq; copia luminis eorū minuitur. Sicut aqua huius piscinæ è venis terræ nō scaturiebat, sed è cælo descēdebat: ita corpus Christi ex ea adumbratum, fuit rore cœlesti plenū, iuxta illud: Nubes pluant iustū, aperiatur terra, vt germinet saluatorem. Dum verò venit ad nos, fuit sicut imber super gramen. Quādo patitur à latere eius profuit aqua, sordes peccatorū quantumlibet capitalium abluēs ac purgans, modò sit cum elemento aquæ & hominis ministerio diuina virtus, merito dominicæ passionis commota, baptisma erit fons viuus, & aqua cum purificans, quē Dei gratia internè tangit, & per misericordiam suam præuenit. Vndè psalmista dicebat:

Esa. 45. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, & venire cupit ante faciem Dei mei. Quotquot de plenitudine huius fontis accipiūt, efficiuntur sicut legitimi ac naturales filij Dei. Piscina quinq; porticus habuit, quò ad aquā illius esset facilius descensus, & Christi corpus quinq; plagas omnibus aliis longè crudeliores sustinuit, quando in manibus, pedibus, & latere dextro percussus fuit, per quas ad fontem gratiarum spiritus sancti, accessum habemus, in tantæ rei mysterium

mysterium ab eius latere lanceato exiuit aqua.
 Quod spiritu prophetico præuisum fuerat, iuxta
 illud Ezechielis: Vidi aquam egredientē à late- *Ezec. 36*
 re dextro, & omnes ad quos aqua ista peruenit,
 salui facti sunt: quoniā quotquot ad baptismi
 sacramentum dignè accedunt, ab omnibus of-
 fensis mundantur. Quid verò est quod aqua pisci-
 næ, neq; omnes, neq; omni hora aliquos cura-
 uit: sed tantum descendentes in eam ab angelo
 commotam, nisi quod elementum aquæ ante
 Christi aduentum, crimina hominum abluere
 non potuit? Certè diuersa hominum genera, ad
 Ioannis baptisma cucurrerunt, verum nemini
 salus erat. Ipse testimonio est dicens: Baptizo in *Ioan. 1.*
 aqua. Et de Christo loquēs ait: Medius vestrum *Ibidem.*
 in spiritu sancto baptizat. Credamus (amantif-
 simi) cū primū verba baptismatis erunt à mi-
 nistro illius prolata, & elemento aquæ iuncta,
 vim homines in spiritu sancto regenerandi ha-
 bere, ab angelo noui testamenti. Et impletum
 erit quod per aquam figuratiuè exhibitum fue-
 rat: nimirum cōmotio huius aquæ passionem
 Christi signabat. In aqua fuit maximè commo-
 tus atq; conturbatus: vndè guttas sanguinis in *Luc. 22.*
 terram decurrētis sudauit. Cui terræ elementū
 compatiebatur, iuxta illud Psalmistæ: Cōmota *Psal. 17.*
 sunt & conturbata fundamēta terræ. Quid ve-
 rò signat, quod dominus eū tot annos in infir-

Excep.
Rom. 5.
I. Rom. I. mod.
I. Rom. I.
I. Rom. I.
 mitatē detentum sanauit, nisi primum parentē
 Adamum à culmine virtutum ad ima vitiorum
 descendisse, & in manus latronum incidisse: à
 quibus pessime vulneratus fuit, & morbū pec-
 cati originis, in posteros transmisit. Ut curam
 eius gereret Christus, in mundum venit. Istud
 ex sententia Pauli colligitur dicentis: Sicut per
 vnum hominem peccatum in mundum intra-
 uit, & per peccatum mors in illis regnauit qui
 nondum peccauerant, ita per vnum hominem
 scilicet Iesum facta est à peccatis liberatio: Tot
 annos in sua infirmitate primus parens habuit,
 quot ab initio mundi ad aduentum Christi ef-
 fluxere. Adamus a quē salutaris commorionem
 fieri ab angelo noui testamenti expectabat, &
 votum animi consequutus est. Quoniam me-
 rito dominicæ passionis & efficacix baptismatis,
 ex peccatore iustus fuit. Numerus annorū
 triginta & octo, apprimè rei adumbrata con-
 uenit, qui ex decem per quatuor ductis cōpo-
 nitur: & in sacris literis pro consummata perfe-
 ctione apponitur. Quisquis enim suæ vocatio-
 nis munus rectè gerit, quia decē legis præcepta
 non solūm per quatuor Euāgelistas descripta,
 verūmeritā in quatuor volumina digesta solici-
 tē seruat, perfectus est. Numerus quadragenarius
 perfectionem significat: à qua ille multūm
 deficit, qui duo præcipua legis præcepta scilicet
 diligere

diligere Deum & proximum seruare omittit. *Mat. 7.*
 Quid enim his duobus à quadragenario numero subtractis superest, q̄ numerus triginta octo? qui imperfectus est, talis erat in sensu morali homo, cuius Euangelium meminit. Ideo graui infirmitate peccati laborauit: quem Deus prospiciens criminum vulneribus sauciū, interrogauit si sanus fieri uellet: qui nemine à morbo peccati sine assensu proprię uolūtatis curare intendit. Ipse enim uoluntatem nostram ut recta agamus internè monet: sed eam nullatenus cogit. Nostrum est (amantissimj) inspirationi diuinæ obsequi, unicuique nostrūm dicenti: Vis sanus fieri? quare nemo audiatur dicens: Seruare concupiui, sed non potui, Eram enim illi similis qui pedes colligatos & manus constrictas habens, nihil operari potest. Quisquis eo prætenu animi malitiā tegere cupit seipsum fallit, à scopo ueritatis, interuallo etiā longissimo aberrans. Enimuerò si reditus à peccato in statum gratiæ nobis denegatus esset, nunquam Deus dixisset: Qua hora ingemuerit peccator, iniquitatum eius non recordabor. Neque quemlibet nostrūm humanè cōpellaret Christus dicens: Vis sanus fieri, nisi paratus esset gratiæ munus ad opus meriti necessarium piè postulantibus conferre: sine qua nihil & cum ea multūm possumus. Restat nos gratiæ do-

Et 22.

Ezec. 18

no conatum liberi arbitrij in nostra facultate
 residentis accommodare, aliâs illi placere non
 poterimus cui coacta displicent seruitia, & ne-
 minem inuitum iustificabit. Vndè legitur,
Eccle. 15 quòd ante hominem mors & vita, bonum &
 malum apposita sunt. Vt quod sibi placuerit
 eligat, & auxilium à Deo postulet, & dabitur
 ei. Homo languidus dicens adiutorem propi-
 cium non habeo, nobis insinuare voluit, eum
 primum parentē habuisse peccati originis au-
 thorem, ex quo radix omnium malorum enata
 est, atq; ex prophetarum vaticiniis alterū expe-
 ctare, in proximo venturum, qui se seruabit. De
Abac. 2. quo propheta ait: Veniet dominus & non tar-
 dabit relaxare facinora plebis suæ, quē prophe-
Psal. 39. ta diu expectauit, & tandē intendit illi, & edu-
 xit pedes eius de lacu miseræ & de luto fecis,
 atq; in salutaris gratiæ piscinã misit. Iuxta illud
Ezec. 36 Ezechielis: Effundã super vos aquam mūdã,
 & mūdabimini ab omnibus iniquitatibus ve-
Rom. 6. stris. Cur etiam dictū est, quòd solus sanabitur
 vnus, nisi q; in vno homine errauimus omnes,
 quando noxam peccati admisit, & per vnicum
 Iesum iustificati sumus. Porrò ille solus saluabi-
 tur, qui catholicæ fidei mysteriis sufficiēter im-
 butus, & lauacro baptismatis purificatus, Chri-
 sto adhærebit: quem præueniet clamitans, & cū
 monens internè lectum pœnitentiæ ferre. Para-
 lyticus

lyticus lectum ferens rectè ambulauit: vult etiã quòd torporem vitiorum, in quibus diu lãguimus, à nobis excutiamus, & peccati delectationem in onus pœnitentiã conuertamus. Quod se facturum profitebatur psalmista dicens: Lauabo per singulas noctes lectũ meum, lachrymis meis, stratum meũ rigabo, vt remittat dominus iniquitatem peccati mei. Postea per iustitię opera Deo placeamus, & de virtute in virtutem progrediamur per viam mandatorũ eius ambulantes iuxta illud: in via mandatorũ tuorum cucurri, quia dilatasti cor meum. Si paralyticus fuisset in fide dubius, Christi mandato obsequi recusasset apud semetipsum dicēs: Nemo ægrotantium potuit prius salutem cõsequi quàm angelus è cœlo descēdit & aquam commouit, hic autē me simplici verbo curare promittit. Quod fuerit verbo Christi confisus, lectum ferens, curatus est, nos pariter amantissimi, Christo fidamus & p̄cepta eius faciamus, vt per fidei opera salutē consequamur: Fortassis vicarij eius quid graue nobis pro opere satisfactorio imponent, quòd sint nostri iudices constituti. Iussa eorum faciamus, neq; illos audiamus, qui pœnitentię onus ferre nolunt dicētes, leuissimo ictu gladij hominē interfeci, vel rem vxoriam cum breui gaudio compleui, cur pro istis abolendis essem graues pœnas in mundo

*Psal. 6.**Psal. 118*

passurus ne æternas subeam? Vidéntne hūc ho-
 minem cum bona animi patientia fuisse lógis-
 simo vexatum morbo? Itaq; peccata cōmittere
 horreant, & pœnam impositā luāt, ne in futurū
 ex facili indulgentia in similia incidāt. Quot-
 quot enim exēplo proximorū corrigi & melio-
 res fieri cōtēnūt, ex cōtēptu deteriores fiūt. No-
 bis exēplo sunt scelestissimi homines, ex blādiē
 ti fortuna lasciuiantes, qui pœnitere nolunt, &
 iniquitates suas de die in diē plōngāt, & quasi
 in ictu oculi seu momento moriētes, ad inferni
 nouissima descēdere videntur. Quid enim vita
 eorū in malis ducta aliud fuit, q̄ apparēs argu-
 mētū supplicij in futura vita sustinēdi? Ad lite-
 rē sensum reuertamur *Erat autē sabbatū in die illo.*
Dicebant ergo Iudæi illi qui sanatus fuerat: Sabbatum
est non licet tibi tollere grabatum tuum. Mirabile est
 præsentes Iudæos ex miraculo verè insigni, ma-
 ledicentiæ seminariū ex maximo animi liuore
 habuisse, vndè liuor in Christū cōceptus, ocu-
 lose eorum in perniciē propriæ salutis perstrin-
 xit. Quam ob rem paralyticum impetiuerunt
 nisi quod fuisset die sabbati à Christo curatus?
 Verūm quo grauiori liuore in Christū afficie-
 bātur, eo maiori anxietate in animis cruciabā-
 tur. Vt illum seducerent laqueos vndiquāq; te-
 tenderūt, ne populus Christū benefactorē suū
 honorificè susciperet. Mihi videtur homo in-
 uidus

uidus esse ceteris peccatoribus lógè scelerator:
 q̄ omni excusatione aut iusta aut apparenti ca-
 reat. Homo scortator, carnalis voluptatis stimu-
 los in excusationē affert: fur, velamento metus
 paupertatis vtcūq; excusatur: homicida, animi
 furorem proponit: vt paucis absoluā, quotquot
 peccant, qualescūq; licet friuolas excusationū
 formulas ad peccati defensionem adferūt. Sed
 quæso quid aliud homo inuidus præter animi
 malitiā adducere poterit? Mihi videtur inhu-
 manis bestiis ferocior, quæ nisi fuerint famis
 inedia impulsæ, aut furiis agitata, suis non no-
 cent: at inuidus homo, beneficum hominē ini-
 mici loco habet. Vt quidquàm maius de illo
 dicā: est nō solum dæmonio cōpar, sed illo lógè
 iniquior. Dæmō suo generi nō inuidet neq; in-
 sidiatur: inuidus autē familiares & amicos ho-
 stiliter persequitur: Tales erāt Iudæi: q̄ enim in
 dubiū afferre nō possent licitū fuisse in die sab-
 bati hominē curare, quoniā id Christus multis
 rationibus ostēderat, tātū de lecti portatione
 conquesti sunt, dicentes: Exēpli gratia cōceda-
 tur salutem hominis ob diem festū differri non
 debuisse, non propterea sequitur, die festo gra-
 batum ferre licitū fuisse. Quid fuit excogitata
 eorū malitia nequius? Proximo diu languido
 ob subsequutā inopinatò salutē cōgratulari &
 Christo mūdatori illius gratias agere debuerūt:
 cōtrā cū curato homini, tum Christo ex bo-

no opere calumnias struunt, & utrúnq; sabbati violati arguunt. Quasi qualis & quãta esset sabbati religio multò perfectiùs & longè intimiùs Christo intelligerent. Quis non videt religionẽ eorum peruersè inuidẽtium præposteram esse? Sabbati otium ob proximi salutem dimittendum esse non credebãt, & rem esse nullius momenti existimabant, illo die proximis calúnias struere nouerãt. Sanè paralyticum multis retro annis lecto decubentem, factum fuisse Christi imperio tam validum, vt lectum ferre posset, neq; vlla in eo præcedẽtis morbi vestigia restabant etiam minima. Pro tátò ac tali miraculo, nisi fuissent in Deũ verè impij & proximo inuidi, Deum glorificare, & paralytico cõgratulari debuissent: quem multis verbis adoriũtur, vt eum confundant dicentes: Illi licitũ non fuisse grabatum die sabbati ferre: at mentiebatur iniquitas sibi. Nõne die sabbati ea facere licet, quæ in gloriam Dei cedunt? Vndè sacerdotes illo die holocausta & victimas præparabant, vt populo diuinum fauorem cõciliarent. Eadem ratione & multo maiori lectum ferre paralytico licuit, tanquam gloriam diuinæ maiestatis detegenti, non secus q̃ si qui à carceribus miraculosè liberati ad templum confugientes, vincula compedum suorum cum votiuis donis ad laudem Dei & honorem alicuius sancti deferrent.

rent. An homo per Christum à paralyfi libera-
 tus tamen ab illis fuerit durissimè increpatus,
 quod à Christo beneficium acceperat dissimu-
 lauit timens illorum inuidiam incurrere? Ni-
 hil minus. Sed illud esse ré maximè prodigio-
 sam paucis verbis explicuit: & Christum esse
 sabbato maiorem declarauit. Vndè sequitur:
*Qui me saluum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum
 tuum & ambula.* Quantus est testantur ope-
 ra eius, nimirum nisi esset homo eximie vir-
 tutis, me multis annis ex morbo paralyfis le-
 cto decumbentem, subitaneæ sanitati restitue-
 re non potuisset. Cur igitur mandato illius pa-
 rére detrectassem qui me saluum fecit? Scitote
 quòd præceptum illius gratanter subij. *Interro-
 gauerunt ergo eum, quis est homo ille qui dixit tibi:
 Tolle grabatum tuum & ambula?* Cur verò hæc
 quærentes aliud omiserunt quod præcipuum
 erat, & tantum lecti deportationem in mediũ
 adduxerunt? nisi quod nouissimè fuerant à
 Christo grauissimè redarguti, qui multis ratio-
 nibus monstraauerat, bonum opus ob sabbati
 religionem differendum non esse. Sicut verò
 benignissimus Iesus præsentiam hominis cui
 inuidetur flammam inuidiæ inuidis submini-
 strare intelligens, ne eos ardentiores ad vindi-
 ctam redderet & ipsi ultra modũ incandesce-
 rent in irâ: patrato huiusmodi miraculo, à tur-

ba eo loci constituta recesserat. Vnde factum est, vt ille qui sanus factus fuerat nesciret quis esset qui eum saluum fecisset. Audiuimus eum triginta & octo annos valetudinarium fuisse, ideóque Iesum sola facie & communi fama no- uit, qui à loco statim recessit, vt aduersarij eius ipso absente de modo miraculi plenius infor- mari possent: ne etiam furor eorum ex eo ope- re miraculoso excitatus, ob corporalem ipsius præsentiam in immensum cresceret. Nos quo- que informauit Christus post opera præclare edita, hominum applausus fugere, amâtes ne- sciri, ne fauores humani synceritatem nostræ mentis perturbent. Vtérque & Christus & pa- ralyticus templum adiit: vnde sequitur: *Inuenit eum in templo, & dixit illi: Ecce sanus factus es, noli amplius peccare, ne quid deterius tibi contingat.* Si di- uino amore inflammari volumus, peruersorū hominum sodalitia relinquamus: manentibus enim cum illis multa occurrent puræ precatio- nis obstaculo. Sed in templo corpus filij Dei inueniemus, & ab eo inueniemur, qui nostro- rum vulnerum & peccatorum curam egit, & super lignum crucis ea portauit. In huius rei ty- pum, ipse languidum hominem non modò à paralyfi curauit, verùmetiam à peccatis libera- uit. Vndè Iudæis dicebat: Mihi indignamini quia totum hominem die sabbati saluum feci.

Ioan. 7.

&

& Iudæis nuntiauit paralyticus quia Christus est qui se saluum fecit, recta vt arbitror intentione: scilicet vt suum mundatorem propter opus admirabile glorificarent, & supremis laudibus vsque in cœlum efferrent.

FINIS.

Homelia Sabbati post primam dominicam Quadrage. Math. 17.



*S*umpsit Iesus Petrum, Iacobum & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos. Benignissimus Iesus multa de sua maiestate in qua venturus est cum angelis suis loquutus, inter alia discipulis dixerat: Sunt quidam de his stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo. vt promissum teneret, & eos constantiores redderet, ne inter suæ passionis opprobria animos desponderent, eos futuræ beatitudinis gloriam prægustare voluit. *Mat. 16.* Ideo quasi per trāscursum, suæ diuinitatis scintillam manifestauit: non omnibus duodecim, sed tribus electis, scilicet Petro, Ioanni & Iacobo, quos in excelsum montem & seorsum duxit. Cur illos confratribus eorum præposuit, nisi quod muneribus diuinis locupletiores essent?

Petrus enim constantia fidei commēdatur, cui
 Christus ait, Rogavi pro te vt non deficiat fi-
Mat. 16 des tua. Et ipse Christo loquens ait, Tu es Chri-
 stus filius Dei viui, qui in hunc mundum veni-
 sti. Nomen Petri adumbratæ rei egregiè con-
 gruit. Dicitur enim Petrus à petra, quod sonat
 quid constans, stabile & firmum. Nomē Iacob
 vel Iacobi, idem est ac si dicas, vitia supplan-
 tans. Ipse enim fuit feruidus vitiorum extirpa-
 tor. De Ioanne legitur, hic est discipulus quem
Ioan. 21 diligebat Iesus, qui in cœna supra pectus eius
 recubuit. Ob commemorata charismatum do-
 na, eos Christus aliis præposuit: quæ suis meri-
 tis non assignarūt sed dono gratiæ Dei tribue-
 runt. Quorum exemplo monemur tum fidem
 nostram, tum vitiorum victoriam, tum veram
 Dei & proximi dilectionē, credere dona Dei
 esse, & cum Paulo dicere, Gratia Dei sum id
 quod sum. Dicamus nunc cur benignissimus
 Iesus sex dies pertransire voluit, ab illo nume-
Mat. 16 randos quo prædixerat: sunt quidā de hîc stan-
 tibus &c. antè quàm illos secum montē ascen-
 dere fecit. Hoc prudentissimè egit: sicut enim
 res aliquandiu expectata, cum gaudio maiori
Prov. 13 apprehenditur, etiam si fuerit vltra modum di-
 lata, hominis mētem affligit: ideo neque plus,
 neque minus se discipulis manifestum reddere
 distulit Christus. Iterum numerus sex dierum,
 præsentis

præsentis vitæ laborem signat. quæque enim
 sunt cœli & terræ, Deus sex diebus condidit, & *Gene. 1.*
 septimo ab omni opere quod patrarat quieuit. 2. & 3.
 Nos verò si per cursum præsentis vitæ, quæ sex
 dies adumbrant, recta operati fuerimus, in se-
 ptimo die scilicet sabbati vel quietis cum istis
 tribus discipulis à Christo electis, montem ce-
 lestis gratiæ conscendemus, & faciem Dei Ia-
 cob videbimus. Quod ex sententia Psalmistæ
 colligitur, principiò quærentis: *Quis ascendet Psal. 23.*
 in montem domini, aut quis stabit in loco san-
 cto eius? & respondens ait: Qui est innocēs ma-
 nibus & mundo corde, quòd sit ex generatio-
 ne quærentium dominum, quæretium faciem
 dei Iacob, accipiet benedictionem à domino
 & misericordiam à deo salutari suo. Ipsi Chri-
 stum voluntariè per montis ascensum sequuti
 sunt, socios relinquentes. Nos verò Christi ve-
 stigia sequamur, & sodalitia mundanorum ho-
 minum relinquamus, neque in infimis volu-
 ptatibus iaceamus, fugitiua quoq; mundi gau-
 dia declinemus, vt in cœlestem patriam, quæ
 sursum est, cū Christo ascendamus. Sicut enim
 (vt iustè viuamus) multum nobis proderit so-
 cietas hominum rectè viuentium, etiam nocere
 poterit turba mundanorum hominum. Se-
 moti ab illis aduersus vitiorum insultus, fidei
 scuto muniti simus, & gladio spiritus Dei vitia

eradicemus, ad hoc nos multum iuuabit Dei gratia, quam Ioannes adumbravit. Quod Lucas dixerit: Post sermones istos, facti sunt quasi dies octo, & in Matthæo habetur: Post dies sex, crediderunt nonnulli diuersum esse miraculum, quod hic vel ille recensuit. Mihi autem videtur vnum & idem esse, & narrationes Euangelistarum conformes esse. Quod percipies si mente reuoluas Lucam primum diem ascensus Christi & vltimum descensus commemorasse: Matthæus verò intermedios dies tantum posuit. Videamus quid actum est: postquam ad montis verticem venerunt, deuote preceationi intenderunt tres discipuli, scientes eam esse quæ mentem hominis in cœlum leuat: Christus verò fuit à terra paulatim eleuatus. Sicut hominis formam diuinitatis plenam induit, ita pristinam non dimisit, contra semper retinuit, sed gloria omnium excellentissima eam ornauit. Credunt nonnulli eum tribus discipulis illam exhibuisse maiestatis formam in qua venturus est viuos & mortuos iudicaturus. Ne suspicemur eum aliam induisse cum priori Euangelista prudenter ait: *Et resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.* Misterium transfigurationis in monte Thaabor celebratum fuisse credunt plurimi, & ad suæ opinionis fulcimentum referunt Psalmistam propheta-

tasse:

tasse: Thaabor & Hermon in nomine tuo ex- *Pfal. 88.*
 ultabunt. Quia deus electum de plebe sua in
 illis exaltauit, qui loquutus est in visione san-
 ctis suis, scilicet Moyfi & Helia. Mihi vide-
 tur esse ostensum in illa visione splendorem
 vultus Christi multò splendidiorẽ claritate
 solis, & corporis illius indumenta candidio-
 ra niue. Legitur enim, quòd beati in cœlesti
 gloria constituti fulgebunt sicut sol, & vni- *Sap. 3.*
 cuique eorum gradus beatitudinis pro meri-
 torum dignitate assignabitur. Huic sententiæ
 inseruit doctrina Apostoli dicentis: Sicut stel- *1. Cor. 15*
 la in claritate à stella differt, sic erit resurrectio
 mortuorum. Nemini autem dubium est Chri-
 stum hominem factum gloriæ gradum longè
 maiorem quàm sanctos promeruisse. Subinfe-
 ramus splendorem vultus sui, fuisse multò splẽ-
 didiorẽ sydereo sole. Quod autem inter cœ-
 lestia corpora, aliud non sit sole splendidius &
 magis cõspicuum, splendorẽ illius faciei Chri-
 sti adaptauit Euangelista. Idẽ dicas de vestimẽ-
 tis illius. Nempe multò splendidiora fuerunt quàm
 fullo in arte sua longè præcellens, pannis suis
 addere posset. Cur verò maior claritas & splen-
 didior in facie Christi quàm in vestimẽtis eius
 apparuit, nisi quòd facies internum hominem
 adumbrat, & vestimenta externũ representat.
 Anima verò hominis est tantò preciosior cor-

pore atque dignior, quantò corpus vestimento
Matt. 6 præcellit. Vndè legitur, quòd anima plus est
 quàm corpus: quare decuit illam maiori clari-
 tate vestiri quàm corpus: fuitq; splendor illius
 per solem adumbratus, & vestimentorū can-
 dor assimilatus, quæ in aquam resoluitur. Cur
 & faciei suæ, & vestimentorum splendorem ac
 decorem, tribus discipulis manifestauit, nisi vt
 in ore eorum trium constans esset transfigura-
 tionis mysterium? Testificans se Dei filium in
 mundum venisse, vt per mortem crucis exina-
 nitus, nos à peccatis ad iustitiam, ab infimis re-
 bus ad gradum gloriæ sublimaret. In ea trans-
 figuratione cum eo astiterunt duo reuerendi
 patres, titulis virtutum celebres & conspicui,
 scilicet Moyses & Helias. Quorum corpora in
 vsum huius transfigurationis Deus reseruaue-

Deuter. rat. De Moysse legitur, quòd dominus eum se-
 peliuit, sed locum sepulturæ illius nemo nouit.

34.
4. Reg. 2 Fuerat verò Helias in cœlum curru igneo ra-
 ptus, & vltra à nemine visus. De quibus sequi-
 tur: *Et ecce apparuerunt illis Moyses & Helias cum*
eo loquentes. Lucas nobis expressit eos cum Chri-
 sto colloquutos, de excessu quem erat Hiero-
 solimis peracturus, pendens pro nobis in cru-
 ce. Cur dolorem passionis eius excessum no-
 minauit Euangelista, nisi quod fuerit excessus
 omnium maximus? In rationem habere veli-
 mus

mus & doloris & dedecoris quæ sustinuit, & ni-
 miæ charitatis qua nos dilexit. Forſan dices:
 An Moyſes & Helias facti cum Chriſto noui
 confabulones aliud magis decens narrare non
 potuerunt, quàm dolores, contumelias, & cru-
 ces, mortem quoque omnium probroſiſſimã?
 Nónne ſciebant quòd dolor & lætitia non be-
 ne conueniunt, neque in eadem ſede moran-
 tur? Mirari deſine Chriſti miles, omnino reuol-
 uens quorum nominibus illic aſtiterunt. Sicut
 Moyſes perſonã antiqui legiſlatoris geſſit, etiã
 Helias ſanctiſſimos prophetas repræſentauit.
 Quid ergo aliud conuenientius loqui debue-
 runt, præter id quod in lege & prophetis de fi-
 lio hominis ſcriptum eſt? Scopus autem legis
 & prophetarũ nos erudit, eum oportuiſſe mor-
 tem pati, & per paſſionis myſterium gloriam
 ſuam ingredi. Quare de exceſſu quem erat bre-
 ui peracturus in Hieroſolymam, loquebantur,
 & longè conuenientia referebant. Niſi enim
 eloquuti fuiſſent quæ lex & prophete facienda
 eſſe pro ſalute noſtra ſcripſerant, nemo eos eſſe
 Dei prophetas credidiſſet. Quantus propheta
 fuerit Helias, ex eo perpeditur, quod ſacerdo-
 tes & leuitæ ad Ioannem miſſi ab eo quæſierunt *Ioan. i.*
 Helias es tu? Quẽadmodũ Chriſtus, Moyſes &
 Helias, amicè cõfabulabãtur, ita ipſi tres, vetus
 teſtamentum, prophetarũ oracula, & nouum,

quod Christus attulit repræsentabant. Fuit in-
 super Moyses populi commodum adeò zela-
Exo. 32. tus, quòd maluerit è libro vitæ deleri, quàm po-
 pulū Israel videre ob infidelitatis crimen peri-
 clitari. Helias verò aduersus inimicos Dei adeò
4. Reg. 1 excanduit quòd ignem è cælo descendere, &
 milites quinquagenarios illusores suos eo cõ-
 buri, cū quinquagenariis suis impetrarit. Chri-
 stus verò in medio eorum stetit, eam animi cle-
 mentiam qua Moyses commendatur, habens
 in manu, iustitiam de infidelibus Iudæis impæ-
 nitentibus exercuit, quādo ciuitas eorum cum
 habitatoribus suis funditùs corruit. Moyses de-
Deuter. bitū naturæ soluerat, de quo legitur: Mortuus
34. est, & dominus illum sepeliuit: Helias verò fue-
 rat (vt dictum est) curru igneo in cælum mor-
 te non gustata euectus. Hunc ergo ab inferiori-
 bus terræ, & illum à supernis euocauit, vt ne-
 mo nesciret eum vitæ & mortis potestatem ha-
 bere, atque eum dominari cū illis qui in cœ-
 lis viuunt, tum aliis qui in inferno detēti sunt.
 Præsentia Moyse curiositati plurium qui cor-
 porum resurrectionem non credebant, satisfacit.
 Si nula esset resurrectio Moyses indubiè
 mortuus, cū Christo nõ astitisset, de rebus ad sa-
 lutem resurgentiū pertinentibus multa loquu-
 tus. Quòd autem resurrexerit à morte per Chri-
 stum euocatus, credamus Christum esse illum
 qui

qui quos vult mortificat & viuificat, deducit *1. Reg. 2*
 ad inferos & reducit, & quos vult incolumes
 seruat in obsequium fidei. Quid ergo suæ incre-
 dulitati prætexere poterunt qui de resurrectio-
 nis articulo aliquatenus dubitarunt? Mihi di-
 cant quæso, quomodo Moysen mortum susci-
 tare, vel Heliam viuum tot annis seruare po-
 tuisset, nisi esset omnium resurrectio & vita?
 quòd viuentes sint aduersa passi, qui affliguntur
 animo reuoluant Deum patrem filio non pe- *Rom. 8.*
 percisse, & suis familiaribus amicis correctio- *Apoc. 3.*
 nis flagella aliquando immisisse. Nobis exem-
 plo sunt Moyses & Helias: fuerat ille tanquam *Exod. 2*
 regis filius tenerè educatus, & tandem tot ma-
 lis obrutus, quòd à regia exire & ouium pasto-
 rem agere necessarium habuerit. In ducatum
 populi Israël à domino electus, tot rerù discrimina
 sustinuit, vt ad Deum exclamarit: Me in-
 terficias, ne tantis aut tot malis obruar. Quòd
 fuerit patientissimus, missæ à manu Dei affli-
 ctiones, in animæ illius perniciem non cesse-
 runt: sed in maximam illius gloriam efflorue-
 runt. De Helia aliquid dicamus. Tot & tanta
 sustinuit, vt domino dixerit: Hactenus vixisse *3. Reg.*
 mihi sufficit, tolle animam meam domine: *19.*
 quem afflictiones vltra animæ vires non op-
 presserunt, sed ad eum perfectionis gradù pro-
 mouerunt, quòd fuerit in cœlum igneo curru *4. Reg. 3*

euectus, & ambo euocati vt Christi accessores
 fierent. Itaque (amantissimi) afflictiones etiam
 grauissimæ nos non remorantur, quin Chri-
 stum sequamur. Cur autem timebimus pro eo
 diuitiarum vsum perdere, cum dicat scriptura,
Matt. 9 illos qui eas propter Christum relinquunt, ha-
 bituros cœlestes thesauros in cœlis perpetuò
 duraturos? An metuemus labilem huius muni-
 di gloriam non habere, tanquam flos fœni pa-
 rum duraturam & deficientem, quam etiam
 Christus propter nos contempsit atque spre-
 uit? Igitur nihil sit quo remoremur, ne Christū
 recti itineris ducem certissimum sequamur.
 Quotquot legis præcepta seruant, cum eo re-
 ctè ambulant, & montem glorię conscendent:
Psal. 18. cum sit assignata in custodiendis illis retribu-
 tio multa. Omni excusatione carebunt, qui il-
 la non custodient, & in extremo iudicio, per
 negotiatores huius seculi abundè arguentur, di-
 centibus illis: Ob exiguū pecuniæ lucrum infi-
 nitis penè periculis nocte ac die propriam vitā
 exposuimus, vos autem ob cœlestis vitæ præ-
 mium, nec minimū periculi subire voluistis.
 Si merces nostri laboris incerta esset, vtcūque
 excusaremur, cum verò sit omnium maximè
 certissima, quis excusaretur? Interea dum Chri-
 stus cum Helia & Moysè confabularetur, quid
 tribus discipulis contigit dicamus. Grauatī
 somno

somno satis profundè dormitarunt: in quibus
 humanæ conditionis miseriam defleamus. Ad
 hoc enim Christus eos in montem deduxerat,
 vt vigilantes gaudia perpetuæ fœlicitatis præ-
 gustarent, & de muneribus diuinis abūdè col-
 latis gratias agerent: quasi hæc contemptui ha-
 berent, ædificia eo loci construere postulabāt,
 cum Christi mors sit spirituale fundamētum.
 Per ventos persecutionum austerè flantes cor-
 ruissent: quare Petrus tanquam indiscretè lo-
 quens, fuit à benignissimo Iesu subausterè in-
 crepatus. Quo adhuc loquente nubes lucida
 adumbravit eos, scilicet Moysen & Heliam, ne
 ulterius videri possent: & oportunè quidem il-
 la nubes, eo temporis eos adumbravit, quo tria
 construere tabernacula vellent, quasi illis ne-
 cessaria essent, veluti hominibus tranquillè in
 certo loco manentibus, vel familiarissimè col-
 loquentibus, diuersa assignari solent tentoria
 vt protegantur, vel ab impetu ventorum, vel à
 conuentu hominum iniquitatem operātium.
 Fortassis nubes illos obtegit, vt recordarentur
 plebis Israëliticæ per deserta inambulātis qua-
 draginta annis nube coopertæ: in testimoniū
 quòd ad beatam vitam euocari, sub tabernacu-
 lis in seculo manentes viuere debent, & sunt
 quasi sub nube. Ideo Deus populum Israël per
 deserta gradientem die in colūna nubis & no-

Exod.

13.

Psal. 94

ste ignis deduxit. Quod ergo nubes illos ad-
 umbravit quid mysticum celabat, scilicet ut no-
 uissima primis responderent. In variis operibus
 Dei nubes apparuit, sed multis formis figuræ
 fuit. Dum enim populus domini (vt dictum
 est) per desertum inambularet, fuit nube tene-
 3. Reg. 8. brosa tectus. Et post quàm Salomon templi æ-
 dificium consummauit, tanta nube impletur,
 vt sacerdotes ob caliginem illius se mutuò vi-
 dere non possent, dum Christus baptizaretur
 ex lucida nube paterna vox auditur. Hæc nos
 docent antiquos patres & prophetas sub nubis
 1. Cor. 10 inuolucro multa dixisse, quibus in figuris om-
 nia erant propter populū Israël, qui erat dure
 Mat. 17 ceruicis. Sed in baptismo Christi, lucis, euan-
 gelistæ, legislatoris nubes lucida apparuit, qui
 momentaneam vitæ præsentis fœlicitatem nu-
 Act. 1. bium instar declarauit. Qui rursus in nube lu-
 cida cœlos ascendit, & venturus est iudicare se-
 culum per ignem. & nubes huius vltimi aduē-
 Psal. 96. tus tenebrosa erit, iuxta illud: Nubes & caligo
 sub pedibus eius. Hæc quidem quoniam erit
 quoddam suæ indignationis vestigium (Amā-
 tissimi) iustè viuamus, ne aduentum illius ti-
 Heb. 12 meamus, & accedamus ad inaccessibleē ignē,
 qui peccatores vorabit, turbinem, caliginem,
 procellam, tubæ sonum, & vocem verborum
 Eccle. 50 minantium plenā. Sed lux immensa nos tanta
 claritate

claritate adumbret, vt simus quasi stellæ in medio nebulæ fulgentes. Ex ea nube lucida vox patris audita fuit dicentis: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui ipsum audite.* Ideo firmiter credamus Christum esse Dei filium, non quidem adoptiuum vel aliunde procreatum, sed naturalem ex Deo patre ante secula genitum. Vndè est patri qui eum genuit æqualis: quoniam filium generans non est eo prior, nec ipse genitus suo genitore posterior. Inter illos diuinitatis consortium nihil discernit: quia pater sine filio nihil agit, per quem omnia facit: sicut ab eo est genitus, etiam in eo semper manet. Sicut alius est vel qui genuit vel qui genitus ab illis, etiam iuxta diuinitatis substantiam aliud de vno quàm de alio prædicare, sentire, cogitare, impium esset. Hoc tamen filio proprium est, quòd manēs in forma Dei, habitum nostræ carnis induit, vt in eodē duo essent scilicet Deus & homo. Ipse iuxta hominis naturā dictus est Deo charissimus, qui ex diuinitate Deus est. In mundum veniens salutis verbum super montem Sion annuntiauit, vt sua prædicatione nomē Dei patris celebre redderet, quē amara passione (qua nos redemit atque suos fecit) clarificauit. Ideo sequitur: *Ipsam audite* qui vos creauit, quique dato sui sanguinis precio à peccatis mundauit, & à potestate principis te-

Psal.

109.

Phil. 2.

Psal. 2.

Ioan. 13.

Matth. nebrarum eripuit: cui pater omnē potestatem
 28. dedit, quem vmbra legales & prophetarū præ-
 dictiones venturum & futurum mundi serua-
Deut. 18. torem prædixerunt. De quo Moyses ait: Ipsum
 tanquam me audietis, qui verò eum audire no-
 luerit exterminabitur de plebe. Cùm hæc sint
 ex lege & prophetis desumpta, quid in mediū
 afferre possunt insensati homines, qui fronte
 perfricta Christo reclamant: in quem Deus pa-
 ter totius orbis imperiū transfudit, sub his ver-
 bis, *Ipsam audite* & ad maius veritatis robur, vo-
 luit trāsfigurationi duos testes interesse: vnum
 è cælo, scilicet Heliam, alium ab inferno, scili-
 cet Moysen. Idcirco (amantissimi) omne obse-
 quium vel honoris vel seruitutis Christo exhi-
 beamus à quo salus nostra pendet, & qui cha-
 rismatum dona cui vult communicat & confert.
 Sub istis verbis equidem paucis, summa ra-
 tio totius nostræ legis & prophetarum inclusa
 est. Ex multis pauca in medium afferamus de
Psal. 2. futuro Messia per os Davidis dictū fuerat: Di-
 xit dominus ad me, filius meus es tu, ego hodie
Esa. 43. genui te. De eodem per Esaiam ait: Ecce puer
 meus, suscipiam eum, complacuit sibi in illo a-
Deuter. 18. nima mea. Et per Moysen inquit: Prophetam
 de fratribus vestris suscitabit dominus, ipsum
 audietis. Hæc autem omnia quasi in vnū acer-
 uum, scriptura coniecit, & benignissimo Iesu
 conuenire

conuenire pronunciauit. Ac si planiùs diceret: Hic est quem Deus pater ore prophetico filiũ suum vocauit, quem per Esaiam sibi charissimum declarauit: Moyses nos eum audire iussit. An lucidiùs probari posset dignitatẽ veri Messiaẽ Christo tribuẽdam esse? Deus pater hactenus super filios hominum respexerat, visurus si quis eorum esset ab omni peccato purus, & eũ planè intelligeret: & neminem inuenerat dicẽte scriptura. Omnes declinauerunt, inutiles facti sunt. *Psal. 52.* Nunc verò Christum inuenit, quem vnice diligit anima eius, quoniam quæ placita sunt ei, fecit semper. Hic enim pro salute nostra afflictiones grauissimas passus est, nos informãs si Deus nobis aliquas immiserit vt eas patienter feramus. Discipuli huc vsque fuerant in altum pelagus contemplationis rerum admirabilium sublimati, sic vt pondus diuinæ maiestatis, vires ingenij eorum excederet, & quasi seipfos nescientes paulatim deficiebãt. Vndè sequitur: *Hac audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde.* Quia se multum errasse cognouerunt, cupientes tabernacula in eo môte construi. Mihi dices: Admirari non debuerunt Dei patris vocem audientes, dum enim Christus baptizaretur plurimi eam audierũt, & nemo exterritus fuit. Cur ergo impræsentiarũ ad sonitum illius timuerunt? Nimirum plurima

maximo stupore plena concurrerunt: qualia
 sunt huius loci sollicitudo, maxima Moyſi &
 Heliae cū Christo colloquia super excessu quē
 passurus erat in Hierusalem, subitanea corporis
 Christi transfiguratio facta, & nubis extensio.
 Hæc autem omnia in baptismo Ioānis nō fue-
 runt. Ex quibus simul iunctis, maximus timor
 animos eorum occupauit. *Tunc accessit Iesus &
 tetigit eos. Dixitque eis: Nolite timere.* Ideo accessit
 & eos tetigit, ne stupor animis eorum incidēs
 mirabilium quæ viderāt obliuionem adferret,
 & suo tactu debilia eorum membra solidaret,
 quibus consueta voce familiari loquitur, vt ti-
 morem depellens & fiduciam tribuens, deper-
 ditas animi vires instauraret. *Leuantes autem ocu-
 los neminem viderunt præter Iesum.* Quoniā Moy-
 ses & Helias in priora reuersi erant domicilia,
 prius quàm vox patris intonuit, *Hic est filius
 meus dilectus.* Si enim cum Christo tunc asti-
 tissent, dubium videri potuisset, de quo eorum
 trium, paterna vox testimonium dedisset. Præ-
 sens spectaculum Christus discipulis notū fieri
 voluit, pro quadam prælibatione futuræ beati-
 tudinis illis promissæ. Postea eos per mōtis de-
 cliuium ad campeſtria vbi alios reliquerat, re-
 duxit. *Et descendentibus illis de monte præcepit dicēs:
 Nemini dixeritis visionē, donec filius hominis à mor-
 tuis resurgat.* Ab animis eorum studium inanis
 gloriæ

gloriæ abstulit, quæ visa transfiguratione, eos ad malum stimulare potuisset. Iterū probè sciebat discipulos consortes eorum quos præsentis visionis dignatus non fuerat, non equo ferre animo, hos tres ad id muneris electos fuisse: cū ex corrupto Adami ingenio sit nobis quasi ingenitum, quò magis iubemur aliquid tacere, eò amplius velle illud multis notum fieri. Illis maxime interdicit nemini visionē huiusmodi dicere, donec filius hominis à mortuis resurrexit. Crediderunt sanè causam esse seriā, ex qua nollet ante resurrectionis triumphum istud efferri in vulgus. Nimirum si paulò post istud diulgassent ob subsequutum crucis mysteriū multis scandalo fuissent, qui aut Christū impostorē fuisse, aut eos hæc excogitasse credidissent. Quis enim prospiciens benignissimum Iesum opprobriis plenum, moriētem in cruce, ex sensu carnis eum talem fuisse credidisset, qualem ipsi eum prædicassent? Quare sacramentum transfigurationis, post tempus resurrectionis reservandum erat, donec spiritus sanctus eos veritatem docuisset. Nam tunc cōstantes reddidit ac potentes alios informare, quandoquidem solet veritas indiscretè prolata potius nocumēto quàm adiumento esse. Rursus si quidem ante Christi resurrectionē hæc prædicassent, potius seditionem in populo cōmouissent, quàm ali-

quos ad Christum pellexissent, ideo differre ad tempus illos monuit, scilicet donec à mortuis ipse gloriosus resurget. Tunc spiritum veritatis super eos infudit, & tantæ rei sacramentum magno totius orbis commodo profuturū publicè nunciarunt: quia scandalum crucis iam præterierat, & ad ferendum de mysterio transfigurationis testimoniū, eos capaces & idoneos reddiderat, quos omnem veritatem docuerat.

Ioan. 20

Ioan. 14

Act. 1.

Homelia feria secunda post secundam dominicam quadragesimæ Ioannis octavo.



Ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini. Benignissimus Iesus in templo docens prope gazophilatium, quædam suæ diuinitatis mysteria aperuit. Ex quibus eum esse hominē blasphemum qui adstabant præsentés iudicarunt, & comprehendere eum ad mortem voluerūt, sed nemo in eum manus misit, quia nondū venerat hora vt comprehenderetur. Sicut enim quo die voluit natus est, eo, neque alio quē elegit, mortem passus est: etiam illos ineffaciter conari eum deprehendere ante diffinitū tēpus à patre declaravit, quòd tūc ferme in ianuis esset. Ideo ait illis: Ego nulla necessitate impulsus, sed mera volūtate inductus per crucis mysterium vado ad eū qui misit me. Expedit sanè omnibus

omnibus me reuerti ad paternam domum, in *Ioan. 14*
 qua mansiones multæ sunt, pro discretione me-
 ritorū, istis vel illis assignandis. *Nisi enim abiero,*
paracletus, cœlestium charismatū benignus lar-
 gitor, *ad vos non veniet.* Eadem illis prædixerat,
 & repetere curauit, vt eos aliquantulū terreret,
 & à malè cœptis reuocaret. Ac si illis planius
 diceret: Scio vos huc venisse, me vt cōprehēda-
 tis. Hora meę passionis mysterij à patre diffini-
 ta paululum expectāda est, ante illā nō erit ve-
 stræ potestatis quicquā in me sine patris decre-
 to agere. Intereā me nō fugit, quòd ex volūtate
 deprauata dicetis vaticiniū Hieremiæ, scilicet:
 Eradamus eum de terra viuētium, & faciamus *Hier. 11.*
 vt nomen eius non memoretur amplius, quo-
 niam contrarius est operibus nostris, nolumus
 hunc regnare super nos. Sed facultas vobis me *Luc. 19*
 capiendi denegabitur, sicut Herodi denegata *Mat. 2.*
 fuit, quādo me recens natum ad mortem quæ-
 siuit. Ipse nō modò fuit à sua expectatione cō-
 fusus, verūmetiam à Magis illusos, similiter an-
 te tempus à patre diffinitum inefficaces erunt
 conatus vestri, quibus me ad mortem quæritis:
 quem habere seruatorem possētis, quando an-
 gustiē vos vndiq; cōprimēt & circundabunt.
 Quæretis me & auxiliatorem non inuenietis,
 & in peccato vestro moriemini. Ex euentu in-
 foeliciū rerum, sermonem eius veracem esse

nouerunt. Quando enim ciuitas eorum inimicis circumdata fuit, & funditus corruit, in peccato suo mortui sunt. Non solum quo ad corpus, sed quod longè peius est, quo ad animam perierunt, & hæc quidem mors peccatorum, est omnium pessima. Aduertamus ergo longè diuersum esse propter peccatū vel in peccato mori. Christus enim ob peccatum primi parentis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, mori dignatus est, & cum eo iusti quotidie moriuntur iuxta illud: Propter te mortificamur tota die, & stimati sumus sicut oues occisionis. Impij verò in peccato moriuntur, cui sese totos dedunt, per quod ad inferni nouissima descendent, Christus autem cœlos ascendit. Itaq; illis dicebat: *Quò ego vado non potestis venire.* Cur eum sequi & quò ibat venire non potuerunt, nisi quòd eum super omnia diligere & legis eius mandata seruare noluerint? Est enim diuinæ legis obseruātia rectum iter quo cœlum ascenditur: Quidpiam parum dissimile discipulis nondum profectis, neq; sancti spiritus gratia cõfirmatis prædixerat, scilicet: quò ego vado nõ potestis venire. Sed ex industria addidit vocabulum modò: ne spem salutis auferret ab illis, & datam respicientiæ dilationē declararet. Quales enim tunc erant qui præceptorem tepidè nimis diligebāt, ad thronum gloriæ cœlestis ascendere, in quo

erat

erat Christus manens cū patre non potuissent. Vbi postea ascenderuut ad confitendū nomini domini altissimè, quia in melius cōmutati præceptorem sequuti sunt. At infideles Iudæi per vias semitis mandatorum Dei ex diametro oppositas ambulant. Ideo ait illis: *Vbi ego sum non potestis venire.* In mūdum non venerat Christus *Ioan. 5.* facere volūtatem suam, sed eius qui eum miserat, & semper fecit quæ illi placita sunt: quare ad mortem crucis seipsum humiliavit, pergens via puritatis, obedientiæ, paupertatis, paciētiae, humilitatis. Ipsi verò aliam elegerunt viā, priori contrariam, & obliquā, scilicet superbiæ, infidelitatis, immūditiae, liuoris. Cū autem viæ eorum essent omnino oppositæ, ambulātes in eis eodem illos ducere non potuerunt. Ideo ex causa multūm rationabili ait illis: *Quò ego vado non potestis venire.* Sententia eius, in extremo iudicio abundè verificatur: quoniam iusti cum eo, & per eum, ad beatam vitā peruenient, iniusti verò ad inferiora terræ descendēt. Sicut enim viuentes oppositis itineribus pergebant, etiā morientes ad diuersa peruenient loca. Cur peruersam Iudæorum voluntatem Christus satis austerè increpauit dicens: in peccato moriemini, nisi vt malignari cessarent, & per salutis viam inambularent? Cōsueuerant sanè terrena diuinis, & peritura cœlestibus præferre, atque

Psal. i. opera sua per hypocrisim omnibus ostentabāt,
 quibus incautos decipiebant. Erantq; persimi-
 les pulveri ante faciem venti super faciem ter-
 ræ commoti, aut gracili maris spumæ, per pro-
 cellam huc & illuc dispersæ. Igitur intelligen-
 tiam verborum Christi capere non potuerunt,
 & sacramentum sub illorum cortice inclusum
 ignorarunt. Et cum animo essent perplexo in-
 uicem dixerunt: *Nunquid interficiet semetipsum,*
quia dixit quò ego vado non potestis venire? Hæc re-
 ferentes eum hominem furiosum iudicabant,
 & esse ea mentis dementia raptum, vt furore
 quodam dæmoniaci seipsum occidere vellet.
 Quid autem dementius excogitari posset hac
 stolidissima opinione eorum? Quid enim ipse
 est nisi vita quæ mortem nescit? quin & aculeū
 illius contriuit. Nihil ergo magis alienū fuit,
 ab eo omnium prudētissimo simulq; constan-
 tissimo, quàm velle sibi mortem consciscere.
 Erant ergo verba eorum stoliditatis & insipiē-
 tiæ plena. Quorum prætexu inferre voluerunt
 Christum se interficere velle, quoniã ait: Quò
 ego vado non potestis venire. An huiusmodi
 verba aliquid habent huius consequentiæ? Ni-
 hil penitus disputationis. Quod si concedatur
 voluisse sibi mortem inferre, nunquid seipsum
 interficiēdo potuissent & eodem per mortem
 quò iturus erat properare? Verùm palā est cun-
 ctis etiam

Etis etiã cæcutiētibus eum nullatenus de morte
 sibi inferenda verba fecisse. Sed de ea patienter
 sufferenda quam inimici eius inferrent. Ne ex
 verbis imprudēter intellectis calumniæ ansam
 infumerent, sui animi decretū lucidiūs expres-
 sit, & quales erant declaravit inquit: *Vos de
 deorsum estis, ego de supernis sum.* Fuerat sanè Ada-
 mus de limo terrę formatus, à quo genus duxe-
 rāt. cū quod graue est suapte natura deorsum
 tendit, iterū peccato originis infecti erant, iux-
 ta illud psalmistæ: In iniquitatibus conceptus *Psal. 50.*
 sum, & in peccatis cōcepit me mater mea. Ideo
 facti erant mancipia diaboli, qui superbis præ-
 fidet patérque illorum nominatur. Quotquot
 enim omnia carni & sanguini tribuunt, & cor-
 da sursum leuare nolunt, partes diaboli fouent,
 & deorsum tendunt. Christus verò de supernis
 est: quia egressus eius in salutem populi, à sum- *Psal. 18.*
 mo cœli fuit. Istud de cœlo intelligendum non
 est, per quod aues volitant, vel de alio superiori
 & stellato, vbi sol, luna, & stellæ cursus suos cō-
 plēt, sed de supremo omnium, in quo angelo-
 rum chori in conspectu Dei stant nomen illius
 incessabili voce collaudantes. Ab illo, exiuit
 Christus in mūdum veniens: quem pater prius
 sibi coæternum & consubstantialem genuerat.
 Vnde ait: *Ego de supernis sum.* Quicquid enim
 creatum est, cū sit ex substantia terræ, infimū

est: & Christi dignitas, illud ultra modum excedit. Quoniã operante spiritu sancto conceptus fuit. Quem pater non solum ab æterno genuit, verumetiam in matre cœlitus adumbrata, sua suppleuit gratia, quod producendis hominibus per actiuum originis principium fieri solet. Ideo cùm sit filius altissimi, dicere debuit de supernis sum. Et iterum ait: *Vos de hoc mundo estis, ego non sum de hoc mundo.* Non solum mundani sed & carnales erant: atq; de numero hominum peruersè viuentium, & in rebus pessimis gloriantiũ. Ideo ait: *De mundo estis.* Aman-
 tissimi qui vult esse mundus, mundum fugiat:
 1. Ioan. 2. quoniam quicquid est in mundo aut est cõcupiscentia carnis, aut oculorũ, vel superbia vitæ. Atq; quantò plus homo mundum diliget, tantomagis immundus erit. Contrã quò minùs de mundo participabit (hoc est de genere eorum qui mundana quærũt & delectantur cum malefecerint) eo magis à mundo elongabitur, & iustius viuet. Quòd Christus vel nascẽs, viuens aut moriẽs, semper fuerit omnis culpæ nescius,
 Prov. 2. de mundo non erat, quia peccatũ non fecit, nec inuẽtus est dolus in ore eius: & discipulos à mũ-
 1. Pet. 2. do retraxerat quibus ait: *Elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus: ideo ipsi amplius de mundo non erant.* Verumtamẽ inter eos & Christum est notabile discrimen: quia ipsi de mundo

mundo antè quàm eos vocauit, fuerant: Christus autem, nunquam de mundo fuit, neq; vllā peccati maculam contraxit. Quod Iudæi semper de mundo esse voluerint, aptè admodū ait illis: in peccatis vestris moriemini. Discipulis verò qui à mundanis rebus & desyderiis carnalibus abstracti erant, & facti virtutum studiosi, inquit: De hoc mundo non estis. Rursus, ipse *Ioan. 1. j.* Dei filius de mundo esse non potuit, què pater ante mundi cōstitutionem genuit, iuxta illud: Nondum erāt abyssi, ante omnes colles genuit me dominus. *Pror. 8.* Quicquid enim de mundo est, cum illo factum fuit, vel de substantia eius creatum est: at Christus ante mundi cōstitutionem erat, cum patre componens omnia. Ideo egregiè ait: *Non sum de hoc mundo.* Cū nō fuerit, cur in illum venit, nisi vt nos de semine immundo conceptos, redderet mundos? Et carnē ex virgine Maria matre immaculata habuit, sed peccati maculam non contraxit, quare de mūdo non fuit. Rursus in carne viuens, carnis desyderia nō perfecit. Quid simile Gentiū Apostolus discipulis à mundo abstractis dicebat: scilicet vos non estis in carne, quòd carnis passionēs nō sequerentur: Iudæi autem carnis desyderia perficientes, in carne erant, & in peccatis suis mortui sunt. Verūm cur Christus genus dicendi immutauit? Priùs enim illis dixerat: in

peccato moriemini, nunc verò ait : In peccatis. Recole Christi miles radicē totius iniquitatis esse crimen diffidentiae, quo laborabant Iudæi, & eos in varia criminū genera adduxerat quæ adiuuante gratia Dei à cordibus suis eradicare potuissent, quoniam Christus qui in illis regenerare venerat, est maior omnibus. Vndè Ioa-
 1. Ioan. 2 nes ait : Scribo vobis fratres, quia vicistis malignū. Maior enim est qui regnat in vobis, quàm qui dominabitur in mundo. Quòd huius criminis radicem euellere non curarint Iudæi, alia vitiorum portenta eos occuparūt, & funiculos peccatorum contexerunt, non modò triplices sed per quàm multiplices. Sunt enim crimina eius naturæ, vt nisi fuerint sacramento pœnitentiæ citò dilutā, suo pòdere nos ad alia trahunt. Id nò solum in Iudæis cernere licuit, verum etiā in pseudochristianis prospicitur. Vbi semel in fide Christo præstita naufragium fecerunt, ad alia quæque crimina præcipientes ruunt, & de salute sua desperantes, in profundum malorum, ex diffidentia misericordiarum domini descendunt. Ne Iudæi de salute sua desperarent, ex eo quod illis à Christo nuntiatum fuerat, in peccatis vestris moriemini, Christus se tantum cōiunctiuè loquutum fuisse, & sub tacita conditione manifestauit. Ideo sequitur : *Si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro.*

Ideo

Ideo dicendum quòd si credidissent, per eum fuissent ab omnibus peccatis liberati. Quòd autem credere in eum noluerunt, sua culpa perierunt. Nimirum iustitiæ ordo exigit cordis duritiem immitti illi, qui tempore opportuno pœnitere noluit. De quibus ait dominus: In *Prov. i.* die afflictionis inuocabunt me, & ego non ex- *Hier. ii.* audiam eos. Verùm ad quid idipsum repetiuit, scilicet mori in peccato vel in peccatis? Ex industria omnium maxima idipsum fecit, ne conqueri possent Iudæi se monitos non fuisse, priùsquàm eos in reprobum sensum tradidisset. Amantissimi, ne cum illis pereamus, vel in peccato infidelitatis moriamur, nos credere oportet, Christum esse illum qui Moysen seruum fidelem se multis verbis excusantem & sermones domini tementem, misit populum Israël à miserabili seruitute Pharaonis & Aegyptiorum liberare. Cui Moyses ait: Si mihi dictum fuerit: *Exod. 3.* Quis est iste Deus qui te misit? Quid dicam? Cui ait Dominus: Dices: Ego sum qui sum. Et loquutus filiis Israël dicit: Qui est, misit me ad vos. Ideo vt Christus subindicaret se illum esse, qui Moysen miserat, ait: Nisi credideritis quia ego sum moriemini in peccato vestro. Forſan dices, Cœlum & terra, & quæ in istis consistunt, vel eorum ambitu continentur, sunt, & nisi visibilia

essent oculis omnium, de substantia illorū v-
cūnque dubitaremus. Cur ergo Christus dicit:
Ego sum, quasi esset quid sibi proprium & pe-
culiare. Prospicias velim omne ens cuiuscūq;
generis, excellentiæ aut dignitatis est, istud esse
mutationi obnoxium, & omni penè momēto
alteratur, quoniam vbi primū est, statim esse
desinit. Vndè de eo nec præterita nec futura
prædicātur. Exempli gratia rerum omniū sub-
stantias in medium afferamus. In illis sanè sem-
per inuenies fuit vel erit. Nihil tale in Dei filio

Psal. 101 est, qui semper idem permanet, cuius anni non
deficiunt. Quod Iacobus apertè testatur dicēs:

Iacob. 1. Apud Deum non est mutatio, neq; vicissitudi-

2. Pet. 3. nis obumbratio: quoniā apud eum mille anni

Psal. 89 sicut vnus dies, & vnus dies sicut mille anni.

Quare dicens: Ego sum, idem est ac si dixisset:

Nu. 23. Sum qui non mutor. Verūntamen pro salute

nostra corpus morti obnoxiiū induit. Qui eum

Dei & hominis filium credit, peccatorū tene-

bras effugiet, & lumē gratiæ inueniet: qui verò

credere noluerit, quòd salutem animæ sibi gra-

tis oblatam obstinatè reiecerit: sibi mortem vo-

luntariam asciscet. Ideo (amātissimi) credamus

Christum esse illū qui verbo virtutis suæ omnia

creauit, & per Moysen seruum fidelem populū

Israël à miserabili seruitute Aegyptiorum libe-

ravit. Quos tenebrę vitiorum adumbrant, qui-

bus qui

bus qui implicantur, ab alio liberari non possunt, quàm ab illo qui populum Israël ab Aegyptiaca seruitute, id est tenebrarum principe, suos liberavit. Quinetiam ut nos liberaret, naturam hominis assumpsit, & homines legis madata servare docuit, quibus possent à potestate principis tenebrarum liberari, à qua liberabuntur legis diuinæ observatores, & in Christum credentes quòd Evangelista ait: Ego sum. Ipse nihil adiiciens visus est subobscurè loqui, vndè Iudæi perquisierunt ab eo: Tu quis es? Nónne ab operibus suis eum nosse potuerunt? quibus dixerat: Si mihi non creditis, saltè operibus credite. Quod permanserint increduli quasi dedignatus iterum ait: Nisi opera in illis fecissem, quæ nemo alius fecit peccatum nõ haberent. Nunc verò excusatione de peccato non habent. Itaq; quòd ei dixerint quantũ & qualẽ te ipsum facis, qui cõminaris nos in peccato morituros, nisi crediderimus te esse? Ex lege novimus angelum tenebrarum se in angelum lucis 2. Cor. transferre, ideo omni spiritui credendũ nõ esse: 11. Qui enim citò credit levis est corde. Propterea 1. Ioã. 4. respondit eis: *Sum principium, qui & loquor vobis.* Eccl. 19. Ne nesciamus Christum rectissimè principium vocari advertamus duo in rebus diuinis requiri, prius quàm aliquid principium dici debeat. Alterum est, illud esse æternum: rursus aliũ esse

Ioan. 10.

2. Cor.

1. Ioã. 4.

Eccl. 19.

eiusdem conditionis & substãtiæ ab eo procedem.
 Sicut enim Christus Dei filius est patri coeternus,
 & Deus de Deo genitus, etiã spiritus sanctus à patre & filio pcedit qui pariter Deus est. Ideo Christus est principiũ, quod in principio erat, à quo, & per quem, Deus pater omnia fecit, cuncta gubernat, & opportuno tempore renouat. quod nunquam senescit, tametsi quæque alia vt vestimentum veterascent, & velut amictum mutantur, semper idem est, neq; anni eius deficiunt. Qui ex natura diuinitatis invisibilis erat, hominis naturam induit, vt factus visibilis, nobis loqueretur iuxta illud Pauli: Loquutus est nobis Deus pater in filio, quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & secula: in mundum veniens habuit vndè nõ solum de nobis loqueretur: sed vt opera nostra iudicaret. Vndè sequitur: *Multa habeo de vobis loqui & iudicare: sed pater qui me misit verax est.* Promiserat Deus pater prophetarum oraculis se filium prius missurum ad saluandas gentes: ideo Christus ait alibi: Non veni vt iudicẽ mundum sed vt per me saluus fiat. Et iterum: Constitutus sum ab eo, vt super sanctum montem Syon prædicem præceptum eius. Ergo hæc est comminatoriè loquutus, vt cum salutis auctore dignanter exciperent, & perditos mores suos corrigerent. Aliàs in nouissimo iudicio venturus erat

Ioan. 1.

Psa. 101

Hebr. 1.

Ibidem.

Ioan. 5.

Psal. 2.

rus erat

rus erat eos suæ dignitatis contemptores iudicare: quòd mādāta suæ legis, quasi essent vanissima quædam somnia non obseruassent, in id temporis referuasset, in quo iustitia cōuertetur in iudicium. Interim est quasi peccata hominū dissimulans, atq; eos modis omnibus ad pœnitentiam prouocans. Sicut ira illius lento gradu ad vindictam se præparabit, & tarditatem suæ actionis grauitate supplicij compensabit, vt vocem illius benignè susciperent, iterum ait: *Quæ audiui à patre hæc loquor.* In mundo erat & non cognouerunt, quia patrē eius dicebat esse Deū. Cum ipse sit Dei filius, & indistinctā cum patre substantiam habeat, nihil loqui potuit nisi quæ audiuit à patre. Propterea non credamus eum tēporis progressu aliquid à patre didicisse quod prius nesciuerit, quasi vnus eorū esset præceptor, & alius eiusdem eruditionis auditor. Cū enim Dei filius cognitionem rerum omnium ab æterno habuerit, singulis diebus doctior fieri non potuit. Nisi istud ad humanitatē illius referre velis, de qua legitur: *Quòd proficiebat* *Luc. 2.* cum ætatis incremento apud Deū & homines. Duo enim in ipso fuere multò diuersa. Vnū est diuinitas, & aliud humanitas. Ideo nō mireris si modò sublimia loquutus est, paulò pòst ad humilia sermonem suum deiecit. In istis auditorū dispositioni consuluit, iuxta hominis na-

turam, vt nobis propria loqueretur, ex virgine Maria nasci dignatus est: instar hominū esuriuit, sitiuit, friguit, dira passus occubuit, à sepulchro resurgens cœlos ascendit, ad iudicium vēturus. Cui iuxta diuinitatis naturam alienū est & lōgè procul positum, quicquid scitu corporeo terminatur, vel locorum spatio disiūgitur. Qualis & quantus est ipse ex natura diuinitatis planè à nobis non comprehenditur, sed per ea quæ facta sunt, vtcūq; capitur. Vt sublimitas eius ex parte comprehendatur, virtutē sapientiæ ob nostræ mentis oculos ponamus, in qua non est forma, color, species nec aliud simile corporeis oculis visibile, verūtamen ex dono gratiæ mentibus nostris infusæ eam vtcūq; comprehendimus, cōprehensam amamus. Nisi per nos vtcūq; comprehensa esset, à nobis nō amaretur: Quid simile dicas de diuinitatis natura in Christo manentis, cū sit æterna Dei sapiētia, mentibus humanis semper eluxit, sed multò abundantius ex eo, quòd hominis naturam induit comprehendere potuit. & cōprehensus amari debuit. Testatur verò Ioannes, infideles Iudeos eam non comprehendisse, quia Deum esse patrē Domini nostri Iesu Christi credere noluerunt. Eos imitantur complures verè insensati homines, qui Christum esse Dei filium ex fide non comprehendunt, & sermones illius vanè eloquutos

quotos credunt, eosque quasi inanes spernunt. Alij verò eos tanquam iustitię & veritatis semina excipiunt, & ex illis fructus vberes colligunt. Vt Iudæi cum Dei filium & hominem factum cognoscerent, de sua cruce loquutus est, qua se humiliavit, atq; sublimia quædam infimis commiscuit: quòd utrúnq; nos scire oporteat, scilicet quòd ipse Dei filius, homo factus est pro nobis mortem passus. *Dixit ergo eis Iesus: Cùm exaltaueritis filium hominis tunc cognoscetis quia ego sum.* Ac si illis planiùs diceret: Me esse Dei filium hactenus credere noluitis, saltem ex portetis mirabilibus quæ continget, dum fuero in crucem exaltatus istud nosse poteritis. Sol enim obscurabitur, petrae scindentur, velum templi à summo vsq; deorsum diuidetur, fundamenta terræ mouebuntur. Si rursus istud credere nolueritis, vltrix iustitia Dei vos affliget. nempe Romanorum milites urbem vestrâ circundabunt, eamq; ad terrâ prosternent, vt funditus pereat. Ex istis sequentibus infortuniis, notissimum vobis erit me filium Dei occultum esse. Scientes (amâtissimi) Christum esse Dei filiũ, cuius vocẽ Deus pater nos audire præcepit, illi pareamus dicenti vniciq; nostrũ, Qui non accipit crucẽ suam & sequitur me, non erit regno cœlesti aptus. Vt integram cœlestium archanorum intelligentiam nobis reuelat, ad vexillum suę crucis con-

*Ioël. 2.**Psal. 17.**Matt. 3.**Et 17.**Luc. 14.*

fugiamus, & sensum carnis spiritui reclamantē deprimamus: vt qui fuimus per sacrū baptisma cum eo sepulti, in gloria resurgamus. Aliās fors nostra erit non dico misera sed omnium infelicissima. Cur illum non audiemus, qui à seipso nō loquitur, aut facit? Vndè sequitur: *A me ipso facio nihil. Sed sicut docuit me pater, hæc loquor.* Vidēsne quomodo iterum quædam sublimia infimis coniunxit, atq; immiscuit? In quibus est altissimus sensus, cor hominis omnibus vitiis mundum requirens, vt planè capiatur. Aliquid de eo exēpli gratia dicamus. In causis naturalibus physici, hoc vnum pro confesso tenent, à quo alicui datum est esse, eidem operationes illius tribui debent: quia solet vnumquodque eo modo quo est operari: filius autem à patre est, ideo per patrem se opera facere ait. Vndè alibi (vt refert euangelista Ioannes) Iudæis dicebat:

Ioan. 5. Non potest filius facere quicquam, nisi patrem viderit facientem. Tunc pater filiū docuit, quando eum ab æterno genuit. *Eodem sanè momento eum omnia scire fecit,* neque nebulas ignorantia ab eo depulit, quod in hominibus erudiendis fieri cernitur. Quoniam cū ipse sit æterna dei patris sapientia, nūquam fuit inscius seu rerum quarumcūq; ignarus: sed verissimam omnium cognitionē ab æterno habuit. Enimuerò dum pater eum genuit, totam illi suam sapientiā cō-

munica-

munit, vnde factū est, quòd sicut pater ve-
 rax est, filiū veracem genuit, & ipse qui à veraci
 patre egressus est, nihil nisi verum loqui potest.
 Quod autem sint in diuinis tres personę, pater,
 filius, & spiritus sanctus, vna ex illis sine aliis
 mitti potuit. Ideo in sequētibus ait: *Qui me misit
 mecum est. & non reliquit me solum: quia quę placita
 sunt ei, facio semper.* Quid aliud fuit ista missio q̄
 filij dei incarnatio? Quòd vnicus à patre fuerit
 missus, iuxta illud: *Misit deus filium suū de vir-* Gal. 4.
*gine natum. ex consequenti solus est pro nobis
 mortem passus.* Itaq; ista missio nō solum à pa-
 tre & spiritu sancto, verūmetiam à substātia di-
 uinitatis in filio manentis facta fuit, tamen
 propter naturarū cōmunicationē Deus homo
 factus dicitur passus. Vt tantę rei sacramētum
 modo faciliori capias, Christi miles, ob tuę mē-
 tis oculos corpus arboris radium solis in se susci-
 pientis finge præsens esse, quòd ue illius rami
 fuerint ferro incisi: proculdubio videbis radiū
 solis in eis lucentem, non esse diuisum neq; of-
 fensum. Quid parum dissimile de Christo au-
 dias velim, cuius humanitas passionis molestiā
 sustinuit, sed diuinitas eius nihil doloris habuit.
 Nimirum si iuxta diuinitatis naturam dei fi-
 lius fuisset passus, cū inter eum & patrem sit
 substantiæ cōmercium indiuisibile iuxta illud
 Ioannis: *Ego & pater vnum sumus, pater cum Ioan. 10.*

eo fuisset passus. Ne crederemus substantiam
 eorū esse diuisam, post quā Christus ait: Qui
 me misit, ex industria addidit: mecum est, quo-
 niam neque pater à filio secundum diuinitatis
 essentiam separari potuit, neq; secundū huma-
 nitatis substantiam eum reliquit, quia quæ pla-
 cita sunt patri filius semper egit. Cur in quā pa-
 ter à Christo non recessit, nisi quod culpa in eū
 non intrauerit? Si aliquando intrasset, & gratia
 dei ab eo recessisset, & pater filium reliquisset.

Hæc illo loquente multi crediderunt in eum. Sed mul-
 tō plures post quā fuit cruci affixus lācea cō-
 fossus, felle & aceto potatus. Qui enim suę cru-
 cis irrisores fuerant, facti sunt illicō suæ diuini-
 tatis confessores gloriosi. Legitur enim, quod
 Luc. 23. reuersi sunt plurimi, pectora sua percutiētes at-
 q; dicentes: Verè filius Dei erat iste. Si per Chri-
 stum seruari velimus, quæ illi placita esse per le-
 gem nouimus operari studeamus, & vitia quæ
 commisimus, fuis vbertim lachrymis dilua-
 mus, vt gratia dei quæ cum Christo semper
 fuit, nobiscum maneat: qua adiutrice, quæ
 deo patri placita sunt semper faciamus.

*Homelia feria tertia post secundam domi-
 nicam Quadragesimæ, Matthæi
 vigesimo secundo &
 tertio.*

Loquutus



Loquutus est Iesus ad turbas, & ad discipulos dicens: Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisei. Post quàm benignissimus Iesus Saducæos, Scribas & Phariseos qui eū variis quæstionibus cōuenerant, reddidit confusos, & ora eorum teste populi multitudine, prudentibus responsis obstruxit, quòd doctrina eorū toties ab eo repressa penes populum, cui doctores præsidebant, languesceret, omnibus persuasum esse voluit, quandiu in cathedra Moysi federet, tandiu honorem illis tanquam dei vicariis debitum præstari oportuisse: quos etiam decuit morū integritate & innocentia vitæ, omnes alios antecellere, si velint sibi fauorem populi conciliare, & si eos in via morum grauer errare constaret. Itaq; populus doctrinam eorum alioqui salutarem non cōtemnat: quia honoris gradus quē improbi mores eorū non promerentur, semper illis ex eo debetur, quòd supra cathedrā Moysi sederunt, & ius legem interpretandi habeant. Mihi nō videtur Christus dicens, Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisei de folio honoris loquutus, in quo Moyses populo Israël præcepta daturus sedit. Illud enim vsq; in aduentum Christi seruari integrum nō potuit. Igitur per cathedram Moysi munus populum docendi, & legem interpretādi intellige: quod

per se bonum semper est, sed tantò melius erit, quantò diligentius obseruabitur, & iuxta legislatoris mètem perficietur. Qui super cathedrã Moyfi sedent bifariã intelliguntur. Primus enim ordo est pontificum & doctorum, qui sacrarum literarum legitimi interpretes instituti sunt, & in sedes senatus apostolorũ positi sunt, vt maiestatem Dei in ecclesiis exaltent. Quãdiu in cathedra Petri sedent, quoniam illis data est potestas in ædificationem mystici corporis Christi, quicquid iubet in diuinum honorem, vitorum euersionem, & virtutum complantationem, obseruandum erit: tamen pro temporum varietate videri posset vtcũque nouum, & aliquatenus difficile seu onerosum. Vnde

Hebr. 13. Paulus ait: Obedite præpositis vestris, qui per-
uigilant, quasi pro animabus vestris rationem
Deo reddituri vt munus officij subeant nõ ge-
mentes, sed cum gaudio. Secundus erit princi-

Rom. 13. pum & magistratuũ huius seculi, quibus vsum
Psal. 150 gladij dominus contulit, ad faciendam vindi-
ctam in nationibus, & increpationes in popu-

Exo. 23. lis. Quibus, inquam, præcepit non permittere
maleficos viuere super terrã, vt populus domi-
ni sub sancto timore cõtineatur, & in pace trà-
quiliũ viuat. Quãdiu aut sacri magistratus, aut
seculares recta docent, & ea quę sunt ex lege di-
uina aut humana vel ex appendicibus illarum
nunciant,

nunciant, atq; ipsi in officio tolerantur, etiam si pessimè viuant, audiendi sunt dicēte Apostolo: Obedite præpositis vestris etiam discolis. *1. Pet. 2.* Omnis enim potestas à Deo est: & qui potestati resistit, damnationem sibi acquirit. Abeat ergo lōgè, procūlq; absit à nobis disceptatio quorundam pestifera, dicētium cur compellemur ea facere quæ præpositus noster iussit, cū nihil eorum operetur quæ iubet? Defensionem eorū tanquā stultissimè excogitatam atq; propositam Apostolus destruxit, & omnem principatū superioris ordinis confirmavit dicens: Obedite præpositis vestris etiā discolis. Verū alta mente repositum habeant ipsi superiores, quod sapiens ait: Populi reges qui sedibus & sceptris delectamini, sapiētiam diligite, vt imperpetuū regnetis. Et timeāt quod alibi legitur: Sedes dum superborum destruet dominus, & in illis mites sedere faciet. Sunt qui plebibus moderādis non instituuntur, verū sese intrudunt, & sine legitima authoritate regimen populi vsurpant, ab operibus suis cognoscūtur. De quibus Psalmista ait: In cathedra pestilentiae sedent. *Psal. 1.* Iuxta carnem ambulantes sectas nouæ religionis introducunt, spiritus libertatem aliis dare promittunt, quam non habent. Cū cathedra illorum sit hēreseos veneno oblita atq; infecta, est ab omnibus fugienda: quia accedentes ad

eam, pestis pernicioſa non modò aggredietur, ſed per animæ viſcera diffundetur & interiora cordis ad mortem corrumpet. Quandiu verò in officio tolerantur, quia nondū conſtat quales ſunt, omnia quęcūq; dixerint vobis, facite: modò non ſint diuinæ legi pugnantia. *Secundū verò opera eorū nolite facere. Dicunt enim & non faciunt.* Ex præſumptis ſubinferamus magiſtratum noſtrorum mandata eſſe, (ſecluſa ea quidem qua dictum eſt forma) omni excuſatione obſeruanda. Nōne Deus veteris teſtamēti decreta per Moysen promulgata tanti fecit, vt de his nihil omitti, ſed ea ad vnguē ſeruari voluerit? Vndè in Deuteronomio ſcriptum eſt: *Qui ſuperbiens ſacerdotis mādato parere noluerit, mortem luat.* Vult ergo pontificibus noſtris & magiſtratibus obſequium cum debito honore præſtari. Quòd ſi in aliquo defecerint, per nos tamen increpandi non ſunt: ſed cum lenitate ſpiritus monendi erunt, vt errata corrigere velint: ſi verò (quod Deus auertat) vellent ſalutis verba in arma iniquitatis vertere, & quædā iniuſta exercere vel præcipere, illis in malitia inueteratis dicendum eſſet, fatius eſſe Deo quàm hominibus obſequi. Verùm quandiu recta docent, illis parendum eſt. quoniam accidit non rarò peruerſum eccleſiæ paſtorem aut populi magiſtratum Dei legatione functū optima docere, &

Deu. 17

Act. 5.

cere, & diuino spiritu agitari, vt utilia subditis pronunciet. Quod videtur præstitisse Caiphas dicens: Expedit vt vnus homo moriatur, ne tota gens pereat. Videât autem ecclesiæ præfides aut populi magistratus, qui secus domi agunt, q̄ sedentes in cathedra veritatis docent, quale damnationis supplicium sibi acquirût: nempe maximum. Quid enim miserabilius ac magis detestandum illo præceptore, cuius vitam si discipuli eius imitantur, fiût damnationi æternæ obnoxij? Contrâ, si opera eius sequuti non fuerint salutem assequûtur? Cui quid rectiùs quàm luto facis conferri potest? ex quo aurum colligitur, sed quod illi inuolutû est proicitur. Cõsiderent quæso, isti quid in vltimo aduentu respondebunt, audientes: Cur dixisti furandû nõ esse & furaberis? Proximum iudicans teipsum condemnabas. Ex istis Christus abudè nos docuit peruersam eorum vitam instar veneni poculum fugiendam, sed legis doctrinam ab ore illorum benignè suscipiendum. Fortassis dices istud esse quid graue: quoniam onera grauia & importabilia alligant & humeris hominû imponunt, digito autem suo nolunt ea mouere. Experiëntia sanè nos docet aliquos ecclesiæ præfectos & populi magistratus peruersè viuentes, totius legis obseruatiã ab ouibus familiæ Christi indiscriminatim quærere, & ipsi, nõ dico il-

Ioan. II.

Rom. I.

lam, sed tantum umbram illius extremo digiti articulo tangere nolunt, ut proximis auxilio sint. Tales erant Scribæ & Pharisei, miranda de lege prædicantes, cui nec mediocriter quidem satisfaciebant: & tanta humanarum traditionum grauitate populum Dei onerabant, ut nemo alioqui sanctus & iuste viuens eorum præcepta ad unguem seruare potuerit, veruntamen Christus voluit illis obsequi, qui præter animi fastum, auaritiam, odium, virulentiam, nihil sperabant. Idcirco præpositis nostris etiam discipulis pareamus, sed nunquam traditiones eorum diuinis antepoamus mandatis: quæ ut plurimum trifariam diuiduntur. Aliquæ earum nonnihil sacramenti nobis celant, & quandiu sub illis inclusum erit obseruari debent. Argumeto sit typicus paschalis agnus, quem Iudæi usque ad dominicæ passionis tempus immolarunt. Aliæ verò venerabiles sunt, nescitur tamen quid sub illis occultum est quandiu ab illis præcipiuntur vel tolerantur qui in cathedra Petri aut principis sedent. Quod Christus nobis præceperit facere quæ dicunt, illis pareamus, sperantes quod occultum est atque abstrusum temporis progressu reuelari. Rursus extant aliæ traditiones à diuino cultu nos euocantes, saltem nonnihil impediennes, & abrogandæ sunt per eos qui in cathedra Petri aut principis sedent. Si verò nesciatur ad

LUC. 12.

tur ad quem finem nos pertrahunt Dei præceptum faciamus, & præpositis etiam discolis pareamus, tametsi non nihil multò durius nobis imperant quàm modesti imperarent. Et recollamus scriptum esse, Deum ob peccata populi *Iob. 34.* permittere aliquando hypocritas regnare super terram. Quod autem indefinitè scriptum sit: Quæcunque dixerint vobis facite, complures dicere ausi sunt, quæ iubent aut impia aut impossibilia per nos obseruanda esse. Qui ad suæ opinionis fulcimētum, referunt Petrū in Actis legem Moyfi nominasse iugum quod antiqui *Act. 15.* patres ferre non potuerunt, quam vsque ad aduentum Christi obseruare debuerunt. A mantissimi pro indubitato habeamus, neminem nostrū ad aliquod malum aut impossibile obligari. Verūm ne ex istis fallamus nosmetipsos, recordemur quasdam traditiones humanas videri impossibiles, vel respectu circumstantiarū, vel aggrauatione pœnarū, quæ tantū sunt ex illis factu difficiliore: & essent longè faciliores, si ecclesiæ præpositi aut populi magistratus obseruatores illarum utcūque iuarent. Quòd autem viuunt inani otio torpentes, nec suo quidem digito eas mouere velint, dicuntur populum Dei onerare, & illi importabilia alligare, atque humeris hominum illa imponere, quos cogunt cum violentia omniū maxi-

FERIA III.

ma, sine delectu sexuum, & ætatū, seu regionū, quæ iubent facere. Et reddūt legem gratiæ quā Christus attulit, & paucissimis præceptis atque sacramentis esse liberrimam voluit de se satis onerata, longè oneratiorem quàm esse debeat. Ut à malè cœptis abstineant sequens familiare exemplum ob mentis oculos ponant. Nempe qui grauiorem fasciculum super humeros adolescentis imposuerit quàm ferre possit, ipse in causa erit, vt graui pōdere fractus, illum ab humeris suis reiiciat. Quid simile dicas de altaris ministro secretorū cordis auditore constituto. Si pœnitentiam viribus confitentis longè imparē imposuerit, cogetur pœnitēs nimio pondere fessus, in desperationis laqueum incidere, & Deum multò grauius offendere, quàm si ad pœnitentiæ sacramentum non venisset. Me nō fugit pœnitentiæ onus pro modo culpārū imponendum esse, habita tamen prius ratione virium pœnitentis. Si in dubio fueris an vires illius ad ferendum pœnitentiæ onus validæ sint, minus malum erit de cōmiseratione proximorum, quàm de seuera correctione eorum argui. Teritur sanè vulgari prouerbio: Patrem sequitur sua proles. Deum patrē habemus propitiū, clementem, benignum: cur nos ministri eius subausteri erimus? Si altaris minister suæ saluti cōsultum iri velit, vitam agat quantum potest irreprehen-

irreprehensibilem, mores quoq; suos decenter componat, vt sit ipse subditis viuū virtutis exemplar, & dicere audient eum longè maiora facere, quàm imperare. Eum sanè decet in ijs quæ suum statum concernūt seuerum iudicem esse, & in alijs quæ subditos respiciunt, mansuetum & misericordē: neq; illos imitari, qui vt ditiores fiant, proximos nouis aggrauant tributis, manentes interim ipsi ab illis immunes atq; liberi: quos Christus arguit dicens: *Alligant onera graua*. In sequentibus ea enumerauit in quibus Scribæ & Pharisei in Deum & proximos peccabant. Omnia enim opera sua faciebant vt viderētur ab hominibus, quòd essent humanæ laudis appetentissimi. Quoties erāt iuxta legis præceptum aliquid facturi, ex mente subdola fingebant se multò maiora facere quàm faciebant. Erantque facti histrionibus persimiles, qui fabulam in publico acturi hoc vnū in votis habent, multa fingere ex quibus præsentēs demulceant, qui delectantur, & eos collaudant, verùm qui Deum sapit ad eum mentis oculos dirigit, voluntatem illius vel in occulto, vel in aperto facturus. Scribæ autem & Pharisei non solum in rebus maximis, verùm etiã in quibusdam omnium minimis laudem operum suorū apud plebeios venabantur. Ideo Christus illos vitio inanis gloriæ infectos arguit, vt positi ad

FERIA III.

ædificationem aliorū, illud pro viribus fugiāt. Quandiu enim laudem operū suorum ab hominibus quærent, gloriam Dei quantum decet prædicare non poterūt. Ad alias species veniamus, ex quibus ipsi inaniter gloriabātur. Dilatabant enim phylacteria sua. Nimirum Iudæi ex lege phylacteria deferebant: quoniā in Deuteronomio de illis habetur: Erūt in corde tuo, & ea ligabis, & quasi signum in manu tua erūt, atq; mouebūtur ante oculos tuos. Vt ipsi penes rudem populū haberentur sanctiores, aliis ampliora deferebant phylacteria & aliis longè latiora. Atq; ex illis ligaturas in frontispicio per modum coronæ faciebant & gestabāt, quò viderētur assidui memores præceptorum Dei, ad cuius honorem parum respiciebāt. Quid enim sub obseruātia phylacteriorum occultum fuit, nisi eos Mosaicæ legis præcepta mente cōplecti, externis quoq; operibus eam perficere? Ne eorum obliuescerentur ante oculos gestabant: verū suis animis scripta non erant, neq; in omni actione operum impressa. Et quanto Pharisæi & Scribæ Deo displicuerūt dilatantes phylacteria sua, tantò oculis illius gratiosi sunt, qui legem corde & opere seruāt. Quòd maior pars eorum fuerit inanis gloriæ vitio infecta illud Christus subausterè arguit. Proh dolor, adhuc inueniuntur hodie plurimi, qui præclara agunt
 vt videan-

ut videantur ab hominibus: quorum opera fu-
 co hypocriseos non solùm operta sunt, verùm
 quòd peius est, ex toto infecta. Recordetur ve-
 lim ipsi non sufficere Christiano quod iustum
 est operari, nisi iustè perficiatur. Nempe iustū
 est Deum venerari cultu externo: verùm in pri-
 mis oportet mentis intentionē ad eum referre.
 Ad alia descēdamus opera quæ Christus pari-
 ter redarguit. Ipsi sanè fimbrias suas magna-
 ciebāt, q̄ hyacinthini & coccinei coloris erāt,
 & in quatuor palliorum angulis ex lege Moy-
 si pendebant. Ut sicut per notam circumcisionis
 in carne manifesti erant, ita per fimbrias in ve-
 stimentis ab hominibus æthnicis discerni pos-
 sent. Ad quid color hyacinthini & coccinei co-
 loris in lege expressus fuit, nisi ad insinuandum
 nos oportere sanguinis Christi cruore munda-
 ri? fimbriis suis superstitionē nimis abutebātur:
 quas componere faciebant multò grandiores
 aliis, in quibus acutissimas infigebant spinas,
 quarum percussione crebro pungebantur am-
 bulantes, ac dicebant se huiusmodi percussio-
 nibus à criminibus committendis reuocari, &
 in diuinum amorem longè ardentius inflāma-
 ri. Iterum sibi complacentes primos accubitus
 in cœnis & locos honoratiores sibi assignari
 cupiebant. Quæ nisi concederentur vltra mo-
 dū indignabantur. Quid ergo magis detestan-

Nu. 15.

dum fuit peruersa ambitione illorum? Qui populum Dei fastum dedocere & humilitatē docere debuerunt, fastu maiori corrupti erāt, quibus ait Christus: Væ vobis hypocritæ: Et alibi eos testatur maiorem accepturos damnationē. *Mat. 6*
 23. Similis morbus ambitionis multos occupat studia frequentātes. Vix possunt orationē reddere Latinam, & sibi adeo placent vt primas in scholis cathedras habere procurent, vt gloriosis onerati titulis ad lares patrios reuertentes, ab hominibus honorentur. Magis dolendum est, eodem crimine infectos esse, qui pinguia ambiunt sacerdotia, vt sub nomine eorum, penes rudem populum gloriosè viuant. sicut excellēs nomen dignitatis appetunt, ita ministeriū eius exercere deberent. Quod non exerceāt, eadem reprehensione percutiūtur, qua Christus Scribas & Phariseos arguit atq; increpauit, dilatātes phylacteria sua, & fimbrias magnificantes, primos accubitus in cœnis, honorificentiores cathedras in synagogis assequi contendentes. Forfan mihi dices, Ex doctrina Christi cibus *Mat. 15*
 in os hominis ingressus illum non coinquinat, multò minus ex fimbria vestis paulo longiori vel modico latiori maculabitur, cū sit quid purè externum: iterum, nonne decet corporis mēbra ratione publici muneris ornare vestimētis melioribus? ad quid ergo increpantur Scribæ & Pharisæi

& Pharifæi ſua dilatantes phylacteria, & ſimbrias palliorum magnificâtes? cùm fuerint domus Iſraëliticæ duces conſtituti. Iterum præcepit Paulus nos ſalutare inuicē & oſculo ſancto præuenire: Cur ergo culpantur quòd ſalutationes amauerit? Quid enim ſalutatio vel ꝑꝑrimis exhibita, vel ab illis ſuſcepta importat, præter vocem diuini fauoris, cum fructu mutux charitatis, qua optamus Deum operibus illorū fauere? Iterum Chriſtus ait: *In quamcūque domum intraueritis, primū dicite: Pax huic domui, & ſi ibi fuerit filius pacis, requieſcet ſuper illum pax veſtra, ſin autem ad vos reuertetur.* Cùm ergo ſalutatio benignè exhibita & recíprocè ſuſcepta, tātū ſit argumentum præcipui amoris, cur culpantur ſalutationes in foro diligētes? Vt iſtis omnibus paucis ſatisfaciam, inordinatus amor ex radice ambitionis enatus à Chriſto repræhenditur. Quæ enim ex ſe bona ſunt, ex mente corrupta quotidie mala fiunt. Idē dicas de illis qui Rab-
 bini ab hominibus vocari volunt, ſi memores eſſent qualis in principio fuit ſtatus hominū, conſyderarent nomen magiſterij nō appetendum eſſe, quòd ſine peccato originis pares eſſemus, & in fine erunt ſimul in vnū diues & pauper. Cùm ergo talis arrogātia ex vitio primi parētis ortum habuerit, gradum magiſterij ſuper alios appetere indecorum eſt: veruntamen ne-

Rom. 6.

1. Cor.

16.

Mat. 10

Luc. 10.

Pſal. 48

cessarium est quosdam aliis præesse: imposuit enim dominus homines super capita nostra. *Psal. 65.* Vndè Petrus vult nos Regi tâquam præcellenti *1. Pet. 2.* obsequium præstare, & illi tributû & vectigal *Rom. 13.* soluere, habet enim suas ordinationes Respublica, vt in pace viuamus omnes. Hos enim cõstituit superiores, istos nobis æquales, alios officiorum varietate inferiores: vniciq; pro virili satisfacere contendamus. Vt satisfaciat qui in gradu honoris aliis præsidet, si non fuerit elato & feroci animo, æqualem sociû honore præueniat, inferiorem vt fratrem diligat, & corâ capite caluo assurgat. Magna enim habèda est discretio graduum & dignitatû, ne ordinatio diuina, aut ciuilibus politia confundatur. Ideo prospiciendû sollicitè erit, quibus honoratiores cathedræ, accubitus, vel salutationes assignari debent. Et in Deum atq; proximos peccât, qui ex mentis arrogantia, à radice ambitionis enata, se aliis præferunt, ac iudicât honore dignissimos. Neq; dona gratiarum, si quæ habent, Deo adscribunt, sed suæ virtuti aut industriæ attribuunt. Istud vnico monstrabitur exêplo, quod Nabugodonosor Babilonis imperiû tenuerit, aliis præferri & à subditis reuereri, atq; honoratiores haberi ex præsentia & maiestate suprema quâ assequutus est debuit. Cur ergo ex sententia Esayæ reprehensus fuit, nisi quòd non sine maximo contemptu Dei

ptu Dei penes semetipsum gloriatus dixerit:
 Hæc est Babilon ciuitas magna, quã in robore *Esa. 13.*
 fortitudinis meæ, & ad gloriã nominis mei ædi-
 ficaui. Et vltra progressus ait: Super astra eleua-
 bo solium meũ. Vidésne quomodo dona Dei *Esa. 14.*
 suis inscripsit meritis? Ideo increpari meruit.
 Quod hæc vitia externè non pateãt, & sine præ-
 textu honestatis velata videntur multis leuissi-
 ma, sed penes Deum sunt grauissima. Quoniã
 ex his quæ in cordibus concipiuntur exeūt ini- *Mat. 15*
 micitiã, dissensiones, & quæquæ similia vitiõrũ
 monstra generãtur. Meritò Christus ambitio-
 sos Scribas & Phariseos non modò simpliciter,
 sed etiam asperè ac valde seuerè arguit, specifi-
 catis etiam multiplicibus exẽplis. Ex quo enim
 penes illos summa totius religionis residebat,
 cum moribus inculpatis viuere debuerunt.
 Quòdq; ita non vixerint illis perpetuè maledi-
 ctionis sententiam pronunciauit, & improbos
 mores illorum teste populi multitudine redar-
 guit. Verùm cõsequēs non est inferiora mystici
 corporis mēbra, Ecclesiæ ministros seu reipub.
 magistratus arguere, si quid in illis reprehēsi-
 bile viderint. Cureos iniuriis lacefferēt, p quibus
 Deũ precari debēt? Aliud enim est quod Chri-
 stus iudex omniũ supremus egit, & quod impe-
 ritus homo seu imbecillis colonus agere debet.
 Quẽadmodũ si priuat⁹ gladij administrationẽ

Ioan. 2. vsurparet proximum percutiens, eo prætextu excusari non posset, quòd Christus factò de funiculis flagello, ementes in templo & vendètes eiecerit, & mensas nummulariorum euerterit. Verùm esset pœna legis afficiendus. Eandẽ pœnam meretur, qui verbis contumeliosis fuerit in ecclesiæ præpositos, vel magistratus populi vsus. Neq; excusabitur quòd Christus non secretò & remotis omnibus arbitris, sed palàm & in præsentia populi, vendètes ex templo eiecerit. Erat enim personalis vocatio eius, quæ vnicuique non conceditur. Istis omnibus astiterunt (vt dictum est) discipuli eius. Ex quo præceptorem viderunt in templi prophanatores Scribas & Phariseos maximè commotum, planè nouerunt capitaliorem pestem non haberi in statu militantis Ecclesiæ vicio ambitionis: quam radicitus euellere voluit. Et penes semetipsos cogitarunt: si eodem infecti morbo fuerimus, quo ipsi laborant, præceptor noster, cùm sit iudex omnium æquissimus, eadẽ de nobis faciet. Ideo cùm totius religionis columnæ seu capita ab eo instituti fuerimus, nos decebit esse multò prudentiores illis. Cur huc vsque in longũ vitia deduximus, quæ benignissimus Iesus in Scribis & Phariseis austerè arguit, nisi, vt qui ad populi ædificationem positi erunt, ea fugiãt? Ad alia pergamus, quæ discipulos suos docuit, quibus
ait:

ait: *Vos autem nolite vocari Rabbi. Vnus enim est magister vester, vos autem omnes fratres estis.* Hæc referens illos monuit profundæ humilitatis habēdæ. Qui titulum magisterij assequuti sunt, pro quo laudem Deo referre debent: quoniã omne bonum ab eo procedit, & donū scientiæ quod assequuti sunt in proximorum ædificationem impendant, memores se interno afflatu illius qui supremus magister est assequutos esse, & discipulos illius profiteantur, vt amplioribus donis capaces reddat. Ex quo enim alia externè proponunt, Dei mysterio functi cuius adiutores sunt, gloriari non debēt, aut sese aliis præferre: sed ex mutua charitate inter eos pacificè viuere & certamen longè diuersum aggredi: Scilicet gradum honoris socio cedere, & illum seruitutis officio præuenire, ad imitationem Christi omnium nostrūm præceptoris, qui in mundum non venit ministrari, sed ministrare. Et iterum ait: *Et patrem nolite vocare vobis super terram. Vnus est enim pater vester qui in cælis est.* Hæc enim propter Scribas & Pharisæos dicēda erāt, qui sub nomine paternitatis, applausus hominum captabant. Ne huiusmodi vitium inanis gloriæ in corda discipulorum intraret. His adde veram paternitatem illi debitā esse, qui nos fecit, quotidie pascit, ab hoste maligno seruat & defendit, delinquētes benignè corrigit, atq;

à vitiis abstractos, ad virtutū culmina promo-
 uet. In quo ex doctrina Pauli clamamus abba,
Rom. 8. pater. Cū ipse inter parentes nostros omniū
Gal. 4. primas teneat, præ omnibus nominari pater no-
 ster promeruit, Forsan mihi dices, Christus le-
Matt. 5. gem quam tulit infringere nō venit: nos enim
Exo. 20 patrem & matrem honorare præcepit, cur nūc
Dent. 5. illos nomine paternitatis honorare interdicit?
 Amantissimi fratres, non pigeat hīc attendere
 mysteria. Prædiximus enim propter Scribas &
 Phariseos hæc dixisse: neque interdicit hūc vel
 illum patrem nostrum vocare, sed expressit ne-
 minem esse patrem omnibus cōmunem, præter
 illum qui in cœlis est. Idem dicas de sequenti
 clausula, scilicet: Ne vocemini magistri, quia
 vester vnus est Christus. Nempe si vitiosum ef-
 set magisterij nomen alicui tribuere, Paulus se
 magistrum non nominasset. quia cum Timo-
1. Tim. 2 theum alloquutus se nominauit: in summa cre-
 damus licere eos qui genuerunt patres, & alios
 qui optimis litterarum disciplinis informarūt
 magistros nominare. Verūm sicut Deus pater,
 est nostrę creationis author, & filius præceptor,
 quoniam quæ ad salutē necessaria sunt nos do-
 cuit, sicut, inquam, ipse vnicus Dei naturalis fi-
 lius non ægrefert si quos adoptauit filij Dei
 vocentur. Quinimo ita illos vocari voluit sub
 his verbis: Estis filij excelsi omnes. Eadem ra-
 tione

tione nihil impedit nos patrem in cœlis com-
 munem habere, & parentibus qui nos genuerunt nomen paternitatis tribuere. Non solum à cordibus discipulorum pestem vitij & ambitionis auulsit, verumetiam humilitatis virtutē in illis complantauit dicens: *Qui maior est vestrūm, sit vester minister.* Homo huiusmodi doctrinā Christi vt profundè humilietur, semper ob mentis oculos habeat quò nihil aut quàm minimū de se sentiat. Si diuinis dotibus fuerit fratribus suis maior, inde non sit arrogans: sed illis prodesse studeat, ne ex mentis arrogantia diuinum muus gratuita benignitate Dei obtentum perdat. Hæc illos potissimū meminisse oportet, qui vel ecclesiis præfunt, vel magistratus & præfecturas in populo gerunt. Et recordetur velim, se Dei ministros esse, ad opus præfecturæ vel magistratus subuectos, ne miserum vulgus in aliquo vexent, Christus iterum ait: *Et qui maior est vestrūm, fiat vester seruus.* Sicut aliis præfuit, non potentia dominante, sed charitate vtilitati omniū seruiente, eum imitari studeat, *Luc. 22.* qui in medio discipulorum tanquam minister stetit, & quæsiuit: quis communi iudicio hominum inter illos maior est, quorū vnus recumbit & alter ministrat. Cū autem Christus in medio discipulorū fuerit ministrans, & semetipsum exinaniuit, formam serui accipiēs, disci- *Phil. 2.*

E f.



pulos quoque humiles elegit, & per humilitatis gradum illos promouit, vult nos humiles & fratrum ministros esse. Ideo sequitur pro clausula finali. *Qui se exaltat humiliabitur, etiam qui se humiliat exaltabitur.* Aduersus ista quis opponere posset dicens: multos corde feroces & superbos nullatenus humiliatos fuisse, sed ad supremos honorum gradus promotos, in illis perstitisse. Vndè conqueritur psalmista dicens: Ecce ipsi peccatores & abundantes in seculo obtinuerunt diuitias. Contrà verò humiles extrema paupertate depressos: quomodo igitur verificatum erit, humiles exaltari, & superbos deprimi? Cùm autem Christus sit veritas quæ mētiri nescit, istud verum esse non dubitemus. Sed ad diē iudicij remittamus, in quo qui in præsentī vita se exaltauerit humiliabitur: contrà qui Christum imitatus fuerit, & se humiliauerit, ad supremum gloriæ gradum eleuabitur.

Psa. 72.

Luc. 1.

Homelia feriæ quartæ post secundam dominicam quadragesimæ. Matth. XX.



Ascendens Iesus Hierosolymam, assumpsit duodecim discipulos secretò. Veniens à Galilæa benignissimus Iesus Hierosolymam ascensurus, stupèda edidit miracula. Pharisæos enim confutauit, discipulos vitæ perfectionem, bonorum quoq; operū remun-

remuneratōne docuit, quos modis omnibus
 pręparauit, vt suę passionis mysteria commo-
 dius caperent, & memorię mandarent. Sciebat
 fanę ea à mentibus nostris facilimę elabi, quę
 libenter non audiuius. Ideo eadę iteratis vici-
 bus discipulis nunciavit, & in loco decęti atq;
 opportuno repetere curauit. scilicet quando cū
 illis Hierosolymā properaret. Vt ipsi tantō cō-
 starent firmiūs inter tormenta passionis, quātō
 frequentius ea illis commemorata fuerāt. Ideo
 ludibria crucis ipsa morte aliquoties grauiora
 articulatim expressit. Et secretō quidem illis re- *Ioan. 15.*
 uelauit, quos nō solūm fideles seruos habuerat,
 verumetiā amicos vocauerat. Nos aliquo do-
 lore afflictos informans, pectoris secretū fide- *Prou. 25*
 amico detegere, vt consolationem ab illo qui
 nos diligit recipiamus. Qui multō nobis vti-
 liora narrabit, quām alius nescio quis. Rursus
 interea dum rei veritas inter nos disputetur, &
 perquiretur, negotium quod occurrit. nō prę-
 cipitatur, & rarō seducitur ille qui fidelis amici
 & prudentis consilio vtitur. Ideoq; secretū locū
 Christus elegit, passionis mysteria discipulis
 suis dicturus. Probę sciens quōd si seculi homi-
 nes aut mulierculę ea audiuisent, ad lachry-
 mas nō commoueri non potuisent. Postremō
 cum non latuit, inter huiusmodi colloquia, vē-
 turam ad eum matrē filiorū Zebedei & aliquid

indecens peturam, vndè decem discipuli cō-
 turbarentur: ne indignatio eorum fieret omni-
 bus palàm, remotos à turba discipulos alloqui-
 tur dicens: *Ecce ascendimus Hierosolymam & fi-
 lius hominis tradetur principibus sacerdotum & scri-
 bis & condemnabūt eum morte, & tradent eum Gen-
 tibus ad illudendum, & flagellandum & crucifigen-
 dum. & tertia die resurget.* Quid enim vocabulū
 Ecce, importat, nisi alta mente reponi debere
 quæ Christus Hierosolymam ascendens disci-
 pulis nunciauit? Ac si illis apertè diceret: Perpe-
 tuò memores estote eorum quæ in præsentia re-
 feram vobis: vt non conturbemini, quando ve-
 nient. Quoniam subitanei casus hominem im-
 prouisum quantumuis constantē conturbant.
 Ex aduerso autem iacula è longinquo præuisa
 minimè quidē feriunt, aut etiam parū nocent.
 Scitote igitur q̄ ego aternus Dei filius oppor-
 tuno tempore homo factus, iuxta hominis na-
 turam, in manus ad mortem quærētium animā
 meam tradar, nō quidem ab homine extraneo,
Luc. 2. verum à familiari discipulo. Veruntamē vā illi:
Ioan. 18. quoniam melius esset quòd natus nunquā fuif-
 set. Prius quàm in manus illorum veniam, ipsi
Ioan. 11. cōuenientes dicent: Quid facimus vidētes hūc
 hominem signa longè prodigiosa faciētem? Si
 dimittimus sic, omnes in illū credent. Et morte
 turpissima mori condemnabunt, præsidis sen-
 tentiā

tentiâ dicētis : Expedit vt moriatur, ne tota gēs
 pereat. Quare eum durissimè ligatū opprobriis
 plenum & cōuitiis saturatū Pontio Pilato tra-
 dent vt crucifigatur: q̄ illis nō liceat interficere
 quemquā. A quo & Herode seu officiariis eorū
 erit veste purpurea & diademate spineo illusus,
 ei dicentibus, Ave rex Iudeorum, Et rursus pro-
 phetiza nobis quis est q̄ te percussit. Hæc enim
 omnia in illo consummata fuisse nouimus. Nā
 fuit in domo Cayphæ virgis cæsus à plâta pedis
 vsq; ad verticem capitis. Quod spiritu prophe-
 tico præsciuerat Esayas dicēs: Vidimus eū non
 habentem speciem neq; decorem: & factus fuit
 leproso similis. Tandem crucifixerunt eū. Mihi
 vide Christum paucissimis quidem verbis suæ
 passionis mysteriū discipulis enarrasse. In quo
 fuit triplici bonorum genere spoliatus, quæ ho-
 mines habere omniū maximè appetūt. Scilicet
 honorem, virtutis præmiū, bonam corporis va-
 letudinem, & vitæ longinquitatē. Primū fuit
 honore priuatus, per ministros sacerdotū igno-
 miniose captus, atq; à gentibus illusus: iterum
 corporis quiete, flagris omnium durissimis cæ-
 sus: tandem vita functus obiit pendens in cru-
 ce. Consueuerat benignissimus Iesus læta tristi-
 bus intermiscere, ideo superioribus conhexuit.
 Et tertia die resurget, quò ex manifestata suæ
 resurrectionis gloria eos recrearet, nos quoque

Ps. 115.

8. mo. Jo. 19.

Es. 55.

Es. 55.

de corde

informaret pro veritate tuenda mortem non timere. sperantes post præsentis vitæ terminum cum eo cœlesti vita frui. Ad complementū eorum quæ prædixerat, complures causæ concurrerunt. Nimia charitas, qua Deus pater mundū

Rom. 8. dilexit. Iuxta illud Pauli: Propter nimiam charitatem qua dilexit nos, filium suum misit in similitudinem carnis peccati. Promptissima filij eius obedientia dicentis: In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam, semper volui quia Deus meus es tu. Subsequuta est pessima dæmonis inspiratio, Christi mortē procurantis, & Iudam discipulum eius seducens, vt præceptorem suum triginta argenteis venderet. Qui etiam Iudæos mortem illius scire commouit, neq; quieuit, donec eū gentibus in damnationem mortis traderet. Cur autem Christus breue quoddam commentarium suæ passionis toties repetiuit, nisi vt neminē lateat, omnia quæ per prophetas scripta erant de filio hominis, & sub sacrificiis Iudæorum obumbrata, in proximo consummanda esse? Quid enim tota veteris testamenti series frequētius repetit hoc vno, scilicet filium hominis in salutem omnium mortem passurum, & tertia die suscitandum? Id ipsum completo suæ resurrectionis triumpho duobus discipulis in castellum Emaus euntibus repetere curauit dicēs illis: O stulti & tardi corde

di corde ad credendum, in his quæ loquuti sunt prophetæ. Nónne oportuit Christum pati, & sic intrare in gloriam suam? His adde Petrum in priori epistola dixisse: Reportantes finem fi- *1. Pet. 1.* dei vestræ scilicet animarũ salutem. De qua exquisierunt prophetæ, & de ventura Dei gratia in vos loquuti sunt, Non solùm genus mortis, & varia tormentorum genera nobis reuelarũt, verumetiam tempus in quo hæc omnia fierent assignarunt. Ait enim Daniel: Post hebdoma- *Dan. 9.* das sexaginta duas occidetur Christus, neq; erit populus eius ille, qui eũ est negaturus. Dies mihi deficerent si singulas prophetarũ prædictiones Christi mortem & passionem cõcernentes in medium afferre vellem. Ideo hoc vnũ nobis sufficiat, scire eũ pro nobis passum, dicete Paulo: Me non iudicauì aliquid scire inter vos nisi *1. Cor. 2.* Iesum Christum & hunc crucifixum: quòdque suę passionis merito, remissionem peccatorum assequuti sumus. Vt memoria eorum penes discipulos constans esset, ea non solùm prædixit sed iterum atq; iterum inculcauit prius quàm fierent, vt cùm facta essent, firmius ea crederet, & à mentibus suis vulgarem turbæ opinionem vanissimè conceptam euellerent, dicentis venturum Messiam eos in præsentì seculo diuites redditurum. Ideo ait illis: Non sum Hierosoly- mam ascensurus, vt regnum in hoc mundo au-

gustum habeam: verum est quòd vbiuis gentiũ
 sum regnaturus, sed sub specie quam nõ credi-
 tis. Vos regnum meum imaginamini terrenũ
 & temporale, quod tamen non est, sed cœleste
 ac diuinũ. Neq; in honoribus & diuitiis seculi
 consistit, sed per flagella, contumelias, & terro-
 res ad illud venit. Iuxta illud: Per varias tribu-
 lationes oportet nos intrare regnum cœlorum.
 Et qui piè vivere volunt in Christo persecu-
 tionem patiuntur. Quare spem regnandi mecũ
 in præsentis seculo vanissimè conceptã & à car-
 nali affectu vobis inspiratam abiicite. Recola-
 mus Lucam scripsisse quòd nihil horum intel-
 lexerunt: quæ tamen videntur esse, nisi oculis
 lippitudine cecutiētibus perspicatissima. Quid
 enim apertius dicere potuit Christus de sua pas-
 sione & resurrectione, ab eo quod sub verbis
 præmissis inclusum est? Euangelista inaduertē-
 tiam discipulorum magis imprudētiam expli-
 care voluit. Ex industria enim addidit, verbum
 istud: *Erat absconditum ab eis, neque intellexerũt quæ
 dicebantur.* Tantus enim stupor animi tantæque
 inscitia in mentibus eorum resedit ex eo quòd
 super modo regni Messiaë fuerant à progenito-
 ribus suis malè imbuti, quòd quicquid audie-
 rant de contumeliis Christo inferendis tanquã
 vel somnia vel muliercularum deliramenta ef-
 sent, reiiciebant & deridebant. Subinferamus
 nihil

nihil perniciosius in omni republica, seminato errore eorum quæ ad salutem animæ necessaria sunt. Quotquot enim fallaci doctrina pseudo-prophetarum seducti sunt, veritatē de Christo omnium manifestissimā scripturæ sensum non capiūt. Ideo stupor apostolorum nobis proponitur, ne à nostris affectibus quos caro & sanguis reuelat seducamur. Ideo imitatores discipulorū Christi simus, qui suscepto Spiritu sancto crediderunt scripturæ, ex qua fundamenta nostræ fidei stabiliuerunt atq; complantarunt stupendis quoque miraculis ea confirmarunt. Prius enim fragiles fuerant, & regnum Christi in hoc mundo futurū somniauerant, quòd adhuc carnales essent. Ideo facta fuit cōtentio inter illos quis haberetur maior quia rationē regni Christi non capiebant. In quibus vitia nostræ carnis desleamus & per fidei opera contumaciam illius frangamus. Quantò diligentius scripturas didicerimus & scrutati fuerimus, tantò tenaciùs nobis inhærebunt: ea verò quæ erūt per sathanam nobis suggesta allidamus ad petram quæ Christus est. Dum hæc loqueretur Iesus duo ex discipulis, scilicet Ioānes & Iacobus, sese à fratrum consortio paulatim submouerūt, & sequentia inuicem dicere potuerunt: Quæ pius præceptor nobis enarrauit, planè probant suæ passionis tempus in ianuis esse, quòdve in

LUC. 22.

1. Cor. 10.

FERIA IIII.

proximo perficientur omnia, quæ de eo in lege & prophetis scripta sunt. Ipse nos non frigidè diligit, ideo partem futuri honoris sui lubens communicabit: solent illi negligentiæ argui, qui opportuno tempore preces non interponunt ut optata consequantur ab eo de cuius munifica liberalitate non dubitant. Quare matris interuentu eum conueniamus supplices, quò nobis liceat in regnum suum perpetuas sedes honoris habere. Si exaudita fuerit mater nostra, nobis bene erit, si verò repulsam passa, non habebitur importuna honoris gradum pro filiis postulans, & pro fœmineo sexu & fragili utriusque excusabitur. Ideo matrem subornarunt ut suo nomine conueniret. *Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedei cum filijs suis adorans & petens aliquid ab eo, qui dixit ei. Quid vis? Ait illi: Dic ut sedeant hi duo filij mei vnus ad dextram tuam & alius ad sinistram in regno tuo.* Verum quid pertinuit ad mulierem istud querere & in presenti theatro, vbi tantum de morte sustinenda sermo habitus erat? Prædiximus Christi discipulos de regno veri Messiae, veterem Iudæorum fabulam audiuisse: qua dicebatur verum Messiam à morte suscitatum, per annos mille iuxta corpus in terra victurum & regnaturum. Eum credebant illum esse, & suis discipulis sedes dignitatum tunc distribuere: qui iam Petro dixerat: Dabo tibi claues regni cœlorum.

Mat. 16

lorum. Rursus illis omnibus promiserat, quòd
 sederent super sedes duodecim, iudicaturi duo- *Mat. 19*
 decim tribus Israël. Cupientes ergo quid maius
 omnibus aliis consequi, ad eum cum matre ac-
 cesserunt dicētes: Magister volumus quicquid
 nostræ matris interuentu petierimus nobis fie-
 ri. Vndè quod Matthæus matri assignauit, Mar-
 cus filiis tribuit. Cur verò votum animi nò ex-
 presserunt: Christus enim eos virtutem humili-
 tatis nouissimè docuerat, & honoris gradū am-
 bire dedocuerat, sub his verbis: Omnis qui se *Luc. 14.*
 exaltat humiliabitur: & qui se humiliat exal-
 tabitur. Ideo honoratiores cathedras habere,
 quasi esset quid domino displicens & vitiosum
 personaliter non quæsierunt. His adde quod
 condiscipulorum corda in se cōmouere timue-
 runt: nec immeritò: quoniã hæc existimare au-
 dientes indignati sunt. Quid autē signat quòd
 accedēs mulier adorauit eum? idem est ac si di-
 cas, externo habitu obnixè precata est sibi non
 denegari quod impetrare venerat. Ea quidē ra-
 tione mentis conceptum illico non expressit,
 sed confusè loquuta est, petens aliquid ab eo
 multum desiderabile. Re vera si quid iustū po-
 stulasset ab eo exaudita fuisset, vt credi par est
 tum quod eius matertera esset, meritòq; quidē
 Salomæ dicta, id est, pacifica. Nobis enim filios
 aternæ pacis prænuncios genuit, tum quòd se-

FERIA IIII.

nio confecta ex nimio amore quo in eum flagrabat, vsq; ad crucis cōsummationem vestigia eius secuta est. Quantò enim corpore senescebat, tātò ampliori feruore diuini spiritus internè renouabatur: subindicans sanctæ religionis statum in his qui Christum sapiunt nunquam fenescere. Quod fuerit à domino rogata dicere quid sibi fieri vellet, animi conceptum paucis explicuit inquit: Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dextram tuam & alius ad sinistra, in regno tuo. Postulatio illius multis rationibus probatur fuisse indiscreta: Quia neque ordinem, neque rei decorem seruauit: nulli enim victoriæ palma debetur nisi priùs legitimè certauerit. Filij eius nondum certauerant, quibus victoriæ palmam assignari postulabat, & gratis conferri, quod Deus iudex iustus filio vnice charo sine maximis doloribus & ærumnis non contulit. Proh dolor, eam hodie imitantur complures. Sicut enim terrenæ dignitatis fastigium suis impetrare illa voluit, ita nihil in votis plus habent, quàm videre filios, primas sedes aut cathedras tenentes, esse variis titulis gloriosos, & ab hominibus honorari. Ideo illis aut militiæ cingulum, aut præfecturæ seu magistratus honorem procurāt, muneribus datis, & aliquando emūt, & vnum quidem obolum in salutem animæ illorum non effundunt, & nisi

cos vi-

2. Tim.

2.

eos viderint vicinis ditiores cōtristantur: si verò
 audierint Deum ab illis offensum nullo dolore
 afficiuntur. Cur gradum honoris filiis suis po-
 tiùs quàm aliis deberi credidit mulier, nisi quod es-
 sent Christo sanguine iūcti? Clamat autem scri-
 ptura, quòd caro & sanguis regnum Dei non
 possidebunt. Vnde Ioannes: Non ex sanguini- *Ioan. 1.*
 bus neque ex voluntate carnis, aut viri, fiunt fi-
 lij Dei. Rursus sedere à dextris Dei est tantæ di-
 gnitatis & reuerentiæ, quod meritis vel homi-
 num vel angelorū quantumlibet multiplicatis
 consequi non possit. Cui enim iste locus debe-
 tur nisi benignissimo Iesu Dei & hominis filio?
 De quo Paulus ait: Est cunctis creaturis longè *Hebr. 1.*
 superior. Ad quem enim vel hominum vel an-
 gelorum Deus pater dixit: Filius meus es tu, *Psal. 2.*
 ego hodie genui te, sede à dextris meis? Si gra-
 dum tanti honoris reddere aliquibus commu-
 nem Christus voluisset, illum suæ matri assi-
 gnasset. De qua tamen in psalmis legitur: Asti- *Psal. 44*
 tit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, cir-
 cundata varietate: Quid inquam in sensu mo-
 rali, sedes aut dextræ aut sinistrae Dei adum-
 brant, præter homines aut beatos aut infæli-
 ces? Vndè legitur, quòd in finali iudicio qui *Mat. 25*
 bona fecerunt dextrum latus tenebunt, qui ve-
 rò mala in sinistro collocabuntur. Christus au-
 tem vtrūmq; , Ioannem & Iacobum à mundo

Ioan. 15. retraxerat. Iuxta illud, Elegi vos de mundo. Et in suo comitatu retinuerat, vt fructus cœlesti vita dignos afferrent, & ex quibus à dextris sedentes, cœlestis vitæ participes fierēt. Quid ergo magis indecens fuit, quàm velle vnū ex illis sinistrum latus tenere? Quòd ipsi matrem hoc postulare inducerent, illis respondit Christus, ambitionis morbo laborant. *Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Dicunt ei. Possumus.* Ac si illis planius diceret: Vos in stadio certaminis nòdum exercitatos, mirificè delectat culmen honoris, nescientes quid vobis necesse sit. Rectam viam qua in cœlum

Mat. 10 itur vobis proposui dicēs: Qui non accipit crucem suam & sequitur me, non erit regno cœlorum aptus. Ad quid ergo cum præsens tempus non sit præmiorū sed laborum, assequi honores & palmas victoriæ contenditis? Hoc vnum apud vos expendite, quod ego omniū primus pro vobis immerentibus atq; indeuotis hūc calicē sum bibiturus. Igitur me sequamini. Christus ista proferens eos maximæ simulationis arguit, qui matrem subornauerant atq; submiserant. Verumtamen coram eo stabant, quasi id ipsum aut nescirent aut non curarent. Verùm excogitata fraus, & illorum simulatio latere eū non potuit, cuius oculis omnia patent. Fuitq; ordinatione diuina permissum matrē eorū indecentia

decencia postulare, vt Christus inde aliquot re-
 gulas pietatis nos doceret. Quod enī sine præ-
 cedentibus meritis salutis præmium consequi
 optarint, & à domino redarguti fuerint, ad ple-
 num informati sumus, quicquid bonū est non
 postulare. Neq; error eorum domino præsentem
 commissus multum nocuit: quoniā illos Chri-
 stus illico arguit. Et sicut illis non fuit valdè pe-
 riculosus, ita nobis apprimè salutaris: quos in-
 formauit, quid in casu simili agere debemus.
 Cōtingit enim non rarò nos fœlicitates huius
 seculi nescio quas à domino postulare, & ex ad-
 uersis quæ præ foribus nostris sunt nos reuo-
 cat. Iuxta illud Esayæ: Expectauimus lumen & *Esa. 59.*
 tenebræ nos operiunt: atque splendorem & in
 tenebris ambulamus. Per crucem intelligit sa-
 lutaris pœnitentiæ onus humeris nostris su-
 perponendum, vt Christum sequamur. Vult e-
 nim vt partem eorum feramus quæ peccata no-
 stra meruerunt, & eum sequamur, qui omnium
 maximam tulit, atq; dixit: Qui mihi ministrat *Ioan. 12.*
 me sequatur. Ideo de illis qui eum sequuti sunt
 legitur: Calicem domini biberunt, & in cōspe- *Psal. 115.*
 ctu eius preciosa est mors eorum. Onus saluta-
 ris pœnitentiæ, per calicem aptè admodū adū-
 bratur. Qui enim fœcūdos & plenos calices bi-
 bunt vtcūq; inebriantur, & dulci sopore gra-
 uati obdormiūt. Similiter qui multa pro Chri-

sto passi cum mentis excessu moriuntur, & in
 cœlis dulcissima quiete fruuntur. Quæ autem
 caussa Iacobum & Ioannem commouit auda-
 culè nimis Christo respondere: Possumus, nisi
 feruens desyderium id consequendi, quod ma-
 ter nomine eorum postulauerat? In quibus ve-
 rificatum exitit vetus prouerbiũ quo dicitur,
 dulce bellum in expertis. Nimirum si morosius
 consyderassent, nihil difficilius esse præsentis dis-
 solutione corporis & animæ, illico non respõ-
 didissent: Possumus. Quantum fragiles erant in
 aperto fuit quando gladius accincti, ex quibus

Matth.

20.

Mar. 10

2. *Cor. 3*

mortem depellere, vel calicem illius bibere po-
 tuissent, cum aliis effugerunt. Longè prudẽcius
 doctor Gentium Paulus loquitur dicens: Tan-
 tum abest vt aliquid boni ex nobis agere possi-
 mus vt vel cogitare sufficiẽtes non simus: quãto
 minus perficere? Est enim omnis sufficiẽtia ho-
 minis ex Deo, sine quo nihil potest, cum quo
 omnia illi possibilia sunt. Et alibi ait: Omnia
 possum in eo qui me confortat. Subinferamus
 id quod responderũt, suggestum à carne, quæ
 vt plurimum cruci post Christum ferendæ ad-
 uersatur: & capere nequit Dei filium venisse per
 crucem regna mũdi & gloriam eorũ destruere.
 Semper enim variis hominũ pòmphis delitari,
 gaudere, oblectari cupit: & omnia quæ fidelis
 seruus à Christo edoctus spernit & execratur

Ipsa ambit,

ipsa ambit. Ille verò probè sciēs quotquot Christi sunt carnem suam cum vitiis & concupiscētiis crucifixisse, & omnia agere ne vitia merito passionis Christi emortua renouentur, affectibus carnis aduersatur. Pòst quàm Christus illos dixisse audiuit se potentes calicem bibere, quo eis ad culmina virtutum perueniendi stimulos adderet, iterum ait illis: *Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dextram meam vel sinistra non est meum dare vobis: sed quibus paratū est à patre meo, dabitur.* Sedes honoris ex eo habere poposcerant, quòd Christo cognatione sanguinis iūcti essent. Ideo illis respondit: Iuxta hominis naturam, nō est meū dare vobis regnum Dei, quod per salutaris pœnitentię onus, ex merito passionis Christi, quæ est præcipua pars, consequitur. Quod ex sententia Pauli: Non est volētis, neq; *Rom. 2.* currentis, sed Dei miserentis. Requirit tamen liberum hominis arbitrium, cum quo & gratia Dei ex operibus iustitiæ multiplicatis cōstituitur. In potestate accipientis nō sanguinis propinquitate sed meritorum discretione acquiritur. Exempli gratia, concedatur Christo licuisse illis regnum pro animi libito præstare adhuc indecens fuisset dare, quandiu tales essent, quales tunc erant, homines verè ambitiosi. Estque summa animi prudentia vsus. Sicut enim illis non præstitit quod postulatū fuerat, ne decem.

præsentibus indignarentur, neque denegauit, ne
 coram illis confunderentur: sed omnes in vni-
 uersum comprehendit dicens: illis dabitur qui-
 bus à patre meo paratū est. Videamus quomo-
 do iuxta Christi promissum calicem biberunt.
 De Iacobo controuersia non auditur: quia ca-
 pite cæsus domino animā fœlicissimè efflauit.
 Verùm de Ioanne quæstio proponitur nō mo-
 dica: quòd post longissimam vitam, dulcissima
 morte in Christo requieuit. Sed recolamus eū
 passionis calicem antea bibisse, & inter illos nu-
 merandū esse de quibus legitur: Ibant gauden-
 tes, quòd digni fuerint pro nomine Iesu contu-
 meliam pati. Nonne postea fuit iubete Domi-
 tiano in feruētis olei dolium missus? & propter
 insuperabilē euangelizandi cōstantiam, in in-
 sulam Pathmos relegatus? Ideo tamen gladiū
 persecutoris euasit qui sanguinem suum nō ef-
 fudit, martyrij palma priuari ex bona volūate
 non meruit. Audientes amantissimi, decem ira
 commotos, quòd duo dignitatem sediū matris
 interuentu postulauerāt, non miremur. Donec
 enim fuissent Dei spiritu corroborati, humanis
 affectibus huc & illuc ducebātur. Verumtamē
 ob Christi præsentiam animi conceptum pro-
 dere distulerunt: & ipse quem hominis cogita-
 tio non latet, id ipsum nouit. Et quemadmodū
 duos scilicet Iacobum & Ioānem de indiscreta
 postula-

postulatione lentè ac modestè taxauerat, ita liuorem indignationis eorū decē, ab eodē ambitionis fonte emanantē blādo sermone repressit atque retrusit dicens eis: *Scitis quia principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt potestatem in alios exercent: non ita inter vos erit.* Ac si planiùs diceret rationem regni euāgelici & mundani longe diuersam esse: *Qui enim in mundo regnant, non solùm subditis dominantur, sed aliquando tyrannidem in eos exercent & pios Dei seruos non alio habent loco quàm iumenta, aut si mauis pecora.* Qui autem in regno euangelij maior est, quò fuerit dotibus diuinis locupletior, eò sanctior esse debet, & in subditos clementior Vt Christum imitetur dicentem: *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Licet longè minora iubeat quàm præfret. Et cùm sit Ecclesiæ præses nemini se præferat, neminem cōtemnat, regnum Dei intus habens, cum summa libertate spiritus Dei uiuat. Tantùm abest, vt bona & possessiones subditorum, dominante ferocia animi compilare & grassari velit, vt paratus sit etiam indigentibus sua abundè largiri: factus illis longè dispar, qui iuxta mundi conditiones uiuunt. Quos arguit & detestatur Esayas dicēs: *Principes tui infideles sunt, socij furū, & munera diligunt, sequunturque retributiones.* Ne eo laborarent morbo

discipuli, Iesus iterum ait illis: Non ita erit inter vos: quos non decet ex potestate super alios data credere licere vobis, quicquid affectus animi cupit, sed legem Dei imprimis seruare. Sūt qui omnia esse communia ex eo credunt, quod in Actis Apostolorum habeatur, accedētes ad fidem ad pedes apostolorū sua deposuisse. Vel se non teneri mutuum reddere, quòd scriptum sit: Mutuum date, nihil inde sperantes. Aut à fide Christo præstita illico recedendum esse, nisi piè inuocatus illos ab imminentibus periculis citò liberauerit, ex eo quod scriptum sit: Inuocabis me in die afflictionis tuæ, eruam te, & honorificabis me. Quotquot ista referunt pessimè iudicant: credentes regnum Dei conforme regno mundi. In quo hæc & similia fiunt. Contrà inter ministros Dei, quicūque voluerit maior fieri, sit seruus aut minister, animo reuoluens se à domino ad id numeris vocatum, vt saluti omnium intendat, & ad communem vtilitatem prospiciat, & quod gratiæ talentum à domino accepit, rebus publicis distribuatur, factus propriæ vtilitatis neglectior, quòd reipublice commoda studiosius procuret, se & sua pro salute proximorum impèdere paratus sit. Ideo Christus iteratò, ait illis: *Et qui voluerit inter vos primus esse sit vester seruus.* Ergo qui est aliis præfectus, ex titulis dignitatū suarum
 non glo-

Act. 2.

Luc. 6.

Psal. 49

non gloriatur, sed salutem omnium intendat & cogitet. Quod si praelationes Ecclesiasticæ prudenter cōsiderentur, rectius nominari possunt nuda ministeria & onera omnium maxima, quàm honores: eò minus appetentur. Quid enim est homini libero magis indecens, quàm velle seruitutem omnium grauissimã sibi procurare? Estne alia maior quàm obligari ratione deo reddere de animabus subditorum? Cùm ergo huiusmodi præfectura sit simplex ouium Christi ministerium, cur homo inde gloriabitur si fuerit aliis præfectus? Prospiciat velim, ipsum oculum, totum corpus hominis illuminare, neque de suo gloriari ministerio: sitq; Christus illi exemplo dicens: Sicut filius hominis non venit ministrari sed ministrare & animam suam dare redemptionem pro multis. Qui iterum ait: Quemadmodum ego feci & vos faciatis. Quātus & qualis sum, opera quæ ego feci probant: nihil tamen honoris ambiui, atque inter vos imperiosè dominari nolui: cōtrà veluti essem omnium seruus, vestros pedes lutosos laui, corpus meum pro vobis morti exposui, vt esset hostia Deo placens, & redemptio pro multis.

Homelia feria quinta post secundam dominicam quadragesimæ

Luca decimo octauo.



Omo quidam erat diues, qui induebatur purpura & bisso, & epulabatur quotidie splendide. Benignissimus Iesus sub improbi dispensatoris parabola assiste-

Luc. 16.

tes ad beneficiam erga egenos hortari dignatus est: ut cum defecerint recipiantur in aeterna tabernacula. Quotquot enim proximorum miseri non fuerint, misericordia illis iuste denegabitur, & aeternis cruciabantur suppliciis. Nobis exemplo sit homo iste diues, cui ad absolutam huius mundi felicitatem omnia arridebant. Erat enim apud homines maximi nominis, verum apud Deum contemptissimi. Eiusdem conditionis sunt in diuitiis & fallaci gloria mundi cor suum apponentes: quos monuit psalmista

Psal. 61.

dicens: Diuitiae si affluent nolite cor apponere.

Psal. 51.

Et alibi ait: Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum, sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum: quare incidit in laqueum diaboli, desideria quoque vana. Cur vero Christus nomen illius suppressit? nempe moriens a sua expectatione elusus fuit. In terris vitam agens, sibi promiserat felicitates rerum temporalium nescio quas, cum perpetua sui nominis celebritate. Tatum abest ut eas habuerit, ut cum sonitu campanarum nomen eius perierit, qui luxu vestium & apparatu epularum viuens abundauit. Quia non quidem semel in mense aut hebdomada:

mada: sed quotidie nō minus splendide quā
 delicatē epulabatur: purpura & bisso vestitus.
 Per purpuram intellige genus vestimenti colo-
 re nimis pretioso tincti, scilicet ex conchis ma-
 rinis ferro incis. Huius coloris vestimenta so-
 li reges antiquitū deferebāt. Bissus verò descri-
 bitur esse quēdam species lini omnium mollis-
 simi atque candidissimi, ideóq; valde preciosi,
 quod in Aegypto tantū inueniatur. Hæc cō-
 memorata abunde probant diuitem istum, vl-
 tra sui status decentiam, superfluis fuisse vsum.
 Vndē seculi homines eum fœlicē & bene fortu-
 natū iudicabāt. At nos historia docet eū fuisse
 Lazaro paupere infœliciorē, quē quidē cū sum-
 ma paupertate ægritudines & penē immunera
 ac importabilia vlcera legimus habuisse. Quot
 quot Lazarum prospiciebant, infortuniū illius
 perpetuò duraturum eò existimabāt, quòd vul-
 gari prouerbio dici solet: Qui in præsentī secu-
 lo mēdicus est, in altero panem suum ostiatim
 rogabit. Vanam esse atque mendacem opinio-
 nem illorum præsentī historia Christus decla-
 ravit: nos informās per veram animi constan-
 tiam gloriæ coronam mereri, & hominem per
 vana mundi gaudia, ad æternum duci crucia-
 tum. Ideo ante nostræ mentis oculos homines
 istos diuersi generis proposuit: scilicet hunc di-
 uitem & illum pauperem. In diuite imaginem

habes supremæ felicitatis, in paupere formâ
 fuit extremæ egestatis. Qui in istis medium te-
 nent, mihi videtur beati: ideo non solum sacra-
 rum literarum periti interpretes, verumetiam
 prisce ætatis scriptores doctissimi, illis felicitatem
 tribuere, quibus opes honesto partæ labore
 & mediocres contigerunt. Sententiam illorum
Prou. 30 approbavit Sapiens domino dicēs: Diuitias &
 paupertates ne dederis mihi, sed victui meo tri-
 bue necessaria: ne fortè illis satiatus illiciar ad
 negandum & periurem nomē Dei mei. Et ali-
 bi: Melior est pusillus cum quiete, quàm plena
 utrâque manus cum labore. Non legitur cuius
 status aut cōditionis fuerit homo iste mihi au-
 tem videtur non fuisse aut alicuius prouinciæ
 præses, aut populi magistratus: quòd homines
 huius sortis minimū habeant tranquillæ men-
 tis, ob variam rerum publicarum administra-
 tionem. Viuebat ex suo, cum summa libertate,
 & erat corpore sanus: aliàs singulis diebus splē-
 didè epulari nō potuisset. Nisi inquam corpore
 sanus fuisset, vestimentum varietate nimia or-
 natum, ad gloriæ apparatus deferre nō curaf-
 set. Ideo Euangelista hunc purpura & bisso ve-
 stitū graphicè nobis expressit damnatū fuisse,
 ne pecunias nostras in cultus vestimentorū ni-
 mis sumptuosos impendamus, quod multis so-
 leat esse occasio ruinæ. Sicut hic diues reprehē-
 ditur,

ditur, ita commendatur præcussor & baptista *Matt. 3.*
 Christi Ioannes, quòd hiruta veste ex camelo- *Mar. 1.*
 rum pilis texta vestitus fuerit. Ne preciosos apparatus vestimentorū habere quæramus ait sapiens: In vestitu ne gloriaris vnquam. Iste diues purpura & bisso vestitus, splendide molliter & delicatè epulari, & ventris ingluuiem exquisitissimis explere cibus solitus erat, suis non parcens sumptibus, sed eos profundes, quò omnia sibi compararet, ex quibus tum guttur tum ventrem oblectare posset. Neque id semel in hebdomada, verum singulis diebus obseruabat. Conceditur enim austeram abstinentiæ legem, amicorū gratia aliquoties intermittere: verum quotidie ad ventris facietatem perniciosa licentia commessari nefas est: Quod Epicurus suis nō permisisset a sellis: conuiuia inter amicos & familiares celebrare, eatenus commendatur, quatenus ex mutua charitate prodeunt. In quibus nemo per derisum offenditur, absentium vitia non ridetur, vbi inanes ac mordaces secularium rerum confabulationes nō audiuntur. At verò vbi sacrae euangeliorum lectiones seu homeliæ eorum recitantur, vt carnis infirmitas cū animi gaudio esca spirituali recreata, ad sui opus mysterij vigilantius intrēdat. Eo modo Sanctus Iob, cum filiis & filiabus suis cōuiuia celebravit, & piè viuentes huiusmodi cōuiuia cum

frugalitate inter se celebrant, ex quibus libidinum intemperantia quæ mentis hebetudinem inducit non nutritur, neque corpora ebrietate & crapula aggrauantur. Scientes amantissimi

Luc. 21. ex lege interdictum esse corpora grauari crapula & ebrietate, hæc igitur vitia fugiamus. Postea sequitur: *Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui ad ianuam diuitis iacebat, vlceribus plenus, cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa diuitis & nemo illi dabat.* Quandiu enim in miseris huius seculi vitam agimus discreti sunt ab inuicem diues & pauper: verum in mortis articulo perinde atq; vnū sunt, quod in presenti historia de illo aggeratur. Diuiti superbo Lazarus pauper & humilis opponitur: uterq; occasionem merendi habuit: pauperem decuit quæq; aduersa patienter ferre, quod inter illos numeraretur de quibus scriptum est: Beati pauperes quoniam ipsorum est regnum cælorum. Diuiti conueniebat

Matt. 5. iuxta domini cõsiliū facere amicos de mammona iniquitatis, ut cum deficeret, reciperetur

Luc. 16. in æterna tabernacula. Cur Lazarus iste describitur mendicus, nisi ad diuitis erubescentiã? Sunt enim pauperes qui mendicare & ostia diuitum frequentare, atq; eos ad commiserationem excitare erubescunt: hic verò paupertate extrema laborans, onere suo portatu grauissimo iacebat in vestibulo domus diuitis mendicans:

nec

nec diues ab ea exire, vel ad eam redire potuisset eo non viso. Quare diues dicere non potuit: meum non erat esurientem mendicū in aliquo occultum angulo quærere. Quomodo enim absentes mendicos perquisisset, qui istum præforibus suæ domus quotidie iacentem suis non iuuat bonis? Quod soleat visa infirmorum vlcera, hominum affectus ad commiserationem commouere, describitur vlceribus plenus: & quot vlcera habuit, totidē visus est habere ora ad hunc diuitem clamose dicentia: O fortunate diues, si præceptorum Dei immemor fueris, saltem tuæ conditionis recordare & mei miserere, animo reuoluens sanctum Iob diuitiis *Iob. 1.* abundasse, sed ad vitæ extremum paupertatis onus sustinuisse: & iuari ab amicis cōcupiuit. *Iob. 19.* Si iacens ipse in vestibulo domus diuitis, pinguium epularum oblectamenta postulasset, repulsam passus meritò fuisset. At tantum cupiebat saturari è micis de mensa diuitis cadētibus: quas à seruis domum ingredientibus vel ab ea egredientibus obnixè exposcebat dicens illis: Pro Dei amore & humanæ conditionis similitudine, mihi vlceroso ac pauperi portiūculam eorum quæ è mensa domini diuitis cadunt cōdonate. Ciborum delicias nō postulo, sed pauperum cibos, scilicet frustra panum à vobis requiro: me potius quàm canes mancant panum

fragmēta. Verūm qualis dominus tales habuit
 seruos. Nemo enim ex omni familia inuentus
 est, qui huius pauperis misertus sit. Nimirū si
 verē misericordes fuissent, ex variis ciborū frag-
 mentis à diuitis mensa collectis, nesciēte etiam
 domino pauperem sustētare potuissent. Verūm
 fuere tum auibus tum feris siluestribus longē
 immitiores. Auis enim auem sibi simīlē iuuat:
 pecus alij pecori sese sociat, & homo proximi
 non miseretur, sed eum negligit quod maius
 est. Serui erant bestiis quā pauperi mitiores:
 quoniam canes intra domū diuitis inclusi pa-
 nibus abundabant, & pauperem in vestibulo
 domus iacentem fame mori relinquebant. Pa-
 rietes domus diuitis auro vestiebantur, & ho-
 mo ad imaginem Dei formatus micās impe-
 trare non potuit. Rursus equi diuitis, suis den-
 tibus aurum mandebant, & pauper mendicus
 fame moriebatur. Hęc audiant & memorię
 mandent serui dominorum diuitum, ne vltra ē
 reliquiis mensę dominorum nutriant suarum
 voluptatum incendia, pauperum obliti, quorū
 misereri debent. *Et ad Lazarum veniebant canes
 & lingebant vlcera eius.* Hic gradum sistamus,
 & naturas animalium etiam siluestrium rursus
 in medium afferamus. Ex ingenta indole nos
 docebunt pia commiserationis viscera, in pau-
 peres & afflictos gestare. Exemplo sint canes ad
 pauperem

pauperem venientes, & vlcera eius lingentes, vt ea curarent quem tum diues, tum serui eius canibus ferociore contemnebant atque spernebant. Leo catulis coram se humiliatis vitam donat. In quo mores illius sequuntur quæq; animantia solo naturæ ductu commota: & homines quos Deus ad imaginem suam formauit, vt misericordes essent, viscera pietatis & indulgentiæ proximo pauperi vlceroso claudebant: quæ canes medicinali lingua curare satagebant: fueruntq; canibus indulgentiores quàm pauperi, quibus integros panes & pinguia non rarò fercula abundè porrigebant, & pauperem multis precibus clamantem audire nolebant. Nos pudeat (amantissimi) audire commissum crimen tantæ crudelitatis, quod natura canibus contulit. Scilicet peregrinos homines suo latratu clamoso à domibus abigere. Hoc feralis natura in se continuit, & in pauperem longe benignior fuit quàm diues aut serui illius. Quia huic pauperi humi iacenti canes medicinali lingua succurrebant, quæ illi ex toto despiciebant. Hæc infortunia pauper vlcerosus longe modestius sustinisset, si cum multis communia habuisset, verum sibi soli videbatur relicta. Quam quotquot prospiciebat domum diuitis ingredi, tum delitiis, tum diuitiis abundabat: quàm si pauperes frequenter voluissent, ab ea tanquam perfidi homines, vel scelerosi contumeliose eiectioni fuissent. Meo quidem

Iob. 4.
Act. 8. iudicio indiscretè loquuntur dicentes, hūc pau-
 perē ob prioris vitæ flagitia tot miseriis oppres-
 sum fuisse. Itidem de sancto Iob, amici eius fal-
 sò iudicarunt: & de Paulo à vipera percusso di-
 xerunt barbari homines: Nimirum si iste flagi-
 tiosus fuisset, in sinum Abrahæ angelico ductu
 deportatus non fuisset. Quid eo videri potuit
 in præsentī vita infœlicius? Quid deniq; magis
 commiserandum? Mihi nuntia aliud infortu-
 nium istis conferendū. Et Lazarus à re ipsa op-
 portunum nomē habuit. Quid enim aliud La-
 zarus sonat, quàm hominem mundi præsidii
 destitutum, & diuini numinis auxilio innixū?
 Nunc videamus quomodo ea quæ sunt in præ-
 senti seculo, vel fortunata vel infœlicia nō sunt
 in aliquibus perpetuò duratura. Istud in Laza-
 ro cernere licet, de quo legitur: *Factum est autem*
ut moreretur mendicus & portaretur ab angelis in si-
num Abrahæ. Mortuus est autem & diues, & se-
pultus est in inferno. Quî istud à Deo factum sit
 qui est iudex omnium æquissimus: nemo infi-
 cias ibit quin rectissimè ordinatū extiterit. De
Psal. 61. quo legitur: Reddet vniciq; secundum opera
Mat. 16 sua. Lazarus in terris vitam agens, ex graui in-
 firmitate corporis nō modicam spiritus tribu-
 lationem sustinuerat, diuitem prospiciens ho-
 losericis vestitum, & bisso indutū, obsequenti-
 bus quoq; seruis vndiq; stipatū, splendidè epu-
 lari cum.

lari cum aliis diuitibus, domum illius pōpōse ingredientibus. Et se ab omnibus desertū, derisum atq; famelicum animo reuoluens. Quòd fuerit omnibus cōtemptui, testantur canes, vlcera illius lambentes. Et quia ipse in tātis expositus vel incommodis vel miseriis, non est virulentis in proximos verbis vsus, neq; nomē Dei blasphemauit, aut cōtra eius prouidentia murmurauit, verū animi constantiam seruans, in omnibus illi gratias egit, moriēs angelicis manibus fuit in sinum Abrahæ deportatus. Si animo impatiēti fuisset, penes seipsum dicere potuisset: quid hoc est nouæ rei, sciunt omnes hūc diuitem improbā agere vitam, qui diuitiis, honoribus & delitiis abundat: mihi verò Dei mādāta seruanti, defunt alimenta ad vitę vsū necessaria. Iste quicquid bonorum à progenitoribus habuit, luxu, crapula & ebrietate consumit, cui rursus cuncta prosperè cedunt, multiplicantur, accrescunt, non secus ac si ex fonte perenni è terræ venis scaturiente emanarent. Ideo falsissimum videtur esse frequens adagiū quo dicitur, Deum res mortalium prudenter curare, & eas ex æquo dispensare. Quòd ab omnibus istis & similibus abstinerit, & diuitis inclementiam qua potuit ratione supportarit atq; excusarit, intra se dicens eum nescire micās à mensa sua cadentes sibi denegatas fuisse, aut

crediderit eum in alios tot beneficia trāstulisse; quòd illi benefacere non vacaret. Ex istis verè pietatis probabilibus coniecturis quibus dubia in meliorem partem interpretatus est, nūc sorte sanctorum fruitur in cœlis. Contrà diues voluptuosè viuens, & proximum pauperem miserè vlcerosum, in vestibulo domus suæ iacentem aspernatus fuerit, est sepultus in inferno. Satis dictum est, quid utrîque in vita præsentis contrigit: verè momentaneum quod instar aquæ effluentis præterit. Nunc videamus quid sequutum, quod æternò manens erit. *Factum est autem ut moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in sinum Abraha.* Quoniam pauper quæcūq; crimina cōtraxerat, bona animi patientia expiauerat nihil habens quod illum à cœlesti gloria remoraretur, in cœlū deportatus fuit. Ex præsumptis vnū mihi videtur manifestissimè probari: scilicet defunctorum animas ab omnibus peccatis & eorum reatibus puras, à corporibus egressas illicò ad cœlorū gaudia euolare: quòd manètes corporibus inuolutæ, cursum præsentis vitæ fœliciter egerint in virtutū stadio recta ambulantes. Talis fuit pauper Lazarus, quondā inter illos numerandus, de quibus legitur: *Visi sunt oculis insipientiū mori, & æstimata est afflictio exitus illorū.* Ex aduerso egressus hominum piè viuentiū non est mori, sed vera mortis liberatio,

Sap. 3.

liberatio, vel transitus mortis ad vitam. In fide-
 le testimonium huius rei fuit Lazarus, non ab
 vno angelorū, sed à pluribus in cœlum depor-
 tatus. Quē Deus tāto honore dignatus est, quia
 afflictiones è manu domini missas patienter su-
 stinuerit. Quid enim mirum si angeli animam
 eius gratanter susceperunt & in cœlū lætabun-
 dè detulerunt, cui prius sollicitè ministrauerāt?
 Sunt enim ex sententia Apostoli spiritus mini- *Hebr. I.*
 stratorij propter illos missi qui regnum Dei ca-
 piunt. *Mortuus est autem diues & sepultus est in in-
 ferno.* Mihi consydera verbum perfecti tempo-
 ris Euangelistam apposuisse, quoniam mors ex
 toto in diuite consummata fuit. Hæc audiant,
 qui ore impudenti dicere ausi sunt huius seculi
 infortunium esse alterius parasceuem. Vidēt-
 ne ex aduerso Lazarum à mortis articulo fœli-
 cem factum? Contrā improbū diuitem infœli-
 cissimum esse? Quæ ergo furia mentes illorum
 exagitant, vt ista falsissimè promulgent? Cùm
 diues fuerit in inferno detrusus æterno cruciā-
 dus supplicio, apud seipsum nouit infœlicē esse
 hominem qui diuitias turpiter prodigit, neque
 tandem sui luxus pœnitet. *Elevans autem oculos
 cùm esset in tormentis, vidit Abraham à longe & La-
 zarum in sinu eius.* Euangelista huius diuitis sup-
 plicia amplè narraturus, est plurali loquutione
 vsus: testificans eum non vno quidem tormen-

to, sed pluribus afflictū fuisse, & liberos tantūm oculos habuisse, quibus Abraham vidit, sed à longe quoniam æterna salus pro modo culparum à peccatoribus elógatur. Et illi ad doloris augmentum, concessum fuit videre Lazarū recumbentem in sinu Abrahæ: quò impleretur

Psal. III. propheta dicens: Peccator iustū videbit & irascetur, stridens dentibus suis atq; fremens contabescet. Ex eo enim quod improbus diues Abraham & Lazarum æterna fœlicitate fruente prospexerit, sibi indignabatur: Ex quo rursus diuiti improbo permissum fuit sanctos Abrahā & Lazarum in æterna quiete constitutos videre, vt nō solūm de suo cruciaretur supplicio verumetiam de præmio eorum cōtristaretur. Eodem subinferamus argumento, aliis vel dānatis vel in eterna requie cōstitutis, istud concessum esse, vt inde istis accrescant tormenta, inde illis gaudia multiplicētur: memores tormentorum quæ Dei misericordia adiuti euaserunt. Ex qua visione beatitudo eorum non minuitur: quoniam ex ea non contristātur. certè sciētes istud ordinatione fieri. Contrā in lætitiæ cumulū illis accrescit, quòd iustitia Dei sit & impiis seruata. Quid simile habes de pictura parietibus impressa. Prius enim niger color substernitur, vt vel albus vel ruber superpositus clarior appareat. *Cū autem diues esset in tormentis exclamauit*

dicens:

dicens: Pater Abraham miserere mei: & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam: quia crucior in hac flamma. Ideo Abraham patrem suum nominavit, quòd natione Iudæus fuerit: At verò si instar Abrahami in pauperes hospitalis & misericors fuisset, se ab illo genus duxisse declarasset. Vndè dominus Iudæis dicebat: Si Abrahamæ filij estis, opera eius facite: Mihi dices, quòd ea nò fecerit diues gravissimè indoluit. Cur ergo non exauditur, neq; à pœnis liberatur, dicente scriptura: in quacúnq; hora ingemuerit peccator, criminũ eius obliuiscar: dicit dominus. Ideo non exauditur quia tempus miserèdi præterierat: neque pij affectus, sed tormenta eum pœnitere cogebant. Cur verò sermonem suũ potius ad Abraham, quem non viderat, vertit quàm ad Lazarum facie notum nò direxit? Dicitur fanè quòd auxiliari à Lazaro non speraret, quem prius cõtempserat. Et ex causis animi sui eum vindictæ cupidum iudicabat. Et dicere potuit: Væ mihi misero, in arce fœlicitatis supremæ quondã cõstituto: qui Lazarum hominem Deo charissimũ contempsi atq; spreui, cui micæ è reliquiis mensæ cadentes, magnis etiam clamoribus postulatas cõmunes reddere nolui. Cur ergo me nunc exaudiret? Verùm hæc omnia Abrahamo ignota esse credebat. Quare ad eum sermonem

Ioan. 8.

Ezec. 18.

suum vertit, neq; exauditus fuit, quòd quid in-
 decens postularit, scilicet mitti Lazarum è loco
 deliciarum, ad loca tormètorum, è solio beati-
 tudinis, ad profundum inferni, è silètio sancto-
 rum, ad fridorem tormètorū. Ea tantum ratio-
 ne, vt digiti extremū in aquam intingeret, quò
 linguæ multū æstuantis incendiū refrigeraret.
 Certè non possum satis mirari, qua fronte id si-
 bi à Lazaro fieri postularit, què prius suo tecto,
 potu & cibo dedignatus fuerat. Si illū esurientē
 pauisset, sitientem potasset, nudū vestiuiisset, ia-
 cētē præ foribus in domum collegisset, & vl-
 ceribus infirmum curare procurasset, habere
 ab illo refrigerium & à tormentis solatiū meri-
 tò sperasset. Cùm autem nihil eorū exhibuerit,
 diuina ordinatione omnium iustissima, decre-
 tum fuit ei qui prius micā panis denegauerat,
 guttam aquæ denegari. Rogabis cur Lazarū in-
 tingere extremum digiti in aquam, ad linguæ
 refrigerium postularit, cùm aqua ibi esse non
 soleat, vbi ignis perpetuò ardet? Id historia san-
 cti Iob nos docet dicentis: Damnatos transire
 ab aquis niuium in ardorem nimium. Aquam
 illic proximam fuisse, sed vsum illius improbo
 diuiti denegatum esse. Cùm verò multiplicibus
 tormentis expositus, toto corpore flagraret, cut
 solis æstibus linguæ æstuantis sibi refrigeriū da-
 ri expetiuit? Ipsa grauius vexabatur: quoniam
 pauperi

Iob. 24.

pauperi panem denegauerat, preciosos cibos, odorata quoq; pocula gustare delectata fuerat. Sicut alios corporis sensus ad culpam precesserat, ita per retributionis iustitiã grauiores cruciatus sustinebat. *Cui pater Abraham respondit: Fili recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala, nunc autem hinc consolatur, tu uerò cruciaris.* Mihi consydera modestum sermonẽ pij parentis Abrahami, qui iurè æquissimo improbum diuitem increpare potuisset dicens illi: Infortunate diues, auxiliari ab eo non meruisti, quem præ canibus tuis contempsisti: cuius ea quæ canibus abundè ministrabantur denegasti. Verùm ne nesciret Abrahamum uelle illi hactenus subuenire, quatenus posset cõpatientem uocem ei communicauit dicẽs: Fili recordare purpuram, bissum, conuiuia, choreas, prõptuariã uino redundantia, & quæque id genus similia, quæ in uita recepisti, ustrà tibi non prodesse, & in uita multùm nocuisse quòd ea proximis necessitatẽ patientibus cõmunia reddere nolueris. Et Lazarũ infortuniis oppressum, animi tolerantia domino placuisse: *Ideo hinc consolatur, tu uerò cruciaris.* Ex respõso patriarchæ Abrahami, dolor in animo diuitis fuit multùm auctus: tũc ad prioris uitæ delicias animũ reuocauit, mœrens ac dolẽs, q̃ dum facies fortunę sibi arrideret, & omnia ex animi uoto succederent,

misericiendi opera proximis indigentibus impendere noluerit, semper viuere sperabat, & viuens internè mortuus erat. Non ea quidè morte qua corpus & anima inuicem separantur, sed alia longè peiori, qua homo à Dei gratia euacuatur, & à gloria cœlesti priuabitur, æternæ dānationi obnoxius. In corpore viuēs eo quasi sepulchro circumferebatur, tamē in inferno sepeliendus. Per infernum pœnarum locum, cōgeriem seu cumulum tormentorum intellige, qui superbos diuites post hāc vitam detinebit, perpetuòq; deuorabit. Magna fuit in diuite & paupere rerum vicissitudo. Quo ea cōmodiùs comprehendatur, humilem Lazarum in dextra parte, diuitem verò superbum in sinistra apponas velim: & fiat vtriùsque collatio. Quid in mundo videri potuit fœlicius diuite induto purpura & bisso & splēdidè cibato? Videbatur non solùm temporali regno, sed cœlesti imperio dignus. Post q̄ in bonis duxit dies suos, & moriens fuit honorificè sepultus, quasi in puncto ad infernum descendit. Facturus cum illis moram qui domino dixerunt. Recede à nobis, sciētiam viarum tuarum nolumus. De quibus *Hier. 2.* psalmista: Deducētur peccatores in infernum, & omnes qui obliuiscuntur Deum. Cōtrā pauper Lazarus, videbatur solùm ad consumendas agrorum fruges natus, & pane quo vescebatur indignus.

Iob. 21.

Psal. 30.

Hier. 2.

indignus. Nunc verò ille cruciatur, & hic consolatur. Habes in vno absolutum exemplar fallacis ac mūdane fœlicitatis, & in alio formam quiete mentis, qua in cœlum itur. Ex istis planè constat statum hominis ex his quæ in præsentī vita contingunt existimari non oportere. Sicut enim mors omnia æquans, est improbè viuētib; finis voluptatum: ita erit probis hominibus vltimus limes ac terminus dolorū. Vtérq; in mūdum nudus venerat, & nudus exiuit, sed modo longè dissimili. Quoniam recessit diues operibus pietatis nudus, & abiit pauper etiam nudus, id est, ab omnibus peccatis purus, angelorum consortio sociādus. Ille fuit ad domicilia damnatorum inter ardētes flammās coniectus, à quibus nulla erit liberatio, & vermē cōscientiæ tulit eum rodētem, qui non morietur. Lazarus verò ad cœleste regnū euectus est, vt sortem sanctorū in cœlis perpetuò habeat. Sint lapidibus duriores oportet quos ista ad salutarē pœnitentiā non cōmouent. Quid maius audire possent, quàm dicere diuitem in inferno sepultum esse, quòd proximo indigenti succurrere noluerit? Rursus saxea gestāt corda, qui ex istis ad beneficentiā in pauperes non excitantur. Væ illis, quos tot verborum fulgura nō territant, vt non solūm pœnas inferui euadant, verum etiam cum Lazaro in cœlis promouean-

tur. In sequentibus rationē adfert Abrahamus,
 cur diuitis preces non exaudiuit, dicens illi:
*Inter nos & vos chaos magnum firmatum est: vt qui
 volunt hinc transire ad vos non possint, neque inde huc
 transmeare.* Ex his per Abrahamum enuntiatis,
 fuit omnis spes habendi refrigerij ab improbo
 diuite sublata: qui ad fratres in mundo relictos,
 animi affectum conuertit dicens: *Rogo te pater
 vt mittas eum in domū patris mei. Habeo enim quin-
 que fratres, vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc
 locum tormentorum.* Perquiramus cur improbus
 diues neminem quē Lazarū ex mortuis exci-
 tari, & in domum paternam mitti postulauit:
 quem nominatim expressit. Cupiebat sanè fra-
 tres suos illum gloria & honore coronatum vi-
 dere, quem cum eo spreuerāt, ne pauperes am-
 plius fastidirent. Contrā sperarent eorum me-
 ritis & precibus fieri regni cœlestis perpetui pos-
 seditores. Nimirū timebat fratres quibus scan-
 dalo fuerat dānari, & se grauiora propter illos
 subiturum tormenta: quæ potius deprecari vi-
 sus est, quàm quid boni fratribus suis optare:
*Cui pater Abraham respondit: Habent Moysen &
 prophetas, illos audiant. At ille dixit: Non pater A-
 braham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos pœnitentiam
 agent.* Fuerat ipse legis & prophetarum cōtem-
 ptor maximus, & credebatur fratres suos morum
 suorum sequaces, nemini à mortuis suscitato
 quàm

quàm Lazaro credituros. Cui etiam non credidissent. Ideo cùm istud sciret pater Abrahamus verbis illius nõ acquieuit. Nõne Christus Lazarum quatrìduò mortuũ suscitauit, & à morte Christi multa sanctorũ corpora resurrexerunt, *Ioan. ii. Matth. 27.* suis quoque familiaribus apparuerunt. Propter huiusmodi apparitiones Iudæi nõ crediderũt: verũ seruos Christi, multò seueriũs quàm antea persecuti sunt. Quare Lazari resurrectio & confabulatio, illis non profuisset. Ad nostræ fidei fundamentum, plus prodest diligẽs cognitio legis & prophetarum, quàm mortuorũ suscitatio. Itaque sacris literis fidem adhibeamus, & quicquid illis oppositum est reiiciamus. Etia si angelus quid illis dissonans proferret, audiendus non esset. Et sic nobis quasi lucerna in tenebris lucens ne demoniaco astu seducamur, illos seducit & illudit, qui magicis artibus fiunt, & ab hominibus fictè suscitatis veritatem quærunt. Ideo Abrahã improbo diuiti respondit: *Si fratres tui Moysen & prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexit credent illi.* *Gal. i.*

*Feria sexta post secundam dominicam
quadagesimæ Matthæi XXI.*



Omo erat paterfamiliãs, qui plantauit vineam, & sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & edificauit turrim, & loca-

FERIA VI.

uit eā agricolis, & peregrè profectus est. Quia Christus vitia sacerdotum Scribarum & Phariseorū nouissimè arguerat, attentarunt ipsi eū diuersis seducere argumentis. Præsenti euangelio notū fieri voluit se non latere occulta cordium corū, & mundi sapientiam, cōsiliū & prudentiam non sibi sed illis malignantibus obesse, & malitiam eorum esse omni venia indignam declarauit. Quoniā nihil prætermiserat ex his, quæ eos ad meliorem mentem reducere deberent. Nihilominus efficiebātur quotidie deteriores: quos arguit sub verbis simplicibus, scilicet de vinea & colonis qui fructum temporibus opportunis non soluerunt. Mihi dices: Erat de rebus omniū grauissimis verba facturus: scilicet de sua morte subeūda, vt genus humanum redimeret, & Deo patri recōciliaret. Ergo debuit quid dignius vinea & agricolis in mediū afferre, & ornatiū loqui, quod sibi facilè fuisset: verū maluit nos informare in rebus maximè arduis, simplicia verba eligere, & ad scripturæ sensum confugere, quàm sublimia & nimium ardua rimari & perscrutari. Nunc autem dicamus quid homo, vinea, sepes, torcular, turris, agricolæ, significant. Vt nimirum si hæc æquo libramine fuerint per nos diligenter discussa, inueniemus sub cortice verborum factas promissiones de futuro Messia inclusas, atque in
Christo

Christo consummatas fuisse. Quæ ante nostræ
 mentis oculos representant aduentum, mortē,
 corporis Christi resurrectionem, illius deniq;
 vltimi aduentus diem. Ad singulas partes eorū
 descendamus. Primūm quis per optimum pa-
 trem familiās rectius adumbrari potest Deo pa-
 tre, tali denominatione dignissimo, quòd fece-
 rit nos, & miro amore complexus sit? Ad quem
 in cunctis necessitatibus nostris accedamus, &
 nomen eius piè inuocemus dicentes illi: Pater *Mat. 6.*
 noster qui es in cœlis. Habet ipse familiā longè *Luc. 11.*
 maximam ex angelis & hominibus collectam,
 & eorum maximè qui à suo nutu pendent. Vt
 abundantius & vt generatim loquar, quotquot
 sunt creaturæ rationales, suis iussis parentes, ad
 suam familiam pertinet. Quibus tanquā opti-
 mus parens præsidet, eos regit, fouet, pascit, er-
 rantes ad rectum iter reuocat, peccantes ad sa-
 lutarem pœnitentiam promouet, & rebus eo-
 rum ex toto desperatis prudēter occurrit. Ideo
 est nō solūm tali nomine, verūm alia denomi-
 natione multo maiori dignissimus. Per vineam
 populum Israëlitam intellige: qui quondam
 dictus est gēs sancta, populus acquisitionis re-
 gale sacerdotium. De quo Esaias ait: Vineam *Esa. 5.*
 mini exercituum domus Israël est, & viri Juda
 genus delectabile eius. Cui per os Hieremiæ
 inquit: Ego te plantaui vineam electam omne *Hier. 2.*

semen. Verùm huius vineæ palmites fuerunt descendentes ex sanctissimo patriarcha Iacob, qui
Gen. 37 duodecim filios genuit. Maiores natu minimū fratrem Iosephum odio habuerunt, quod à patre plus illis amaretur oderant eū, nec poterant ei quicquam pacificum loqui. Quem Ismaëlitis vendiderunt. Tādē in Aegypto dominari visus est. Sub cuius imperio fratres fame periclitantes deuenerunt cum omni familia eorum, quæ mortuo patriarcha Iosepho miserabili seruitute Ægyptiorum oppressa fuit. Et clamauit ad dominum qui eam exaudiuit, neque solū de manu inimicorū liberauit, verū & in terrā promissæ hereditatis reduxit. Cui propheta ait:
Exod. Vineam de Ægypto transtulisti, eiecisti gentes & plantasti eam: dux itineris fuisti in loco horris, & vastæ solitudinis, circumduxisti eam & custodiisti quasi pupillam oculi. Sepes legem domini representat: quòd fideles seruos in sancto timore illius contineat. Huius rei exemplum in sacris, tum in prophanis historiis multipliciter varia extant. Quādiu enim legem domini seruauerūt Israëlite, sine muris & turrium propugnaculis ab inimicorum iniuriis Deus illos protexit atq; conseruauit. Vbi verò ordinarias leges domini non seruauerunt, & cum idololatriis hominibus pacta inierunt, per muros, turres, atq; fossas seruari non potuerunt. Fuit ergo
 lex do-

lex domini illis tanquam murus propugnaculis omnibus validior, eos ab hostibus suis, sathana, morte, inferno conseruans. Amantissimi, cum simus in sortem illorū subrogati, intra diuinæ legis septa tanquam forte propugnaculū nos contineamus, & cōtra hostes nostros tum visibiles, tum inuisibiles constemus & decertemus. Quoniā sub vmbra legis diuinæ, ab omni incurſu hostium tuti viuemus, & omnis magistratus populi aut sacer aut prophanus rempublicam nostram sub hac sepe legis continere & conseruare studeat. Conseruabitur sanè multò securiùs quàm sub cæteris legibus humanis seruari possit: demum torcular in vinea extructū, figura est altaris holocausti. Sicut enim sanguis vuarum ex multa impressione in torculari attrahitur atq; effunditur, similiter in altari holocaustorum, sanguis ouiuū effundebatur, Christi passionem adumbrans: qui effuso sanguine nos redemit, vt figura rei adumbratæ conueniret. Quemadmodū altare holocausti intra ambitum templi non erat, sed in vestibulo eius, ita Christus nō est Hierosolymis passus, sed extra portam ciuitatis occisus. Secreti huius mysterij *Ioan. 19.* meminit Paulus: cum ad Hebræos loquitur dicens: Propter quod vt Iesus per suum sanguinem populum sanctificaret, est extra portam ciuitatis passus. Turris templum Hierusalem

FERIA VI.

adumbrat, per totum orbem celeberrimum, à Salomone in inclito monte Sion ædificatum.

Mich. 4. De quo Micheas visus est loqui dicēs: Et tu turris gregis nebulosi, filia Sion ad te veniet, potestas prima regum filiæ Hierusalem. Nempe

Esa. 9. Christus ad illam venit, cuius potestas non auferetur, & regnum à patre habuit quod nō corrumpetur. Agricolaë autē tum populi seniores, tum principes sacerdotum repræsentant. Quæ admodum enim munus agricolarū est, ab agris zizania, tribulos, spinas, & omnes herbas nocētes eradere & euellere, in vineis infrugiferos palmites amputare, faciē terræ vbi oportet stercoreare, & in ea decenter culta, bonum semen spargere, si fructus vberes colligere velint, similiter magistratus omnis sacer & prophanus intendere debet, quæq; vitia à populo Dei extirpare, male adiuratos homines dispergere, discordes ad pacem prouocare. inter studiosos legis diuinæ, semen salutis, quod est verbum Dei iactare & complantare, infirmos in fide consolidare, vt temporibus opportunis fructus maturos & salutare colligere, & domino offerre valeant. Verùm quid dicere audio, scilicet patrem familiās peregrè profectum esse? Prædiximus sanè per patrem familiās Deum patrem intelligi, qui vbique præsidet, neque à quouis nostrūm procul distat. In quo viuimus, mouemur & sumus.

Act. 17.

& sumus. Ad quid ergo dicitur peregrè profectus, qui omnia implet? Iuxta illud: Cœlum & terram impleo. Idem ait Psalmista. Si in cœlum ascendero, tu illic es: Si ad infernum descendero ades. Crede mihi istud esse per metaphoram dictum. Ex quo enim ipse est longanimus & multum misericors, dissimulâs peccata hominum ut conuertantur & viuant, eum credunt absentem esse, & res humanas nullatenus curare. Quemadmodum diceretur absens herus maximus, si sua per ministros negotia ageret, quibus in domo manēs nō omnia, sed aliqua præscribit facienda, & hos vel illos ad ista vel alia vrget opera. Pōst quàm enim Deus nobis legē dedit, ministros illius instituit præcipiens quæ dicunt facere, se velut absentem continuit, & vnicuiq; liberum reliquit arbitrium, ad iniunctum opus manus suas extendere fructū laboris sibi offerri cupiens. Similiter pōst quàm legis præcepta descripsit, & Moyſi tradidit. Cui populus ait: Non loquatur amplius nobis dominus: quæcūq; tu dixeris faciemus. Ex istis Deus paterfamiliâs visus est peregrè profectus: qui tamen nos oues pascuæ eius ad opera internè mouet, ꝑmissis allicit, variis quoque beneficiis prouocat. Nostrum est amantissimi, iussis huius optimi patrisfamiliâs sedulò obsequi: ut morientes, fructus in cœlesti regno habeamus.

*Hier. 13**Psal. 138**Sap. 11.**Ezec. 18**Mat. 23**Exo. 20*

FERIA VI.

Adest tempus illos modò seminādi, modò col-
 ligendi, & domino offerendi, Vndè sequitur:
*Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit
 seruos suos ad agricolas, vt acciperent fructus eius. Et
 agricolæ apprehensis seruis eius, alium ceciderūt, alium
 occiderunt.* Ad fructuum collectionem Deus pa-
 ter primùm seruos suos Moysen & Aaró misit,
 tantùm abest vt fructum ex legis obseruantia
 habuerit, vt Dei seruos populus ille omni cõtu-
 meliarum genere affecerit. Adiuratores & im-
 postores vocarit, & lapidibus obruere voluerit.
 Quando fructũ legis quærebant, vice versa po-
 pulus ab illis modò carnes, modò allia, modò
 panes quæsiuit. Vnde legitur: quòd vexatus est
 Moyses per eos qui exacerbauerūt Deũ in cor-
 dibus suis. Egressi à deserto, & in terrã promif-
 sionis introducti pari modo aduersus prophe-
 tas fastidentes hos ceciderunt, vt Hieremiam,
 alios lapidarunt vt Ezechiam, & Naboth, alios
 secarunt vt Esaiam. alios vecte ferreo transfixe-
 runt. Et vt paucis absoluam: Omnes qui ab illis
 fructus bonorum operum postulabāt, pessimè
 tractarunt, & ex toto perdere curarunt. Mali-
 gnitas eorum visa est, velle contra Dei clemen-
 tiam viriliter certare. Per quot enim gradus be-
 nignitas Dei eos producere fructus iustitię mo-
 nuit, per alios ex diametro istis oppositos ad-
 uersati sunt. An clemēs & misericors dominus
 malitia

Num. 11
 Psal. 105

malitia eorum offensus illis adeo iratus fuit ut regnum salutis ab eis abstulerit & viam ad illud perueniendi occluserit? Nihil minus: sed ad salutarem eos poenitentiam prouocauit & prophetiam compleuit, quia per os psalmistae dixerat: Non auferam ab eis misericordiam meam: *Psal. 88.* sed visitabo in virga iniquitates eorum. Itaque ut nequiter agere cessarent per iustitiae retributionem ipsos in manus hostiles tradidit: à quibus tandem liberauit, & rempublicam eorum non modò restaurauit, verumetiam multum auxit. Et iterum misit alios seruos plures prioribus & fecerunt illis similiter. Sperandum erat eos prophetarum multitudine coërcitos officia sua multò diligentius solito agere. Nimirum in libris Regum cernere licet, vltimis temporibus regni Iudaeorum, & vsq; ad aduentum Ioannis praecursoris & baptistae Christi, collegia prophetarum non minus multiplicata fuisse, quam in ecclesia militanti hodie multiplicantur & crescunt religiosorum monasteria. Neq; ipse praecursor & baptista Christi (quem virum Dei esse nouerunt) poenam euasit, verum capite truncatus, in domino foeliciter obiit. *Mar. 6.* Ritu solempne hominum huius seculi obseruarunt, qui veritatis professores ad mortem quaerunt. In cōfesso est eos post legis susceptionem debitores constitutos fuisse illius faciendae legis. Et quemadmodum nihil

est iniquo debitori, præsertim cum non sit soluendo, molestius, præsentia domini, exactoris sui debiti. Similiter postquam prophetas & sapientes implacabili odio persecuti sunt, quod fructus operum legis exigerent, aduersus eos tanto malignitatis impetu commoti sunt, ut quicquid iræ, quicquid furoris in diligentem debiti exactorem vibrari posset, id ipsum in illos transmiserunt. Quod à domino fuit illis impropertum, dicente: Ecce ego mitto ad vos sapientes & prophetas, & ex illis occiditis & flagellabitis in synagogis vestris. Et iterum per os Hieremiæ ait: Misi ad eos seruos meos prophetas per diem consurgens diliculo, & me non audierunt, sed longè peius operati sunt quam patres eorum. Crimen tantæ malignitatis fuit à phomartyre Stephano, dum lapidaretur, eis obiectum, dicente: Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Quibus dictum fuerat: Implete mensuram patrum vestrorum, ut requiratur à vobis sanguis omnium prophetarum qui effusus est. An propter varia tormentorum genera, prophetæ, sapientes, & scribæ, veritatem pronunciare, & verbum salutis prædicare cessarunt? Nihil minus. Ut nos informaret semper vera loqui, Licet in nos commoueatur omnis terra, atque iniqui, nihil aliud præter extremam ingratitude maculam nobis reponent. Contra nos decet tanto
 maiori

Luc. 13.

Hier. 7.

Act. 7.

Mat. 23

maiori cura & solitudine, salutaria annūciare, quanto mercedem habebimus copiosiore in cœlis, vel maiora nos manebunt tormenta quàm Iudæos. Qui quasi in lapides aut feras siluestres immitati, prophetas Dei lacerabant & iugulabant. Hoc vnum prætendentes quod eos legis desertores proclamarent. Deus cuius miserationes quæq; opera præcellunt, seruorū suorū vel cōuitia, vel tormenta ad tempus patienter tulit: vt sua benignitate malitiam Iudæorū vinceret. Quando autem venit plenitudo temporis, misit filium suum, ex muliere natum, & sub lege factum: vt eos qui sub lege erant redimeret. Quid maius facere potuisset in salutem hominū, quàm illum mittere, quo nihil habet charius? Quid inquam mirum, si super omnia à patre diligitur filius, cum ex sententia Pauli ipse sit splendor lucis æternæ, forma substantiæ eius, & speculum sine macula diuinæ maiestatis? Cùm ergo esset à patre missus, fuit instar prophetarū paterni debiti sedulus exactor, sed benignus. Quoniam Iudæos monuit debitorum condonationem petere, & pœnitentiã agere: quod erat fructus vita cœlesti dignos domino offerre. Deniq; inuentus est in eos adeo munificus & liberalis, quòd corpus suū in totius debiti solutionem obtulerit, pro omni pensatione à suis creditoribus hoc vnum quærēs, eum nosse.

Gal. 4.

Hebr. i.

verum totius debiti liberatorē. Hoc est homini Christiano longè notius quàm vt pluribus verbis explicari debeat. Pater filium suum mittens apud semetipsum dicit: *Verebuntur forte filium. Agricola autem videntes eum dixerūt intra se hic est heres: venite occidamus eum, & habebimus hereditatem eius. Et apprehensum eum eiecerunt extra vineā, & occiderunt.* Cur agricolæ filium Dei videntes morti exposuerunt, nisi quòd sperarēt eo morte extincto, se omnibus bonis regni Iudæorū potituros, atque omnia pro animi libito administraturos, & potētes factos, quos vellent, vel vsq; in cœlum, vel vsque in infernum aut eleuare aut deiicere? Quòd alius non esset reliquus in posterum ausus quicquid vel minimū sine eorum decreto attentare vellet. Si tanta impietas cum ipsis concidisset, commemoranda impresentiarum non esset. Verùm (proh dolor) in aliquibus eorum qui populo præsunt vtcumq; reuixit. Qui ad bella & seditiones seculi monarchas commouēt, terram cœlo miscent, veritatis professores in sua manentes ad mortē persequuntur, immerentes ad sacerdotia promoueri procurant, bene merentes in ministerio illorū exturbant. Quasi eis omne id agere liceat quod animis eorum lubet. Qualem in exitu dierum mercedem percipient nos docet textus dicens: *Dominus malos malè perdet.* Cur de illis dictū est,

Verebuntur

Verebuntur forte filium meum qui sciebat quæque futura veluti præsentia, nisi quòd illis plenū liberi arbitrij donum contulerat? In mea eorum potestate fuit, Dei filium reuereri aut contēnere. Vtrūq; tunc factum fuisse nouimus. Sicut enim plurimi eorum corda sua ad malum indurauerunt, & Christum gratis persequuti sunt, ita nonnulli eum ex fide nouerunt cœlestium bonorum datorem, & totius terræ legitimum heredem à patre constitutum. Iuxta illud Dauidis in persona patris filio loquentis: Postula à me, dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & pro hæreditario iure habebis omnes terminos terræ. Vnius prophetiæ verba planè probant Christū in sortem hæreditatis habuisse non solū vineā synagogæ Iudæorum, sed totius terræ monarchiam. Quod idem propheta alibi apertius declarauit dicens: Domini est terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in eo. Quare nonnulli eum reueriti sunt, quem ex prophetarū oraculis, & relucetibus in eo gratiarum donis, esse Dei filium non dubitarunt. Fortassis contra hæc adduces doctrinam Apostoli dicentis: Si illum cognouissent esse dominum gloriæ, nunquam crucifixissent. Quos ut cūmq; excusat Petrus dicens: Scio fratres quod per ignorantiam illum suspendistis in ligno, quem Deus suscitauit à mortuis. Itidē ipsemet

pendens in cruce, & patrem colloquens dicebat: Pater ignosce eis: quia nesciunt quid faciunt. Ne credas scripturas quæ hæc referunt, esse inuicem pugnantes & oppositas, videtur dicendum eos ex vrgentibus coniecturis scripturarum testimonio confirmatis, ut cunq; nouisse Christum esse legitimum hæredem & Dei patris filium: aliàs inquisiti vbi nasceretur rex Iudæorum, non respōdissent in Bethlehē Iudæ. Quod fuerit cum ætatis incremento contrarius operibus eorum, & palam ea arguit, atq; mala esse declarauit, indignati magno animi liuore, notitia quam de illo habuerāt, à mentibus eorum paulatim decidit, eamq; profus perdidierunt, furore à dæmone in cordibus eorum excitato. Vnde eum amplius nescierunt, neq; cognouerunt, in tenebris ambulantes, atque ex cruento hereditatis eius habendæ desiderio, mortem illius procurarunt, nihilq; prius ea in optatis habuerunt dicentes: *Venite occidamus eum. Cōtumeliā & tormēto interrogemus, vt sciamus reuerentiam eius, & probemus patientiam illius. Morte turpissima condemnemus eum. Circumueniamus & eradamus de terra viuentium: quia est contrarius operibus nostris.* Hæc fuerant per Sapientē pronūtiata, & per Caiphā renouata in ea synodo dicentem: *Expedit vt moriatur vnus, ne tota gens pereat: si dimittimus eum omnes cre-*
dent in.

dent in illum prædicantem populo remissionẽ
hostiarum. Iuxta illud: Quid est misericordiã
volo, & non sacrificium? Et rursus per os Dau-
dis: Sacrificiũ & oblationem noluiſti. Vbi verò
per nos fuerit morti addictus, nemo erit similia
proferre ausus, & populus domini hæreditas
noſtra perpetuò erit. Verũm miſeri toto cœlo
errabant: quoniam non placatur Deus excogi-
tata morte veri innocentis, ſed morum integri-
tate, & innocentia vitæ. Poſtquã Chriſtus quæ
de eo vêtura erant illis explicuit ſciſcitatus eſt:
*Cũ ergo venerit dominus vinea, quid faciet agricolis
illis? Aiunt illi: Malos malè perdet, & vineam ſuam
locabit alijs agricolis, qui reddent ei fructum tempori-
bus ſuis.* Mihi conſidera eos fuiſſe diuina inſpi-
ratione eo uſq; impulſos, vt futuram totius na-
tionis ruinam, peccatis eorum emeritam pro-
phetarint. Ipsi vixerant, & per Romanos peſſi-
mè eos perdidit, atq; in ſortem illorum Gentes
incircuncifaſ cœleſtibus bonis fruituras inſti-
tuit. Quod enim permãſerint Dei filio incre-
duli, morientes ad inferni nouiſſima deſcẽde-
runt. Vtrãmq; perditionem corporis & animæ
eorum præſciuerat Hieremias dicens: Duplici
contritione contere eos. Tanta enim facta eſt
contritio eorũ, cum inſcœlitate omniũ maxi-
ma, quia viã pacis noſſe & ſequi noluerũt: neq;
fuit timor Dei ante oculos eorũ quẽadmodum

Sapiens prædixerat sub his verbis: Prosperitas stultorum perdet illos. Mihi dices: Scriptū esse Deum nolle aliquē perdere, cōtrā velle omnes saluos fieri. Ideo non videtur consentaneū dicere, quòd Deus illos malè perdiderit. Audias velim, & alta mente repositum teneas, Deum quotquot sese propriis iniquitatibus perdunt, tandem illos perdere. Præcedit enim in peccatoribus iniquitatis macula, quam sequitur perditio omnium pessima. Vbi primum homo saluari timore abiecto, se à gratia Dei subtrahit in omnem vitæ turpitudinem paulatim cadit. Iuxta illud Pauli de sapientibus huius seculi dicentis, quòd Deum cognouerunt, neque sicut decuit eum glorificarunt. Ideo in cogitationibus suis euauerunt, & iuxta cor eorū insipientes loquuti sunt. Dicentes se sapientes esse, stulti facti sunt. Audientes amantissimi, Deum ob flagitia quæ commiserant Iudæos perdidisse, ne similiter nos perdat illi cum sancto timore feruiamus. Quos enim in exitu præsentis vitæ perditos inueniet, atque impœnitentes, eos perpetuis cruciatibus inferni deputabit. Nobis exemplo sint Iudæi, manentes increduli. In quorum salutem Christus fecit quicquid fieri decuit. Quòd vocem eius non audierint, & corda ne illam audirent indurarint, per iustitiæ retributionem eos pessimè perdidit. Quos non solum
à terra

à terra fluente lac & mel expulit, sed à cœlestibus etiam bonis priuauit. Ideo irā illius incurere metuamus: scientes quòd naturalibus filiis impœnitentibus non pepercit, sed eos suo demerito perdidit, multominus aut salutem eque nobis in sortem illorum adoptatis indulgebit, nisi post veritatis euangelij reuelationem, gratiæ talentum gratis impartitum augeamus. Et sicut vineam suam aliis agricolis dico apostolicis colendam assignauit, & successores eorum instituit, iuxta illud: Pro patribus tuis, nati sunt filij tibi, vt populum memorem faciant nominis domini, & fructum domino reddere temporibus suis docerent, non qualēcumq; sed qui maneat in æternum. In istis non deficiamus, ne de vinea domini dicatur: Vua eius, vua fellis, & botrus amarissimus. Quasi fel draconū, & venenum aspidum insanabile. Et auferat à nobis regnum seu regimen populi, atq; aliis conferat fructum faciētibus. Quis enim non perpendit prudentem magistratum, aut imprudentem, vt plurimum causam esse aut salutis aut ruinæ & perditionis populi fidei suæ crediti? Vnde obsecro, pestis hæreseos tantum creuit & multas nationes occupauit atque infecit, nisi quia magistratus dogmata manifestè impia principiò spargere tollerarunt? Tandem rebus fidei ad interitum notoriè vergētibus, suppetias dare vo-

luerunt. Quod autem vulpes paruulas vineam domini demolientes principio non repulerint, ob id seminatum errorem hæreseos auferre nequiverunt. Quoties enim errori constanter ac sedulo non resistitur, paulatim crescit, & in terram radices suas altissimè figit. Ideoq; difficile postea euellitur, ac quasi per illos qui resistere debent tacitè approbari videtur. Veritas enim, quo minus defenditur, eo plus opprimitur. Quid ista dissimulare aliud fuit quàm fidei inimicos cõtumaces reddere, & permitti sua frueri malitia? Mihi non videtur grandis differètia inter duos malefactores, quorum vnus letũ infert, & alius inferre non impedit. Quando ex officio teneantur, sicut lex iubet: Agētes & cōsentientes simili pœna puniri. Similiter qui pro officij debito rebus ecclesiæ suppetias dare tenetur & negligit, illasq; flagitiose exponit, inter illos numerabitur, quos Deus malè perdet: qui est lapis super quem omnis ædificatio constructa crescit in templũ domini. Et dicit illis de se loquens: *Nunquam legistis in scripturis: Lapidem quem reprobauerunt edificantes, hic factus est in caput anguli? A domino factum est istud & est mirabile in oculis nostris.* Ipse qui loquebatur, est per lapidem adumbratus: vocatur enim lapis. Iuxta illud Petri: Ad quem accedentes lapidem viuũ, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem ele-

tem electum & honorificatum. Non solum dictus est lapis, verumetiam ex sententia Hieremie angularis. De quo iterum ait: Ego mittam in fundamentis Sion lapide angulari, probatum, preciosum, in fundamentis fundatum. Quod de seipso loqueretur, ex sequenti clausula planius explicuit: scilicet, *Qui credit in illum non confundetur.* Cum enim futurus esset inimicorum confectio. Iuxta illud conquassabit in terra capita multorum, Ob sui poderis grauitatem, aut virtutis soliditatem, debuit lapidi duro assimilari. Atque quemadmodum lapis in angulo constituitur, vt sit vtriusque lateris murorum coniunctio, illosque contineat, ne hac vel illac corruant, similiter quoniam Christus duos diuersi generis populos, Iudaeum dico & gentilem vna coniunxit, & eodem nexu fidei colligauit, dictus est lapis angularis. Quid rursus aedificantes representant praeter sacerdotum principes? Quos enim prius per colonos & agricolas adumbrauerat, eosdem nunc per aedificantes intelligi vult. Quoniam ex re ipsa vtrumque nomen illis conueniens erat. Vera enim agricolarum vacatio est, agros ad sementem praeparare, stercorare, ab illis sentes & spinas euellere. Denique aedificantium munus est ligna quaeque, nodosa dolare, & omni ex parte aptare, vt faciendo conueniant aedificio. Proprium etiam illorum erat nascentia in po-

pulo Dei vitia corrigere, ad statum perfectionis illum promouere, templum Dei lapidibus viuis ædificare & restaurare. Vnde Paulus ait: Dei cultura estis, ædificatio estis. Vt sapiens architectus fundamentum posui, super ædificate, vt crescat templum domini. Huiusmodi parabolas sacerdotum p̄tifices & populi principes nō intellexerunt, aut saltem contempserunt: neq; Christum esse positum in caput anguli, tanquam stabile fundamentum totius spiritualis ædificij, credere voluerunt quod inter eos vitam ageret humilem. Iuxta illud: Ego sum vermis & non homo: opprobrium & abiectio plebis. Et dicebant: Loquitur nobis & recitat fabulas nescio quas, de locutoribus, agricolis, & domos ædificatibus, & ruinam status nostri minatur, quasi semen Abrahæ nō essemus: Cū dicat scriptura, quod semen illius manebit in æternum. Et rursus: quod dominus populum suum nō abiiciet. Ea quæ profert parum curemus. Verum à morte deuicta nouerūt impletum esse quod eis prædixerat. Sed quem crucis supplicio cōdemnatum morti exposuerāt. Gentes reuerenter ac deuotè exceperūt. Itaq; ablatum fuit ab eis regnum Dei & ministerio apostolorū Gentibus traditum fuit, vt facerēt fructum eius. Hæc audientes Amantissimi fit in oculis nostris mirabile, quod Deus pater nos tantum dilexerit, quando adhuc

Rom. 5.

de adhuc inimici eramus, ut pro salute nostra, proprio filio non pepercerit, sed morti exposuerit. Iuxta legem gratiae quam secum attulit viuamus, ne regnum militantis ecclesiae a nobis bonorum operum cessatoribus, ob ingritudinis & negligentiae vitia auferatur. Hic enim manifestum colligitur argumentum, pacta cum tacita conditione inita, nisi conditio obseruetur reuocari posse. Idem dicas si priuilegia sub illa aut simili concessa fuerint, in alios longe digniores transmittuntur. Nobis enim in aperto est, dominum cum populo suo foedus pepigisse, quae multis & specialibus gratiarum donis ornauerat. Quod eloquia eius non seruauerit, ob improbos mores donis gratiarum illum expoliauit, & gentili *Mat. 21* populo fructum legis facienti illa contulit. Itaque caueamus talenta gratiarum nobis a domino credita, in terram effodere, & quasi essent nobis inutilia parum curare: ne auferatur a nobis regnum Dei sicut a Iudaeis ablatum fuit, legem obseruemus & Christum timeamus. De quo sequitur: *Et qui ceciderit super lapidem illum confringetur: super quem uero ceciderit conteret illum.* Dicamus quale discrimen est, aut cadere super lapidem, aut quod lapis super nos cadat. Quotquot sane sacrobaptismate initiati sunt, in legem Dei peccantes, super lapidem cadunt: quia illum quem lapis adumbrat offendunt. Impingentes in lapidem uiuum utcumque laeduntur, uerum

FERIA VI.

quandiu viuentes Christū suæ fidei authorem collocabunt, pœnitus non conterētur, & peccatorum condonationē vel indulgentiā pœnitentiæ sacramento assequi poterūt, intra ecclesiæ gremium manētes. Quamprimum verò fidei fundamentum in illis deficiet (quæ est substantia rerum cœlestium sperandarum) infigentur in limo profundi, in quo non est substantia, neque à Christo iuuabuntur, sed vitio perfidiæ ex toto interibunt, & quodammodo minutim conterentur. Multum ergo refert, aut super lapidem cadere, aut quòd lapis super aliquem cadat: Quoniam quod cadēdo fractum est, sacramento pœnitentiæ redintegrari poterit. Verùm deficiente fidei fundamento, infidelis ex toto conteretur, suppliciis deputandis æternis. *Et cùm audissent principes sacerdotum parabolæ eius, cognouerunt quòd de ipsis diceret. Neque sicut prius doctrinam eius deriserunt aut contempserunt, quasi esset quid vanissimum loquutus de agricolis & ædificantibus: sed indignati sunt, quod eos hominibus æthnicis post haberet. Ideo querebāt eum tenere vt morti traderent: sed timuerūt turbas, quoniam sicut prophetam eum habebant.* Est enim frequens improborum hominum consuetudo, illos odio habere, qui vera loquuntur, & vitia eorum arguunt. Inter eos & fideles Christi feruos multum interest. Probi in peccatis deprehensi quòd

Hebr. 11

Psal. 68

quò d malè egerint gemunt, improbi verò fremunt ac dentibus strident. Non propter mali operis erubescenciam, quò due in illo deprehēsi fuerint: ac timent viam eis præcludi ne similia perficere valeant. Tales erant sacerdotū principes Christi mortem sitientes, quòd malefacta eorum arguerat. Sed captionē eius distulerunt, turbas timentes quæ eum sicut prophetam habebant. Hic mihi cōsydera velocem turbæ nobilitatem omnium maximã. Quem enim nunc prophetam receperunt, cum paulò pòst reum mortis declararant, clamosè vociferantes: Crucifigatur, reus est mortis.

Sabbato post secundam dominicam quadragesima Luca XV.



Omo quidam habuit duos filios. Initio huius euangelij duo occurrerūt alta mente reponenda. Vnū est illud impletum fuisse quo dicitur, Deum patrem optimum nō frigidè delectari super peccatore pœnitētiā agente. Alterum verò murmur ex beneficētia in proximos ortum, quàm velocius fieri potest componendum esse. Potest præsens Euangelium ad utrūmq; parentē, Deū dico & hominem referri. Sicut enim Deus dicitur pater duarum nationum longè diuersarū, scilicet Iudæorum & Gentium, ita primus pa-

rēs noster Adamus duos filios genuit. Ideo parabole sensum ad vtrumque & cœlestem & terrenum parentem referamus. Et imprimis rem omnium miserrimam desceamus: scilicet primum parentem duos tantum filios habuisse, quos in omni eruditione, & cum summa solitudine enutriuit. Sicut nos docent sacrificia per eos domino oblata. Verūtamen alter dono liberi arbitrij abusus, ab ingenta honestate tantum degenerauit, vt fratrem suū occiderit. Præsens infortuniū multis cōmune est, tum his qui à parentibus ignauis bonorum quoq; operum cessatoribus procreati sunt, tum & aliis à parentibus clarissimis & multis virtutibus decoris. Et istud quasi fato quondam obtigit. Quò enim parentes eorum inter alios virtutibus emicuerunt, eò liberi eorum sceleribus multis nomen familiæ sordidū reddunt. Tametsi in omni genere disciplinarū fuerint enutriti. Quid ad hæc dicemus? An probi parentes hac de causa curā rectæ educationis liberorū neglectui habebūt? Nihil minus: sed illis educandis tantò diligentiores sint, quātò ex lege naturali & diuina strictius obligantur. aliàs vitia liberorum eis imputarentur. Postquam verò illos in omni disciplina educauerint, hoc saltem cōmodi consequentur, quod ab omni peccato liberi erūt. Si autem in viros probos euaserint liberi abundantius gaudebunt.

gaudebūt. Verumtamen nō sibi sed Deo totum tribuent: qui beneceptis eorum incrementum dedit. Si rursus recta agere cessarint, infortuniū multis commune æquiori sustinebunt animo: quod fecerint pro virili quicquid potuerūt. Filius qui natu minor erat patri dixit: *Da mihi portionem substantiæ quæ me contingit. Et diuisit illi substantiam.* Quid longè dissimillimum utrōq; in filio fuit. Qui natu maior erat, de numero eorum fuisse videtur, qui iustitiæ civilis formam obseruant, & cum parentibus suis modestè viuunt: qui verò erat ætate paulò inferior, inter illos numerabis qui pro animi libito viuūt, scelera multiplicantes & sese variis calamitatibus & incommodis exponentes: quorum tandem eos pœniter, & in meliorem mentem redeunt. Ille ergo adolescēs natu minor hæreditatis portionem non solum à pio parēte efflagitauit, sed precibus etiã importunis extorsit, iactās se sua multò prudentiūs administraturum q̄ administrare posset. Senex parens filium ætate sensu & moribus iuuenem non increpauit, nequē à cogitatu temerario reuocauit, atque in statu quo erat vsq; ad præfinitum in lege tempus manere non fecit: sed multò plus illi indulgens q̄ oportuit, cui importunè concessit quod fuisset opportunè denegatum. quoniam substantiæ diuisio factaq; portionis illius assignatio malorum

ingluuiem atque vitiorum sentinam secum attulit. Nimirum nosse debuit pius parens infantilem ætatem esse frænis maximis cohibendam. Nisi enim principio fuerit à vitiorum improbitate coercita, seipsam paulatim in omne genus flagitiorum detrudet. Vndè Sapiens rectè ait:

Pro. 22. Stultitia alligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam. Erat ergo adolescens iste ab ausu nefario per patrem reuocandus, & tandiu sub pædâgogo nutriendus, quândiu lex statuit, dicens:

Gal. 4. Quanto tempore hæres paruulus est, sub tutoribus & actoribus vitam degat. Pòst quàm pius parens partem substantiæ adolescenti assignauit, periculum facturo quid lucri inde consequeretur, quod nõ fecit sine aliqua futuri profectus expectatione, verum adolescens stultitiam in consilium habuit. Quia nõ post multos dies congregatis in vnum omnibus bonis suis, peregrè profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipauit substantiã suam viuens luxuriosè. Quãdo sua vèditioni exposuit, pro quibus multam pecuniam subtraxit atque conflauit, quicquid fingere potuit se ex ea fœneraturum parëtibus spopondit: quo à paterna domo liberiùs exiret, alibi viuere desyderans, vbi à nemine increpari posset, sed perficere quicquid inordinata voluntas eius appeteret. Quid enim aliud de eo peregre profecto, diuite, & sui iuris recenter còpote expectan-

expectandum erat, quàm quòd sua viuendo luxuriosè expenderet? Miser profectò fuit huius adolescentis recessus à còspectu pij parentis & deplorandus. Sed longè calamitosior est hominis à Deo recedentis. Qui enim à Deo recedit, Deus eum deserit. Desertus autem ab eo, cupit in rebus infimis atque inhonestis oblectari, & corporis vitia per carnis libidinem nutrit, cui pro tēpore blandiuntur & arrident, & voluptatem nescio quam pollicētur. Sed tandem eum perdunt. Sciant velim adolescentes in mundo nihil haberi (dempta virtute) quod illis còsummatā afferre animi libertatem possit. Quoniā carnis voluptas breuis est & momentanea, plus habēs fellis quàm mellis, & statim desinit. Verùm cœlestia bona etiam si minus auidè appetuntur, semel tamen habita tràquillius & citra animi nauseam possidentur, suos quoq; possessores beatos ac fœlices reddunt. Amantissimi, peruersos mores huius adolescentis, faciem parentis clementissimi fugientis imitari caueamus. Et nunquam Deum communem omniū nostrūm parentem deseramus: qui nos fecit & cunctis rebus nostris prudēter prospicit. Ab illo deseritur quisquis in cogitationibus suis euanescit, cupiens abscondi à facie eius. Fugiat ipse quo velit instar huius adolescentis, vsquam locorū tutò viuere & res suas rectè agere non po-

terit, donec ad eum communem omnium parentem redierit dicēs: *Peccaui, non sum dignus vocari filius tuus.* Exempla in manu sunt nimirum
 Gen. 4. Cayn & Cham verè miserenda. Homo à præsentia Dei recedēs, post quàm fuerit carnea voluptate abusus, quid restat nisi vt in vitis putrescat? Et quia legem gratiæ & veritatis dereliquit, in suis euanescat mendaciis. Sicut sibi videbatur iste adolescens recta sapere, ita eum imitantur, qui suos parentes non modò cõtēnant, sed etiã delirij accusant: & conqueruntur annos eorum esse longissimos: maximã quoq; spem animo concipiunt bona paternæ successionis rectiùs administrãdi quàm administrarunt pij parentes, & nullum non mouent lapidem, vt parentibus etiam superstitibus, partem eorum opportunè vel importunè habeant. Aliquando efficiuntur voti compotes, & bona sibi credita breui dilapidant, consumunt, dissipant neq; hæredibus suis simplex vestigium eorũ relinquunt. Hæc sunt longè notiora magisq; vulgaria quàm vt pluribus verbis cõmemorari debeant. Igitur caueãt pij parentes illis bona cõmittere administranda, quos noscunt vita & moribus huic adolescenti persimiles. ne totam eorum familiã improbis moribus cõmaculent. Sicut iste adolescens in regionem longinquam profectus, omnem substantiam dissipauit, inter illos

illos viuens, de quibus Sapiens ait: Venite fruamur bonis, optimo vino, epulis, & suauibus vnguentis nos impleamus: non transeat flos ætatis nostræ, absque ingenti lætitia, coronemus nos rosis antè quàm marcescant, nullum trāseamus pratum luxuria nostra non maculatum. Misericur non cogitant Venerem esse veram pestem animi, rationem turbantem, ingenium habentem memoriã auferentem, & naturales corporis vires eneruãtem? Perस्पicum est per opus intemperatæ libidinis, humidum radicale, in quo vita hominis cōsistit, non paulatim sed repente dissolui: & per eius profusionem corporis vitam citò minui, vndè statim homo corrumpitur. Itaq; huiusmodi voluptatem sanctus Iob Igni omnia vsq; ad consummationem voranti rectè comparauit. Sequitur deinde: *Postquã iste adolescens omnia consummasset, facta est fames valida in regione illa & ipse cepit egere.* Quid importat cum omnia consummasset, nisi non solùm maxima auri & argenti pondera quæ secum portauerat prodegisse, verùm donis etiam tum naturalibus tum gratuitis abusum fuisse? Nemo non cogitabat eum in regionem longinquam nouum hospitem factum, voluisse se in omnes liberalem & munificum manifestare. Ex qua virtute, à ciuibus fuit exceptus, tanquam à Deo missus, vt omnem regionem opibus suis locu-

Sap. 2.

Iob. 31.

pletaret, & qui pauperes aduenas Regia pergere via vix permittebant, illū ob munus liberalitatis vel (vt rectius loquar) prodigalitatē ambabus vt aiunt manibus complexi fuere: quem si fieri potuisset supra cœlos cœlorum eleuassent. Sed quid longè diuersum quàm sperauerant sequutum est. Quem enim tanquam fœlicitatis principem exceperant, habuerunt vnicum infœlicitatis authorem, quippe qui ex suis diuitiis multa vitiorum genera in adolescētes ciuitatis disseminauit: quibus abolēdis credi potest Deū in tota regione famem immisisse. Ne istud tibi videatur absurdū, recole propter Dauidis adulterium pestem per totam Iudeorum regionem grassari visam. Ex aduerso propter Loth hominem iustum, ciuitas Segor ab ignis incēdio seruata fuit. Et propter vnum Naamam salus vniuersæ Syriæ contigit. Ita verisimile est propter hunc nebulonem totam regionem hanc fame afflictam fuisse. Inde videāt populi magistratus, sibi non sufficere, authores calamitatū nō esse. Pariter studeant alienas propulsare, ne habeantur quasi illis consentientes qui eas afferūt. Cur iste adolescēs describitur indignisse, post quàm omnia consummasset? Nempe ad insinuādum nobis, illos omnium pauperrimos esse, qui ratione, memoria, ingenio, & similibus naturę & gratiæ donis abutuntur. Contrā subinferamus

fœlicem

foelicem illum qui talia non prodigit, sed con-
 feruat, & in thesauros domini cum multo fœ-
 nore reponit, quàm gratâter cœlestis curia ac-
 cipiet dicens illi, Euge, serue bone, quoniam in *Mat. 29*
 paucis fuisti fidelis, supra multa te constituam, *Luc. 19.*
 intra in gaudium domini tui. Quod huic ad-
 meretricios vsus omne patrimoniũ decoquen-
 ti contigit, id ipsum iuuenibus licentiũs quàm
 oporteat educatis accidere solet. Statim enim
 atq; in viam incedere possunt, parentes eos pur-
 pura & bisso vestiunt, aureis quoque imagini-
 bus ad corporis ornatum fulgēt. Ex quo enim
 fuerunt arroganter & nimis delicatè enutriti,
 cum ætatis incremento ferulam parētum suo-
 rum & præceptorum mandata fugiunt. Quæq;
 bona sua aleis, tesseriis profundunt, & variis cõ-
 messationibus ea consumūt, quæ parentes eo-
 rum cum nimio labore & cura peruigili acqui-
 suerant. Negligentes ipsi obseruare sentētiã
 Sapientis eos monentis non acquiescere illis, *Prou. 1.*
 qui simplicium animas inescāt cõsq; fallacibus
 verbis à via mandatorum Dei euocāt, & in fo-
 ueam perditionis vel desperationis laqueũ ad-
 ducunt. Itaque vocabulũ fames, in amplissimo
 appositũ est significato. Vt non modò ad cor-
 poralium carentiam epularum, sed etiam ad ia-
 cturam naturalium dotium & gratuitorum re-
 ferri possit. Quotquot illa profundūt, in penu-

riam omnium miserrimam descendere coguntur. Post quæ illa suo perdidit vitio, ex vnaque specie criminum in aliam prolabantur. Nunc dicamus quid ipse adolescens extrema fame penè consumptus, inter ignotos manens, omnique parentum auxilio destitutus egit. Ad se reuersus est, cui prius visum fuerat quid multum graue clementissimi parentis mandato parere, coactus fuit hominis barbari iussis per omnia obsequi. Quid simile illis accidit, qui suaue iugum domini portare recusant onere durissimo seruitutis vitiorum à sathana opprimuntur. Quod adolescens viuere posset. *Abijt & adhesit vni ciuium regionis illius, & misit illum in villam suam ut pasceret porcos.* Regio mundi bifariam partitur.

Psal. 23. In vna parte est generatio iustorum, faciem Dei Iacob videre quærentium. Et in alia reproborum

Deut. 32 hominum. De qua loquitur Moyses dicens: Generatio praua atque peruersa, hæc in reddis domino? Huius peruersæ regionis ciues sunt scelerati homines & potissimum vitiiis galæ & venenis dediti: Vni eorum adhæsit, iste adolescens quæ in villam suam misit pascere porcos. Tunc primum adolescens nouit, à quanta dignitate, in quantam miseriam sua culpa deuenerat, factus ex ditissimo hærede subulcus. In eandem incidunt miseriam, qui fræna libidinum laxant. Spoliantur enim omnibus bonis, per meretricios abusus,

abusus, & tandem fame periclitantur: quos comitantur Dei contemptus, omnium quoque virtutum perditio magna. Quid enim aliud mysticè sonat pascere porcos, nisi more porcorum obscænis voluptatibus oblectari, & intra gremium pectoris vitia nutrire, & alios in illis præcedere? Interim dum iste adolescens porcos pasceret pauxillum panis vitæ necessarium illi denegabatur. Ideo, *implere ventrem suum de siliquis quas porci manducabant cupiebat: & nemo illi dabat.* Ut hæc magis pateant ad vocabuli intelligentiam veniamus. Per siliquas quoddam genus leguminis intelligendum est: quod fertur esse foliis maximū, intrus vacuū, & granorū paucitatē ferre, superfluo humore abundās. Ideo multum inflat & vētrem magis onerat quàm reficit. Per quod aptè admodū luxuriæ vitium quo laborabat adolescens qui vētrem suum siliquis implere cupiebat adumbratur. Et quoties peccator ea appetit, quæ suo placent morbo, & naturæ obsunt, dicitur velle siliquis ventrem suum implere. Neq; improbus magister dico diabolus illi vitiorum intemperantia, ad fatietatē vitæ permittit: ne tandem fastidio sint. Si aliquoties indulgentur, usus eorum est dolorum felle permixtus. Hoc in causa fuit, ut adolescēs, qui famem durissimam quasi seruitutem vitiorū sustinuerat, non quidem ut periret, verū ut ser-

uaretur, est ad se reuersus: consideras quàm turpiter vixerat. Et hic solet esse primus veræ conuersionis animæ peccatricis gradus. Quamdiu enim ipsa deliciis frui desyderabit, raro sua agnoscet peccata. Nobis exemplo sit iste adolescens: quamdiu bonis abundauit, in quam incidit miseriam non agnouit. Interea si quispiam amicorum tunc cum vel sobrietatis vel temperantiae vel imminentium malorum admonuisset, subiratus & quasi grauiter furens atq; insaniens illi respodisset: Quid ad te luxus meus? An bona quæ possideo per te administranda sunt? Nõ mihi licet de rebus meis facere quod volo? Si quæ vides in me tibi displicent, egredere foras. Si verò placent per omnia meæ voluntati obtempera. *In se autem reuersus dixit: Quot mercenarij in domo patris mei abundant panibus. Ego autem hinc fame pereo.* Ista planè probant eum mirum in mūdum indoluisse, nequiter vixisse, & patrem indulgentissimum offendisse. Inter alia dicere potuit genus supplicij quod patior, est omni alio grauius & portatu difficilius. Si furca, gladio, aut rota perirem, cum breui dolore esset: at dolores mortis toties in me renouantur, quoties ventris viscera non solum præ famis in ædia ut cūq; crepant, verum & altissimè latrant. Quis me miserior? Quis inquã calamitosior? Sed obsecro, vndè tanta mihi contigerunt mala? Pro-

fectò aliunde orta non sunt, nisi quòd luxuriose viuens omne patrimonium decoxi: neq; patrem me recta monentē audire volui. O me miserum & infœlicem, qui iniquitates meas vltra modum prolongavi. Ex quibus patrem indulgentissimum magna tristitia affeci. cui dicere animo proposui: *Mi pater peccavi in cælum & coram te.* Valuit ista pœnitentiæ meditatio, ad promerendam peccatorum remissionē. Quam Dei spiritus illi inspirauit, cor tãgens tacito afflatu, vt ad se reuerteretur, qui se sibi abdicauerat. Sicut omnis se abdicat, qui à Deo recedit, ad quem dum conuertitur, se sibi reddit. Ex ea meditatione factū est, vt qui potens in iniquitate, gloriabatur in malitia, prioris vitæ conditionem defleuit, Dei iudicia ob mentis oculos posuit, prioris vitæ eū puduit, ac pœnituit. Verumtamen multis attritus angustiis se non cōtinuit, quasi homo desperatus, per vicos & plateas discurrens, neq; ad laqueum desperationis confugit. Hoc enim non fuisset pœnitere, sed peccatum peccato addere, & temporariæ calamitati æternam adiicere. Apud se sui status miseriam deplorans ait: Vnde huc veni miser? ex dulci patris sinu in ærumnosum exilium: è domo opulenta, in regionem extrema fame laborantem, è libertate maxima, in abiectissimā seruitutem, ab amantissimo patre, ad crudelissimū

dominum. Sicut totam filij familiâs dignitatē exui, ita seruilē cōditionem indui. Copia panis omnibus mercenariis paternæ domus suppetit, & ego filius & hæres familiæ opulētis, extrema fame pereō. Equidē mercenariis paternæ domus non inuidebat, sed penes seipsum confundebar. Hæc sunt quæ eum ad respiscētiā prouocarunt: scilicet nosce propriā miseriam, & eam diu multūmq; deplorassee. Tādē paululū respirare cœpit, & surgens à gradu miserix in qua hucusq; totus iacuerat, in cōspectu pij parentis, sequentia pœnitētiæ verba, ad gratiam illius consequendam proferre suo proposuit animo. Sed quemadmodum non fuerat repente ab omni honestate degenerās, ita ad statum gratiæ nō est statim reuersus: sed paulatim ad seipsum rediit. Ex eo sane perierat quōd voluptatis illi arriserat: cui impræsentiarum omnia displicuerunt, quæ caro & sanguis admirabatur. Et seipsum propriæ iniquitatis arguit, animo reuoluens in quantas inciderat calamitates. Sancta meditatio suæ turpis vitæ, nonnullos amaritudinis aculeos secum attulit, ideo cōmēdabiles, q̄ fuerint multū salutare. Suo sanè animo reuoluit, q̄ stipēdiū peccati est mors æterna omnium pessima. Inter huiusmodi acerri-mos dolores, vt de venia misericordiarū domini consequenda desperaret, neq; ad patrē rediret, se-

Rom. 6.

ret, sequentia illi inspirare potuit immitis spiritus, internè loquutus ac dicēs: Qua fronte ante faciem pij parentis astabis? quòue prætenu tuū crimen purgabis? Ab eo quē inueneras clementissimū aufugisti, q̄ maternæ successionis portiunculam habere instāter flagitaueris fuit subiratus & agrè tulit, quòdq; tibi eam non denegauit, & nosce potuit quomodo à quo tempore eum reliquisti, eam omnino turpiter prodegisti. Istud nemini quàm tibi imputari potest. Dum istis & similibus dolorū aculeis angustaretur iuuenis, superuenit sancti spiritus cōsolatio, illum monens in tanta rerū varietate se nemini rectiùs posse q̄ pio parenti indulgentissimo cōmittere: qui præ omnibus eū in miserias collapsum ad virtutis gradū erigere poterit. Et internè inspirauit non oportere patrem ab ore alieno agnoscere sui animi incōstantiā. Quoniam alienus expositor illuos animum ad vindictam potius q̄ ad condonationē delicti prouocaret, & longè placabilior pater fieret, si rem omnē vt est ei fideliter ab eo narrata esset: quòd ue pro defensione criminis omni ex parte apparentis nihil proponeret, sed se totum in eius clementiam & cōmiserationem reponeret, quē nouit sua natura clemētē & multum exorabile. speraret inaternū nolle irasci, vel in ira suas cōtinere misericordias. Itaq; filius sperans in pa-

SABBATO

terno pectore quid piæ cōmiserationis inuenire ad eum ire proposuit dicēs : Si me, vt filiū benignè non exceperit, cum sim tali ac tanto honore indignus, fœtore mei criminis, crucem æquo animo ferre decebit, donec me in suā recipiat clientelam. Ideo sequitur. *Surgam & ibo ad patrem meum & dicā ei: Pater, peccavi in cælum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum ex mercenarijs tuis. Et surgens venit ad patrem suum.* Huius adolescentis imitatione nos qui turpiter viximus, & multa iniustè egimus, ad Deum patrem nostrum redeamus, & in posterum seculi blanditias abhorreamus: quæque aduersa peccatis nostris emerita, & diuinitus immissa patienter feramus. Sicut adolescens ad patrem profectus est, cui omnia per ordinem enarrauit, ex quibus integra confessio fieri, & domino placere debet, prædiximus eum morosam præteritæ iniquitatis cogitationem habuisse, cum graui mœrore illius. Nunc fanè ultra progressus est: quia delictum suum patri cognitum fecit, & iniustitiam suam non abscondit. Sperans ab eo indulgentissimo, se cōsequuturum veniam illius, & pro opere satisfactorio, se totum filium exuisse professus est dicēs: *Non sum dignus vocari filius tuus. Sed multùm mihi bene erit, si me eo loci habueris, quo quemlibet ex mercenariis habes. Mihi saltem liceat in aliqua*

qua parte domus inhære, & operibus familiæ cum seruis tuis insudare. Ex istis agnosce improbum iuuenem crimē suum execrari, & quò abūdantiùs illud execratus est, eò copiosiùs paternum pectus in suas pellexit atq; attraxit partes. Et meritò quidem. Quoniam nò est modus isto conuenientior, ad placandam Dei vel hominis iram, quàm id ingenuè profiteri, quod tum negari, tum excusari non potest. Hæc satis diffusè dicta de moribus improbi huius adolescentis, non modò bonorum suorum decoctoris, verumetiam Venere perdit, qui peccatricis animæ imaginem præ se tulit: impræsentiarum sufficiant. Videamus nunc in pio parente formulam veræ commiserationis proximi. Postremò audituri sumus maculā impij liuoris in filio seniore. *Cùm autem adolescens adhuc longè esset vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est, & occurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum.* Quid sonāt verba, patrem filium vidisse, ab eo longè remotum, & illi obuiam venisse, nisi pietatem verè oculatam, in proximi miseriam esse, & ad veniam procliuiorem, quàm ad vindictā propensioem? Ideo ei obuiam venit, ne quis laudabile votum filij verè pœnitētis diuenteret seu immutaret. Qualem filiū venire vidit? nempe pannosum, macie confectum, gementē, squalidum. Tunc recordatus est quomodo ferox &

insolens ab eo profugerat, ex miseranda adole-
 scentis effigie non potuit non commoueri pa-
 ternum pectus. Quem complexus est vt pecca-
 tis onustum & quasi in terram deflexū fursum
 reflecteret. Tātū abest vt sauis in eum verbis
 intonuerit, verbera minatus sit, limen suæ do-
 mus interdixerit, concessam bonorum admi-
 nistrationem, fugam, ingluuiem, Venerē, aut
 similia vitæ dedecora exprobrarit & cōmemo-
 rauerit, seu amicos p̄ eo intercessores fieri sub-
 ornarit, vt filij misereretur, q̄ misericordia mo-
 tus eū benignè susceperit. Cui filius dicere cœ-
 pit: *Pater peccaui in cælum, & corāte*, quia carnis
 delicias Dei p̄cepto anteposui, quem ex mul-
 ta iniquitate affeci maxima omnium tristitia,
 in longissimā profugus regionem. Quām gra-
 ue est delictum meū agnosco, quod tibi confi-
 teor, lachrymas & suspiria vbertim fundēs. To-
 tam pronunciare orationem filius non potuit,
 nimio singultu sermones eius interrumpente.
 Tunc pius parens, ad lachrymas vbertim effu-
 sas plus respexit, quām ad orationē eius respe-
 xisset, etiam si fūisset arte oratoria curiosē com-
 posita. Quoniā huiusmodi lachrymæ proflue-
 bant ex conscientia sibi tota displicente: quam
 pater omni venia dignissimam iudicauit. *ideo*
dixit ad seruos suos: Citò proferte stolam primam &
induite illum & date annulum in manus eius & cal-
ceamenta

*ceamenta in pedes eius. Et adducite vitulum sagina-
 tum, & occidite, & manducemus, & epulemur: quia
 hic filius meus mortuus erat & reuixit, perierat &
 inuentus est. Vt nobis literæ sensus magis pateat,
 ordine seruato discutiamus, quid per stolā pri-
 mam, annulum, calceamenta, & vitulum sit no-
 tatum. Per stolam innocentia vestem intellige,
 qua Christi miles ex peccato originis fuit spo-
 liatus, & in baptismo iterum indutus, veterem *Ephes. 4*
 hominē cum actibus suis exuens, factus in Deo
 noua creatura. Quā si rursus perdiderit, per ec-
 clesiae ministros, virtute sacramenti cōfessionis
 recuperare poterit. Quòd soleāt qui pro gene-
 ris humani procreatione matrimonio iungū-
 tur mutuam corporis copulam dato promitte-
 re annulo. Per illum tanquā fidei signaculū,
 non inconuenienter declaratur fides, qua ve-
 lut pignore salutis & arrabone, fidelis anima
 Christo iungitur, & veniam peccatorum cōse-
 quitur, per quem cum sponso semper manebit,
 modò promissa in baptismo seruet. In quo pri-
 mitias spiritus Dei gustauit. Calceamenta verò
 ex pellibus mortuorum animalium facta, pe-
 dibus nostris accommodantur, quo securius &
 multo expeditius in ambulemus. Ideo gesta il-
 lorum rectissimè adumbrant, qui viam salutis
 nos docuerunt, & eam optimis exemplis pla-
 niorē reddiderunt. Quibus etiam aduersus*

mundi carnis & diaboli tentamēta munimur,
 & recta operari instruimur. Ideo Paulus nos
Ephe. 6. monuit calceatos habere pedes, in præparatio-
 nem Euangelij pacis. Quod nos fieri corū imi-
 tatores concupierit, qui suos affectus ab omni
 forde vitiorū purgarunt, ne legatione Dei fun-
 gentes, caducis rebus ab æternis remoremur.
 Quid aliud vitulus quàm passionis mysterium
 adumbrabit? Sicut enim veteris testamēti sacri-
 ficiū ad peccatorum expiationem umbrato-
 riè institutum fuit, ita verbera, Christi passio,
 nos ex peccatoribus iustos facit. Et meritò di-
 citur saginatus, id est, valde pinguis, tener, ac
 delicatus, quòd Christus pro nobis occisus sit,
 omnium charismatum donis abundè refertus.
 Qui toties cū pio parente Deo nostro epula-
 mur, quoties carnem filij eius sub sacramentali
 specie sumimus, quod facere nobis iniunctum
Ioan. 6. est, iuxta illud: Nisi māducaueritis carnem filij
 hominis, non habebitis vitam in vobis. Huius
 sacramenti perceptio cum actiōe gratiarum
 sumpta, nos læticia spiritali replet. In cuius
1. Cor. 15 perceptione recolamus, quòd in primo parēte
 mortui eramus, & merito passionis secundi re-
 uiximus. Hæc omnia ludæos latebant, quibus
 in figuris omnia cōtigerunt. Scilicet Gentilem
 populum relicto idololatriæ vitio ad domum
 militantis ecclesiæ venturum. Pro cuius aduētū
 gaudea-

gaudeamus Amantissimi, memores quòd filius iunior qui mortuus peccato idololatrię fuerat, reuixit, & in Christo uiuit. *Erat autem filius eius senior in agro. Et cum veniret, & appropinquaret domui, audiuit symphoniam & chorum. Et vocauit unũ de seruis, & interrogauit quid hæc essent. Isq; dixit illi: Frater tuus venit, & occidit pater tuus vitulum saginatum, quia saluum illum recepit. Sicut per filiũ iuniorem adumbrari dicimus populum Gentilẽ, ita per seniore[m] populus Israël apte admodum figurabitur. Ideo enim senior dicitur, quòd in diuino cultu exhibendo fuerit omnibus aliis prælatus. Potrò vsq; ad aduentum Christi in sacrificiis & ceremoniarum inuolucris admodũ exercitatus fuit. Hòdie enim in agro, id est, extra domum paternã manere dicitur: quòd fratri suo iuniori inuideat. Liur eius ex actis Apostolorũ colligitur. Ibi enim habetur: Petro prædicante, spiritum sanctum super gentes descendisse, & Petrum dixisse: Quis aquam prohibere potest ne baptizentur qui spiritum sanctum receperunt? Ex eo Iudæi Gentibus cõgratulari & hostiam laudis domino immolare debuerunt, quòd fuisset quædã mutua & salutã refectio. Contrã quòd Petrus sine imposto antiquæ legis onere, gentes ad baptismum receperit, indignati sunt Iudæi, & plerique abierũt retrò, atq; à salutari conuiuio corporis Christi recesserũt,*

Act. 10.

saluti gentium inuidentes. Quorū crimen tāto fuit sceleratius, quātò minus aduersus eos indignari debuerūt, qui illis vinculo consanguinitatis iuncti erant. Vtriq; enim à Noë, & pleriq; ab Abrahamo genus duxerāt. Qui venereis operibus, crapulis, ebrietatibus, indulgere nō solent, aduersus incontinentes vltremodū indignātur, & ex nimio liuore animi à paterna domo recedunt: in operibus suis nimiū confidentes, fiuntq; in lapsus alienos oculatissimi, & in proprios cæciores talpis. Talis erat Iudæorum populus, per filium seniore adumbratus. Nimirum gaudere debuit, narrare audiens Christum alias oues habere, & velle eas adducere, vt fieret vnum ouile, sicut ipse est vnicus pastor: sed inuidens antiquior iuniori domū militantis ecclesiæ ingredi recusauit. Pater ergo illius egressus, cepit rogare illum. *At ille respondens, dixit patri suo. Ecce tot annis serui tibi, & nunquam mandatum tuum prateriui, & nunquam dedisti mihi hœdū, vt cum amicis meis epularer. Sed post quā filius tuus hic, qui substantiam suam deuorauit cum meretricibus venit, occidisti illi vitulum saginatum.* Imprimis aduertamus filium seniore egregiè mentitū, dicendo sui patris mandatum se nunquam prateriisse. Nonne populus Israël in vitium idololatriæ lapsus, à fide præstita multoties defecit? Ergo hoc dictum fuit. multò arrogātius quā

verius,

verius, scilicet. Nunquam mandatum præterij. Iterum nõne Christus per vitulum adumbratus, in salutem omniũ immolatus fuit? Ideo sibi damno fuit Iudæus, qui ex animi liuore, Gentilem populũ spreuit, cœlesti hæreditate dignissimum, & tantò meliorem, quantò tardiùs ad fidem accessit: quem Deus monuit animi liuorem deponere, domum militantis Ecclesiæ ingredi, in ea commorari, & ex eo congratulari quod frater iunior (gentilem populum adumbrans) mortuus reuixit, & qui perierat inuētus est. Sicut animus criminum verè displicens, ad maiorem virtutis gradum scãdit, & amplioribus donis & virtutibus ornari cupit, pro eo satisfacturus quòd à piis operibus aliquãto tempore cessarit, ita Gentilis populus, in vitiũ idololatriæ prolapsus resurgēs, Iudæos longè præcelluit. De cuius cõuersione gaudere debuerūt Iudæi. Ideo arguuntur. Mihi obserua Deũ patrẽ nos multò feruentiùs diligere q̃ terrenus patrẽ filium diligit. Perditum enim puerũ vbiuis locorum non perquirat: quem ad domum reuertentem benignè suscipit. Nos autẽ vitiis perditos Deus non solùm per prophetas & sapiētes, verùm & per vnicum filium quæsiuit, quẽ mi- *Luc. 15.* sit quærere ouem quæ perierat. Quòd eam in ouile domini reportarit, gaudium in cœlo, id est, paterna domo celebratur.

FERIA II.

Homelia feriæ secundæ post tertiam dominicam
quadragesima Luca quarto.



Vanta audiuius facta in Capharnaum,
fac & hic in patria tua. Euangelium
quod in hanc feriã incidit aliis præ-
cedentibus ad eò inheret, vt nisi quis
illa ei adiunxerit, difficilè aut vix absolutam re-
perire poterit sententiam. Quare rationem eo-
rum in præsentia habeamus recolentes Euan-
gelistam dixisse benignissimum Iesum in ciui-
tatem Nazareth venisse, & in ea lectoris officio
functum fuisse. Quem omnes mente studiosa
audiebant, & stupidi erant, ex verbis gratiæ &
veritatis profluētibus ab ore ipsius. Præter Scri-
bas & Phariseos non nihil mussitantes & intra se
dicentes: Nūquid hic est filius Ioseph? faber &
filius fabri? Videns cogitationes eorum & oc-
cultata consilia ait illis: Mihi hãc similitudinem
dicetis: Medice cura te ipsum. Erat istud vulgare
adagium, in opprobrium medicorum egregiè
excogitatum: qui pessimis infecti erant vlceri-
bus, quæ non curabant, & aliena curare pmit-
tebant: quod sub inuolucro verborum Iudei ad
Christum intorquere volebãt, dicentes ei: Au-
diuntur magna esse opera per te in Caphar-
naum edita, eadem in ciuitate in qua cõceptus,
& multo tempore conuersatus es fac, in curan-
dis ho-

Luc. 4.

dis hominibus infirmis ad te confugientibus,
 & salutem poscentibus facienda sunt, modò
 concessa virtus miracula edendi, tibi tanquam
 vero Messia sit perpetua. De quo legitur: Qui *Psa. 102*
 sanat omnes infirmitates, & alligat contritio- *146.*
 nes eorum. Nisi sanè ciuibus tuis auxilium im-
 plorantibus salutem còtuleris, tibi impropera-
 bimus prouerbium in medicos irrisoriè exco-
 gitatum, & operum tuorum præcones inter va-
 fros impostores deputabimus. Deniq; opera ni-
 mis prodigiosa quæ fecisti, non diuinæ virtuti,
 sed Belzebuth principi dæmoniorum tribue-
 mus. Itaque eum contumeliosis verbis conue-
 nerunt, fabrum, fabriq; filium nominantes, &
 dignitatem illius contemnentes. Mordax fuit
 derisio eorum, & verè insana: sed salutaris do-
 ctrinæ plena. Quemadmodum ipse est filius na-
 turalis illius fabri, qui in principio terram fun- *Psal. 101*
 dauit, & opera manuum eius sunt cœli cū quo *Hebr. 1.*
 erat componens omnia. De quo Ioannes ait: *Prou. 8.*
 Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factū *Ioan. 1.*
 est nihil quod factum est. Eiusdem sententiæ
 fuit psalmista inquiring: Tu domine, in princi- *Psal. 101*
 pio terram fundasti, & opera manuum tuarum
 sunt cœli. Sicut vestimentum veterascet, tu autè
 in æternum permanebis, & anni tui non defi-
 cient. Et ex sententia Pauli, Diuersa còdidit va- *Rom. 9.*
 sa, hæc in honorem, illa in contumeliam. Simi-

Mat. 9. liter est medicus, de quo scriptura loquitur, di-
Mar. 2. cens: Non est opus medico valētibus, sed malē
Luc. 5. habentibus. Agitē amantissimi, memores nos
Psal. 8. non solūm per hunc fabrū formatos fuisse, ve-
 rumetiam quòd omnia pedibus nostris animā-
 tia subiecit, vt nobis obsequium præstarent, si
 diuinis iussis per omnia obsequentes essemus,
 quòd ue post suscepta peccatorum vulnera per
 hunc animarum medicum salutem consequuti
 sumus, eum super omnia diligamus. Dicēdum
 occurrit, cur Nazarenū tantūm de eo miraban-
 tur, & vnde prodiit admiratio eorum. Nouerāt
 sanē eum iuxta carnis conditionem fuisse cum
 pauperrimis parentibus educatum, quem in si-
 militudinem carnis peccati factum, multiplex
 cursus incommodorum huc & illuc agitabat,
 & illis contemptibilem reddebat. Eum sanē nō
 rarō videbāt iuxta corporis faciem, tristitia af-
 fectum, frigore, vel æstu commotum, fame vel
 siti maceratū. Hinc Scribæ diuites & Pharisei
 illum deridebant & digito omnibus commō-
 strabant: gauisi quòd esset subsannatio illis, qui
 in circuitu erant. Audiētes dicere eum aliquid
 præclarum in templo prædicasse, quærebant:
Mat. 13. Vnde huic sapientia & virtus? Cuius mater &
 fratres apud illos commorabantur: quædā mi-
 racula edere visus est, sed fiūt in Belzebuth prin-
 cipe dæmoniorum. Vt nos patientiam seruare
 inter

inter maledicta aduersariorū doceret Christus, ad ista non aperuit os suum, quasi in ore nō haberet redargutiones, & simplicibus verbis vsus, causam subaperuit, cur patriā suam iisdem miraculis non illustrauerat, quibus Capharnaum prius decorauerat. Ait autem: *Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua.* Hic noster euangelista subobscure loquutus est, verū alius multò planiùs (meo quidem iudicio) loquitur dicens: Non est propheta sine honore, nisi in patria sua. Ex istis videretur benignissimus Iesus inter ambitiosos homines posse videri numerandus. Quòd ob miracula quæ sunt Dei dona ab hominibus honorari voluerit: cum autem de eo dicat scriptura, Peccatum nō fecit, neq; inuentus est dolus in ore eius, Est enim agnus Dei omnis maculæ nescius, dicendū est igitur quòd à conciuibus suis tantū honoris sibi exhiberi expetiuerit, quantū ratio mysterij quod gerebat postulauit. Et recta quidem intentione, vt verbum salutis quod nunciabat, reuerentiùs audirent. Nihil enim pio concionatori gratiosius accidere potest, quàm videre auditores suos diuinis verbis attentos & sibi beneuolos. Cum ergo Christus eum honoris gradū cōsequi voluerit, quem nouerat ob ciuū comoda sibi pertinere, vitio animi arrogantis notari non potest. Indignabatur Nazarenos pro-

Psal. 37.

OR. 37. A

Mat. 13.

Mar. 6.

1. Pet. 2.

spiciens magnificas promissiones Dei contem-
 nere, & salutis verbū fastidire, quod in Caphar-
 naum reuerenter ac deuotè susceperant. Quo
 modis omnibus eos prouocaret debitum offi-
 cio quod gerebat honorem præstare, istis alibi
Mat. 10 addidit: Qui recipit prophetā in nomine pro-
 phetæ, mercedem prophetę accipit. Quotquot
 veri prophetę Christi aduentum præcesserunt,
 in nomine illius, qui est verus propheta loquu-
Deut. 18 ti sunt. Cuius Moyses meminit dicens: Prophe-
 tam de fratribus vestris suscitabit vobis domi-
 nus, ipsum tanquam me audietis: qui illum nõ
 audierit exterminetur de populo. Hic est Chri-
 stus prophetarum maximus, & sub nomine ve-
 ri prophetæ inclusus. Credentes in eum illius
 mercedis participes erunt, quam secum attulit.
 Et hoc est præcipuum quod antiqui prophetæ
 populo nunciarunt scilicet nos omnes fuisse
 peccato originis infectos, à gratia Dei alienos,
 & multiplicibus infortuniis animę & corporis
 obnoxios: à quibus soli liberātur, qui in nomi-
 ne iusti prophetæ credunt, & mercedis quā se-
 cum attulit participes erunt. Ipse enim nos à
 morte æterna omnibúsq; peccatis redemit, & à
 potestate principis tenebrarum eripuit, Deum
 patrem nobis placatū reddidit, innocentia ve-
 stem restituit, & benedictione perpetua perfrui
 in cœlis faciet, si eius mandata fecerimus. Hęc
 est merces

est merces multa nimis, per veros prophetas sub nomine veri prophetæ nuntiata. Quid ea nobis vtilius, quid audiri lætius, quid gratiosius videri potuit, eo qui mercedem salutis secū attulit? quem Nazareni suo malo non receperūt, & doctrinam illius fastidierūt. Quos Christus ad viam salutis nunc minis, nunc blanditiis allicere voluit. Et mirabatur inquit euangelista, quòd inter eos non posset nisi pauca edere miracula, multo inferiora illis re ipsa & numero, quàm apud Capharnaū ediderat. Pro ratione admirationis, incredulitatem illorum prudentissimè assignauit. Prius quàm enim miracula more solito fiant, duo præcipua necessariò conuenire debent. Vnum quòd sit virtus sufficiens in agēte, alterum quòd sit idonea dispositio in suscipiente. Quòd virtus edendi miracula in Christo fuerit, satis compertum est ex illis quæ apud Capharnaum multifariè edidit: sed in Nazareth fuit fides modica. Quòd ergo essent parum dispositi, pauca inter illos miracula Christus edidit. Verùm hæc verba *non potuit* sunt altius intelligenda. Scilicet pro rei decētia, & de potestate ordinaria. Quoniam si plurima edere inter eos absolutè voluisset, volūtates eorum immutasset, & eas suæ conformasset. Sublato autem infidelitatis vitio, eadem inter eos quæ apud Capharnaum operari potuisset. Verùm

istud fieri non expediebat ab eo, qui vult quòd bonis operibus liberè assentiamus. Et nõ secus inter nos se continet, quàm sol lucet super filios hominum: qui eos tantum illuminat, qui fenestras aperiunt. Pariter Christus sicut neminem inuitum vinculo suæ legis cõstringit, ita neminem ad eum venientem reiicit. Rogãtibus intrare ostium aperit, volentibus exire non deneget. Hæc est causã potior, cur Christus eadem apud Nazarenos operatus non est quæ apud Capharnaitas ediderat miracula. Quoniã sub nomine veri prophetæ eum nõ receperũt, neq; mercedẽ prophetę habuerunt. Vnde hoc quòd suum Messiam reiecerunt, quem extranei cum omni reuerentia receperunt? Dicitur solet, Quem admodum vltraonæ merces, quãtũlibet preciosa, si fuerint communes ex maligna humani captus dispositione vilescunt, & domestica fastidiẽtes, peregrina appetimus: Ita Christum conciuem Nazareni neglexerũt. Nobis exemplo sit medicus aut propheta. Iste corporum ægritudines sua arte curat, propheta verò sanctissimis exhortationibus animorũ morbos sanat. Prius quàm ars aut sciẽtia huius vel illius, quid præclarum operari possit oportet infirmũ huic vel illi fidere. Quoniam si pharmacũ à medico oblatum sorbere, vel salutis verbum à propheta nuntiãtum audire noluerit, non curabitur:

sed peribit. Nō quòd propheta vel medicus illi malè velit, sed quòd salutis beneficium sibi ipsi subripiat. Tales erant Nazareni verè infirmi, & Christo salutarì corporis & animæ medico nō fidebant. Quem alia ex re non spernebant, nisi quòd mater eius, & fratres, apud illos erant. Quibus non succurrit, quia suis salutaribus verbis non acquiescebāt. Quòd istud scilicet prophetas Dei seruos dignanter non suscipere, fuerit Iudæis ab antiquo consuetudinarium, sub nominibus prophetarum, tum Helię, tum Helisæi, Christus sequenti forma comprobabit inquiring: *In veritate dico vobis, quòd multa viduę erant in diebus Helie in Israël, quando clausum erat cælum annis tribus & mensibus sex, cùm facta esset fames magna in omni terra. Ad nullam illarum missus est Helias, nisi in Sarepta Sidonię, ad mulierem* 3. Re. 17. *viduam.* Primum videamus cuius conditionis vel meriti penes Deum fuit Helias propheta. Nempe vir excellentissimus, in terris vixit tanquàm cœlestis angelus, tectum, mensam, amictum habere non curauit. In aduersis & prosperis semper domino gratias agens, nihil frequentius quàm immensam Dei clementiam animo reuoluit, à quo totus pendebat. Corui panes *Ibidem* & quæquãque alia ad vitę vsum necessaria illi ministrabant. Ex longa orandi consuetudine, talem cum Deo familiaritatem contraxit, vt lingua 3. Reg. 8.

FERIA II.

Jacob. 5. eius visa fuerit clavis, cœlum vel claudens vel aperiens. Prospexit ex abūdanti largitione bonorum Deo opprobrium fieri non modicum, per homines nimia saturitate plenos. Illius honorem zelatus, obtinuit cœlum tribus annis & sex mensibus continuis clausum esse. Ut bonorum inopia culpam nimia satietate cōtractam, & in immensum multiplicatā purgaret. Quando fuit ad præces illius cœlum tribus annis & sex mensibus clausum, terra fuit rudis, & quasi ferrea. Ex quo nec ros, nec pluuia, toto illo tempore è cœlo non descendit, subsequuta est tãta fames, vt tum homines, tum iumenta in domibus & agris perirent. Erat autē in manu Helix, cui vellet succurrere. Et sciebat multas pauperes viduas in terra Israël esse: in qua tum natus tum multos annos conuersatus fuerat, verumetiam domos illarum nō visitauit, suppetias daturus, nisi in ciuitate Sarepta Sidoniæ: Venit ad domum mulieris nō Israëlitæ, & extra sanctæ hæreditatis fines commorantis. Quæ illi beneficiū contulit, & ab eo reciprocè accepit. Subindicās nos decere bene merentibus bene mereri: & alios dimittere res suas vt volūt agere. Eum vltra fines sanctæ hæreditatis progredi decuit, vt per longa terrarum spatia populi calamitatē prospiceret, atq; dominum rogaret cœlum aperire, & pluuiam dare bonis terræ opportunam. Ingressus

gressus autem in domum viduæ mulieris, ait illi: Da mihi pauxillum aquæ vt bibam, & panis ^{3.Re.17.} buccellam vt comedā. Ipsa ex pauxillo farinæ, quam in hydria habuit, & modico olei, subcinericium panem composuit, coxit, prophetæ obtulit: nihil sollicita vndè tum ipsa, tum filius eius in posterum viuerēt: Magna profectò fuit, & longè commédabilis hospitalitas huius mulieris, ignoto homini collata. Quid inde subsequutū est audiamus. Pòst quàm propheta fuit subcinericio pane modico refocillatus quo suscepti corporei nutrimenti vices mulieri viduæ rependeret, à Deo obtinuit non solùm illi farinam in hydria, & oleum in lecytho nō deficere, donec dominus voluntariam fructibus terræ pluuiam daret vt abundè crescerent, verùm etiam aliud miraculum edidit: quia mortuum viduæ filium vitę restituit. Cur ipse terram sanctæ hæreditatis pertransiens, & multas pauperes viduas prospiciēs, illis sicut isti non succurrit, nisi quòd verbis suis sicut illa credulæ non fuerint? Vndè monemur, in his quæ sunt nostre fidei, verbis eorum qui nobis præsunt aures credulas accommodare: neq; in rebus maximè deploratis animos deponere, sed in Deo & promissis eius sperare. Certò credentes se nobis ea elargiturum, quæ ore prophetarum dare promisit. Ad aliud exemplū de Helisæo veniamus.

4. Reg. 5 *Et multi leprosi erant in Israël sub Helisæo propheta, & nemo eorum mundatus est, nisi Naamam Syrus.*

4. Re. 2. *Fuit Helisæus (cuius euāgelium meminit) He-*

liæ discipulus qui dum Helias curru igneo in cælum raperetur, ait illi: Oro domine, vt spiritus tuus fiat duplex in me. Cui Helias respon-

dit: Si videris quando tollar à te, erit tibi quod

petisti. Sicut vidit, ita duplici spiritu & proph-

tiæ & miraculorū donatus fuit: sanctissimè vi-

uens stupēdis inter populum Dei inclaruit mi-

raculis. Aliquod eorum exempli gratia refera-

mus. Imprimis pallio suo, aquis fluuij Iordanis

superposito, eas pede sicco pertransire potuit.

Rursus aquas Hierico verè insipidas potabiles

reddidit. Pueris eum irridentibus maledixit: in

criminis pœnam, vrsi ex syluis egressi, aliquot

eorum lacerarunt, atq; laniarunt. Oleum viduę

mulieris sua oratione adedò multiplicauit, vt

cunctis creditoribus suis satisfacere potuerit.

Mortuum eius filium suscitauit, & venenatas

herbeculas pro pastu animalium salutare reddidit.

Ceterum quoq; viros panibus paucissimis

pauit, ab operibus suis, habitus est, non solum

Dei propheta, quòd admirabilem regis Israël

victoriam super Moab nuntiarit, verum & Dei

amicus appellari meruit: cum ipse esset tantus,

non fuit à populo Israël honorificè susceptus,

sed à pueris (vt dictum est) illusus, quare ipse le-

profos

profos eorum mundare non curauit. Quòd Iudeorum natio multos habuerit morbo lepræ obnoxios, tum ex decretis legalibus illis concernētibus apertè dignoscitur, tum ex eo quod Christus duobus discipulis à Ioanne missis ait: Nunciate Ioanni quæ vidistis, leprosi curātur. Et semel decem mūdauit, quorum vnicus gratias egit. Iuxta illud: Nōne decem mundati sunt? Et nouem vbi sunt? Cur Helisæus plures leprosos in Iudæa esse prospiciens neminem illorum præter Naamam Syrum curauit, qui domino tantum placuit, quòd in fauorem & ad preces illius salutē Syriis contulit. Quandiu tamen vitio incredulitatis laborauit, opera cælesti regno digna facere non potuit. Sed quædā mortaliter bona pro quibus opportuna suis remediis Deus contulit. Modum audiamus quo fides illi diuinitùs inspirata creuit & externè apparuit. Verbum imbecillis mulieris audiuit dicentis: vtinam dominus meus ad prophetā qui est in Samaria iret, eum à vitio lepræ qua vexatur curaret. Ex huius puellæ verbis, Naamam fuit ad eò commotus, vt literis à rege Syriorum ad regem Iudæorum impetratis, in Iudæā pergens, prophetam cuius commorationem nesciebat, huc & illuc discurrens sollicitè perquisiuit. Neque ab itinere correpto quieuit donec domum illius inuenit. Stans ante ostium eius,

4. Reg. 5

cum equis & curribus suis, eum de suo aduētū certio-
 rem reddidit. Helisæus verò quasi perso-
 nam illius parum curaret, foras egressus nō est:
 sed vnum ex seruis misit dicere ei: Vade, & se-
 pties laua te in fluuio Iordanis. Nouerat Na-
 am aquas Iordanis nullo fuisse miraculo ce-
 lebres, ideo carnis prudentia, quæ non rarò o-
 mnia ex suo arbitratu agere cupit, illi suadebat
 nihil minus æquum esse quàm velle huius pro-
 phetæ iussis obsequi, iubentis eū septies in aquis
 nullo miraculo illustribus volutari. Ipse car-
 nis prudentiam depressit, & contumaciam il-
 lius retundit, & verbo prophetæ fesus, se in flu-
 uio Iordanis septies lauit. Vnde caro eius reno-
 uata est, & sicut aquilæ iuuentus reffloruit. Me-
 cum admirare fidē huius hominis, quæ ad vo-
 cem ancillæ multum aucta fuit. Habet enim fi-
 des, sicut charitas, suos auctus seu incrementa.
 Aliās apostoli Christo non dixissent: Auge in
 nobis fidem. Quo ipsa maior est, eo maiora à
 Deo consequimur beneficia. Rursus non caret
 mysterio prophetam Naamam iussisse septies
 lauari, vt à morbo lepræ liberaretur. Sicut enim
 lepra hominis corpus maculat, & peccatū per
 lepram adumbratum, animam corrumpit. Sūt
 autem varia criminum genera, quibus illa cor-
 rumpitur, & in numerum septenariū diuidun-
 tur. Quibus emundandis Christus sanguinem
 suum

suum septies fudit. Dum circuncideretur, quā-
 do fuit cultro lapideo vulneratus. In mōte Oli- *Mat. 26*
 ueti patrem precatus, ne calicem passionis bi- *Mar. 14*
 beret, sanguineum sudorem emittens. Flagellis *Luc. 22.*
 feuerè percussus, à plāta pedis vsq; ad verticem *Ioan. 18.*
 capitis. ex quibus à toto corpore suo nihil vi-
 sum fuit nō saucium. Ex spineo diademate suo
 capiti apposito, & veste alba induto. Postmo-
 dum ea spoliatus, in cruce per manus & pedes
 clavis acutissimis tandem perfossus, tandē lan-
 cea perforatus. Vnde à suo latere profiluerunt *Ioan. 19.*
 duo riuuli sanguinis & aquæ. Satis dictum est
 cur prophetæ, Helias & Helisæus aduenas, &
 non suos miraculis iuuarūt, ob incredulitatem
 Iudæorum, qui eos contemptui habebant, neq;
 verbis illorum fidebant. Quod fermè ex corru-
 pto veteris Adami ingenio, est vt plurimū ci-
 uibus commune: scilicet istos illis inuidere, &
 vicinos contemnere, extraneos dignāter exci-
 pere, eósq; obuiis (vt aiūt) manibus complecti.
 Quòd recordentur quorumdam leuium quæ
 in diebus fragilis infantia viderint in illis quā-
 do domesticè viuebant. Cur non cogitant se &
 illos potuisse per ætatum gradus ad virtutū cul-
 mina peruenisse? His adde quod dici solet, quæ-
 admodum res preciosæ ex quo cōmunes sunt,
 & quasi quotidianæ, illisq; liceat copiosè frui,
 nobis vilescunt, & quæ rara sunt admiramur:

FERIA II.

Similiter homines oculorum aciem in communes proximorum lapsus multò frequentius atque curiosius quàm in suos defigunt, illòsque contemnunt, quasi quædã vulgaria. Quòd audierint Nazareni Christũ dixisse, illis esse quasi à patribus ingenitũ prophetas despiciere, repleti sunt omnes in synagoga ira tam ardenti, tam deniq; inflammata & vehemèti, vt non modò illum apprehèdere & iudici tradere voluerint, verùm etiam à vertice mòtis deorsum præcipitare. Quid videri potest communi populo mutabilius? Ipsi paulò antè eum sicut prophetam habuerant, nũc verò ex furore versi in apertam famem, eum tanquàm impium nebulonẽ præcipitare volũt. Immemores quòd eos beneficiis penè innumeris decorauerat, ægrotos sanans, cæcis visum & claudis rectũ gressum restituens, & quòd est longè præstantius, gratis noxas peccatorum condonans. Tantis ac talibus beneficiis, vices non rependerunt. Quos ad minus oportuit esse ei gratissimos. Verùm & mortẽ eius procurarunt: salutis authorem perdere cupientes, seipsos cũ omni familia perdiderunt, eumq; à finibus suis expellètes, ipsi à sancta hæreditate expelli meruerunt. Quem cùm reiecerũt, Gentes honorificè exceperũt, & in sortem illorum subrogatæ fuerunt. Quibus congratulans Paulus dicebat: iam nõ estis hospites & aduenæ, sed facti

facti ciues sanctorum & domestici Dei. Quid fuit scelestius subitaneo furore illorum? quo nō vnus aut alius, sed omnes vnà sine differentia ætatis aut sexus fuere ira repleti. Piam Gentium credulitatem irridebāt, & in filio Dei increduli erant. Quem velut singularem morborū animi medicum, & verè expertum cōuocauerant, ad eos venit, & salutiferū correctionis catapotiuū illis oblatum vorare seu sorbere noluerūt, quòd quid amaritudinis inclusum haberet. Quasi nescirēt nihil vtilius peccatori esse mordaci increpatione criminū quę commisit: sed suis moribus deprauatis blandiētes, adulationis venenum licet mortiferum, salutaris doctrine pharmaco præposuerūt, & Christū inducere voluerūt ad applausus hominum, miracula inter cōpatriotas edere, quæ tantum ad honorem Dei edenda sunt. Quasi corporibus breui perituris deberentur, & non animis perpetuò victuris. Itaq; ira repleti surrexerunt, & eiecerunt illum extra ciuitatem. Mirantur nonnulli quomodo omnes ira repleti, eum comprehendere nō potuerunt, qui passionis tempore fuit à paucis captus atq; comprehensus. Istud diuina dispensatione factum credimus ne captio illius in multos authores retorqueretur. Quòd ergo tūc captus non fuerit, diuinę benignitati tribuamus: sicut quòd postea capitur ex diuina ordinatio-

ne fuit. Si probè cōsiderassent hoīem beneficū cū omni reuerētia suscipiendū esse, penes quem summa rerū totius ciuitatis reponēda est. quādo ciues sua iura manere firmā cupiūt eū extra ciuitatem non eiēcissent, sed venientē benignè excepissent, & secum diu manere precati fuissent. Contrā eum extra ciuitatem duxerūt vsq; ad supercilium mōtis, super quem ciuitas illorum erat ædificata: vt præcipitarent eum. Teritur vulgari prouerbio sufficere seruis aut discipulis si pares fuerint præceptoribus aut magistris. Quis fuerit præceptor aut magister eorum qui Christum præcipitare voluerunt, Ipse eum nominauit dicens illis. Vos ex patre diabolo estis, cuius opera imitamini. Sed inuēti sunt magistro vel præceptore multò nequiores. Ille Christum supra pinnaculum templi ascendere monuit & præcipitium hortatus est, dicens illi: Mitte te deorsum: ipsi vltra progredientes, eum facto præcipitare voluerunt. Et in die sabbati, in quo illos grande nefas committere iudicabant, qui pauperes erant, & calceos suos cōsuebant: sanguinem verò innocentis & immeriti ciuis effundere pro nihilo habebant. Cur autē Christus illo die præcipitatus nō fuit, nisi quòd tale sabbatum, ad immolationem sui corporis ei nō placebat: sed aliud elegerat, scilicet in quo agnum totius orbis liberatoris figuratiuū immolare.

Ioan. 8.

molare consueverunt Iudei. Neque ad victimam
sui corporis urbem Nazareth, sed montem Cal-
uariam elegerat: & hora suae passionis nondum ve-
nerat. Iterum eos maluit adhuc ad poenitentiam
prouocare, quam perditioni exponere, videtes
inefficacem modum esse quem excogitauerant
poenitere tanti criminis debuerunt. Eo enim ge-
nere mortis illum consummari non decuit, qui
oraculis prophetarum in ligno suspensi debuit.
Ideo quemadmodum inter pueros Bethlemi-
ticos occisus non fuerat ita per Nazarenos,
quibus erat impia voluntas praecipitatus non
fuit. Sed tandem cruci affixus interiit: qua fron-
tes fidelium signarentur, quo aduersus diaboli
tentamenta muniti constarent. iuxta illud Ioan-
nis: Nolite nocere terrae & mari, quousque si-
gnemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.
Ad tanta rei ministerium, quo die Adamus pec-
cavit, eodem Deus lignum notauit. in quo per
filium genus humanum redimeret. Itaque ne
Christus a Nazarenis praecipitaretur, manes ad
supercilium montis, transiens per medium illo-
rum ibat ut iterum ante diem suae mortis super
sanctum montem Syon praecipitaretur, manes ad
supercilium montis, transiens per medium illo-
rum ibat ut iterum ante diem suae mortis super
sanctum montem Syon praecipitaretur. Mihi videtur fabulosum esse quod
multi referunt eum in auem vel serpentem ver-
sum, quod liberius posset e manibus illorum elabi:
neque etiam auribus meis multum arridet senten-

tia illorum, qui dicunt saxum montis ad tactū corporis illius subterfugisse & in cōspectu eius non secus resolutum fuisse, quàm cera redditur mollis ante faciem ignis Vt impleretur scriptura dicens: Montes sicut cera fluent, ante cōspectum domini. Atq; in huius montis decliuio, factum fuisse quoddam cōcaue eius capacitatis, cuius quantitatis erat Dominicum corpus, & vestigia adhuc restare, quæ lineamenta fimbrium vestis eius præ se ferūt, tam artificiosè insculpta, vt nemo non credat ea manu diuini artificis impressa fuisse. Enimuerò si Christus in montis decliuio iter ad sui corporis descensum præparasset, Iudæi illum sequentes eadē descēdere via potuissent. Videtur mihi esse veritati multò viciniùs dicere, q̄ ipse sua omnipotenti virtute vsus, modo quo voluit, descendit. Et quemadmodum tempore passionis sceleratos milites eum comprehendere venientes, simplici verbo reddere in terrā resupinos potuit, dicens: Ego sum: vel ementes vel vendentes in tēplo simplicibus minis flagelli ab illo eiecit, vel die transfigurationis dotes glorificati corporis repræsentauit: seu quando Iudæi in templo tulerunt lapides vt iacerent in eum, illæsus abiit: Similiter impræsentiarum de mōtis vertice diuinitus descendit, & per medium illorum sine offendiculo pertransiit. Palàm declarans malitiam

tiam hominum aduersus se nihil valere. Ideo non prius fuit captus & morti addictus, quàm venit hora, vt transfret de hoc mundo ad patrē.

Homelia feria tertia, post tertiam dominicam quadragesima. Matthæi decimo octauo.



Respiciens Iesus discipulos suos, dixit Simoni Petro: Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripue eum inter te, & ipsum solum. Præfens euangelium, duo potissimum includit, in sua parte priori, Iudæos damnat, qui ex verbis diuinæ legis malè cōceptis, credebant motas inter eos controuersias, alia via, quàm forensi iudicio componēdas nō esse. Quoniā lex ait: Si contentio inter vos mota fuerit, decisio illius, ad deos, scilicet iudices pertineat. Christus autem, hīc explicuit cōtrouersias amicè componēdas, & diligētius quàm fieri potest, sine etiā publico, & forensi iudicio. In sequentibus discipulos arguit, qui sibi aduersantes, voluerunt subitaneo ictu fulguris perire, aut hiatu terræ absorberi: Quod Dathan & Abiron contigit, quos terra viuos deglutiuit. Itidem euenit quin quagenariis militibus Heliæ Dei prophetæ irrisoribus. Iuxta opinionem huiusmodi per eos erroneè conceptam, quòd Christus per fines Samaritanorū transiens, non fuerat ab incolis beneuolè susceptus, illi con-

Exo. 22.

Deu. 25.

Nu. 16.

4. Reg. 1.

Tt.

Luc. 9.
 suluérūt facere vt ciuitas illorum funditùs corrueret. Christus non solùm illos arguit, verùm etiam monuit infirmos supportandos, & inter omnes amicitiam seruandam, tantùm abest, vt ex istis voluerit ciuilibus politię ordinationes abrogare. Quibus decretum est, querimonias de damno dato, aut iniuriis factis corã magistratu proponere, vt iustitiam administret: vt etiã illas variis in locis commendarit. Vult enim per magistratus, vnicuiq; nostrùm quod suum est assignari. Dicamus cur Christus Apostolos respiciens, & non plebeios homines Petrum alloquitur. Volebat eos reddere suis sermonibus attentiores cæteris: quos seculi iudices, & Petrũ præsidem illorum constituere proposuerat: & nos scire plurima esse remittenda beneuolo affectu, & radice charitatis, sine forësi & tumultuario strepitu, vt vinculũ charitatis inter fratres disruptum, quo diligentius fieri posset cõsolidaretur: ne fundamentum mutuę dilectionis ex toto corrueret. Itaque ait illi: *Si peccauerit in te frater tuus, vel in re graui aut leuissima, aut iniuria te affecerit, nõ vttere iniqua lege hominis æthnici dicentis: Non oportere Senatori maledicere, nisi primùm maledixerit, tunc etiã illi maledicere permissum esse, quia primus iniuriam intulit. Cur proximũ ad certamen maledicentię laceffiuit, nisi sibi vices rependi vellet?*

let? Neq; actio iniuriarum per iuriscōsultos cō-
 cessa fuisset, aut diceretur ius hominis laceffiti,
 esse multò fauorabilius iure laceffentis. Hæc
 proponētes, vt in peccatis excusationes habeāt
 recordentur velim, multa propter faciliore in-
 ter homines conuictum tolerari, quæ in con-
 spectu Dei aliquando impia sunt. & Paulū di-
 xisse, quòd multa licent quæ non expediūt. Cur
 istud non expedit fieri, nisi quòd vt plurimum
 & qui iniuriam infert & qui illatam, alia com-
 pensare cupit, vtérq; in præceptum mutuæ di-
 lectionis grauiter peccat? Sicut enim Dominus
 proximo maledicere vetuit, etiam sibi vindictā
 dimittere præcepit. Iuxta illud: Mihi vindictā
 & ego retribuam. Neque rarò accidit, iniuriam
 passum, grauiùs peccare illo, qui ex leui iracun-
 dia iniuriam intulit: vel quòd vindictæ appeti-
 tum velamento sui honoris velit obtegere, &
 mentitur, vel quòd proximum sui criminis au-
 thorem constituat. Nónne lex ait, cogitationes
 malas à corde peruerso egredi, ex quibus om-
 nifaria scelerum genera nascuntur? Nisi in cor-
 de ipsius iniuriati hominis appetitus vindictæ
 latuisset, per proximum iniuriatē ad malum
 excitari non potuisset. Verùm ad maledicta il-
 lius, fuisset aut lapidi aut ligno similis, quæ ma-
 ledicta non regerūt, quòd intra se peccatorum
 fomites non nutriant. Verùm cur de rebus in-

animatis exempli gratia loquuti sumus? cum
 pios homines ab oculos habeamus, qui iniu-
 rias iniuriis non compensarunt, contra illatas,
 patienter sustinuerunt, & iniuriantes suos, non
 minus q̄ antea dilexerunt. Exemplo sit Moyses
 à suis Israëlitis se modò impostorem, modò ho-
 micidam nominari audiuit: quibus non rema-
 ledixit, neque contumelias intulit, pro quibus
 Deum precatus est. Quia patiētiam seruauit, il-
 lorum peccato offensus non fuit. Itidem habes
 2. *Re. 16* de mansuetissimo Dauide. Fuit à Semei iniuria
 graui affectus dicēte illi: Tu vir sanguinum es.
 Quòd nō fuerit vindictæ cupidus, & omni cul-
 pa caruit, & domino placuit, neq; proximū ali-
 cuius criminis authorem falsò accusauit. Esto,
 proximus te iniurians, in legem Dei peccauit,
 an consequēs est, q̄ tu ab illo iniuriatus, Deum
 offendere debes? Omnis autem offendit, qui si-
 bi tribuit, quod Deus sibi reseruatū esse decla-
Deu. 32 rauit dicēs: Mihi vindictam & ego retribuam.
Rom. 12 Forsan dices: Quid ergo post susceptam à pro-
 ximo contumeliam me facere vis? Christi do-
Mat. 18 ctrinam serua dicentis: Corripe eum inter te &
 ipsum solū. Ad fraternæ correctionis documē-
 tum te præparans, caue ne in proximum iniu-
 riantem, ira, odio, appetitu vindictæ cōmouea-
 ris. Si animus tuus ut cūq; inferbuerit, & sese vl-
 cisci concupiuerit, ex intemperātia illius, diiu-
 dica

dica peccatorū sentinam, intra tui pectoris secretum latētem fuisse: à qua prodiit quòd leuissimam æquo ferre animo iniuriam nequueris. Forsitan tu tibi ipsi antea videbaris vir bene cōstans, modestus, patiens, benignus: nunc verò prospicias velim qualis es in cūspectu Dei, verè impatiens & vindictæ cupidus, qui tibi iniuriã inferri permisit, vt hoc modo in tui ipsi^o agnitionem deducaris. Et tibi præcepit, non solum vindictam non appetere, verùm & iniurias ex corde puro, & fide non ficta condonare: tãtùm abest vt velit te priuatim vlcisci. Vade ergo ad proximum te iniuria afficientem, vt legem Dei impleas, & ei bonũ pro malo repēdas. Iuxta illud: Benefacite his qui oderūt vos, & orate pro *Mat. 5.* calumniatoribus vestris. Qui sacras literas suis iuuerunt scriptis, præceptũ huius fraternæ dilectionis in duo diuiserūt officia: & vnũ esse in cōdonandis offensis, aliud in beneficiis in eos qui iniurias inferunt, cōferendis voluerunt: q̄ iniuriantes nos bifariã offendant, semel ex scādalo à suis moribus improbis enato. Quod Christus maximè vetuit dicēs: Væ homini per quẽ scandalũ venit. Et Paulus austerè illũ arguit qui esca *Luc. 17.* conscientia fratris lædit propter quẽ Christus *Rom. 4.* mortẽ subiit. Iternũ in fratrẽ peccat qui animũ illius iniuriis pulsat, atq; vanis sermonib⁹ ad iracundiã prouocat. Vtcũq; verbo aut opere in nos *1. Cor. 8.*

peccarit proximus, est amicè exortādus. In futurum cōtractam inter nos per Iesum Christū amicitiam non lædere, neq; pacis & cōcordiæ dissoluere, priùs quàm ad illum veniamus, diligenter introspicendum erit. Non eodem labore morbo, quem in eo curare venimus. Si nos eo infirmos esse nouerimus, Christi vocem audiamus & obseruemus, vnicuique nostrū dicentis: Hypocrita eiice trabem de oculo tuo, priùs quàm ad fratrem properes, vt festucam de oculo illius euellas. Sunt enim charitatis officia per nos decenti ordine exequenda. Exigit autem debitus ordo, quòd priùs nobis, quàm proximis bene velimus & bene faciamus. Quoniam si essemus nobis ipsis vtcūque crudeles & subausteri, quis nos iudicaret in proximos misericordes & pios? Pòst quàm verò vitium quo proximus laborat, à mentibus nostris euulsum fuerit, accedentes ad eum, rationem habeamus cuiuscūque honesti & decori, denique circumstantiarum, loci, temporis, rerum & personarum. Tandem in verba fraternæ correctionis irrumparamus, & quod iustū est, iustè exequamur. Neque enim (vt ita dicā) in conuiuio vini arguamus, aut in iocunditate sua deprehendamus, seu per modum improperii crimen illius multoties repetamus: & quæ solitarii nouimus solitariè illi referamus. Enimuerò

nimuerò qui illud quasi per vicos & platearum
 angulos promulgaret, seu nonnullis commu-
 nicaret, ampliùs non diceretur secreti criminis
 corrector, contrà haberetur fraternæ turpitu-
 dinis proditor seu reuelator. Itaque qui vera
 charitate in proximum ardet, non solùm ex
 prompto affectu mentis, verùm & celeri gressu
 corporis ad iniuriantem eat, vt ipse compa-
 tem animum illius prospiciens, sciat eum esse
 suæ salutis amantem & cupidum. Præstat ire,
 quàm aut literas, aut amicū mittere: cùm plus
 habeat latentis energiæ viua vox hominis: for-
 san illum qui te offendit reperies aliquo furo-
 re commotum, ira succéssum, vino ingurgita-
 tum, aut simili vitio soporatum, tanquam gra-
 ui somno sepultum: non exigit perfecta chari-
 tas, vt tu, qui ad eum quasi exhortandum ve-
 nisti, quicquam tum loquaris, quo tempore
 corrigi non poterit. Sed ad illum redeas, cùm
 animo fuerit tranquillo & imperturbato: & ei
 nuncia, quomodo in Deum & in te peccarit.
 Vt in se conuersus dicat: hic de me vindictam
 expetere optimo iure potuisset, qui non solùm
 ad me venit, verùm & humanissimè loquitur.
 Hoc facere nos docet Paulus dicēs: Si quis fra- *Gal. 6.*
 trum, aliquo præoccupatus delicto fuerit: vos
 qui spirituales estis, eum instruite. Qui enim *Jacob. 5.*
 fratrem à via veritatis errantem conuerti fe-

cerit scire debet quòd animam eius à morte li-
 berarit. Itaque qui fratri suo consultum iri cu-
 pit, priùs fiat in illum animo verè paccato, &
 corruptos mentis affectus exuat, quàm illum
 adeat: & tunc conueniat verbo maximè blan-
 do, & famam illius nullo aspergat dedecore,
 remotis arbitris res tota inter eos agatur, vt sic
 frater sui criminis grauitatem multò faciliùs
 comprehendat, ante oculos illius circumstan-
 tias aggrauantes ponat, eúmque de districto
 Dei iudicio aliquantulum terreat. Poterit hoc
 modo fratrem lucrari, & lucrum vtique maxi-
 mo erit commodo illi. Sanè perierat frater a-
 mantissimus, Christi sanguine redemptus, cu-
 ius animam à mortis periculo liberabit. Idcir-
 co dictum est: *Si te audierit lucratus es fratrem tuum.*
Si autem non audierit perire volens, ne tuo pereat
vitio, adhibe tecum vnum aut duos testes, vt in ore duo-
rum vel trium testium stet omne verbum. Christus
 nos id agere voluit, quod in curandis corpo-
 rum morbis expertus medicus obseruat. Quan-
 quam prospiciat inueteratum morbum suo
 priori medicamento rebellem esse, à suscepto
 curationis officio non abstinet: verùm acriori-
 bus vitur remediis, & tandiu, donec morbum
 expellat ex toto. Similiter pro eo quod frater sa-
 lutaribus monitis parere noluerit, de salute
 eius desperandum non erit. Verùm quo fuit
 inuerecundior,

inuerecūdiior & in suo errore pertinacior, eo erit efficaciori oratione vtēdū. Ideo testes adhibeātur, vt propter duorū aut triū præsentia erubescēs, à malè cœptis absteat. Dices, mihi nō videtur rationi consentaneum, occultum crimen fratris, testibus manifestū fieri: quoniam vera charitas crimen proximi non detegit, sed obtegit & celat. Rationem magis idoneam tibi assignare non possum, cur reuelandum sit, nisi Christum præcepisse: quò frater mediocri pudore confusus, sui criminis pæniteat. Id autem agere debes ex fonte charitatis, vt eum domino lucreris. Enimuerò si tibi notū esset, fratrem quem diligis, occultū habere vulnus, ex quo perire posset, physicos in arte similia curandi vlcera peritos conuocares, & illius secretum vulnus detegeres vt curam illius agerent. Cū autem pro tuenda corporis vita breui peritura id faceres, multò magis vt animam eius à morte æterna liberares faciendum erit. Neque illud reuelans mundi infamiam incurrere timeas, multò magis animam illius Deo perire caueas. Id tibi pro culpa imputari non poterit, quod perfecta charitas imperabit. Essetque timor iste omnium stultissimus, & vanè conceptus. Verū testes elige qui non nocere, sed magis prodesse possunt, qui de eius fama nihil detrahent aut reuelent, nisi contra eum via iu-

ris procedatur, ne habeatis fraterni criminis denunciator. Si autem frater inuentus fuerit naturæ tam intractabilis, vt præsentia testium corrigi nolit, ad extrema necessariò deueniendum erit remedia. Ideo *dic Ecclesiæ*. Mihi dices: Ex denunciatione facta criminum illorum qui coram testibus corrigi nolunt, sequeretur confusio omnium maxima, & huius confusio- nis author videretur Christus. Rursus cùm es- set ecclesiæ accusationis criminum plena, quis deuotè in ea Deum precari & sacramenta ad- ministrare aut suscipere posset? Vt tollatur ab- surditas eorum quæ commemorata sunt, & si- milium quæ adduci possent in medium, per Ecclesiam, ecclesiæ præsidem ex sententia an- tiquorum patrum intellige: cui crimen nun- ciandum est, vt via iuris contra eum procedat, & si contumax fuerit eum à consortio fide- lium expellat. Exemplo Pauli, eum expellen- tis, qui loco vxoris nouercam acceperat: quem sathanæ ad tempus tradidit, vt spiritus in die iu- dicii saluus fieret. Et mox Corinthiis ait: Scri- psi vobis ne commisceamini fornicariis ho- minibus, auaris, rapacibus, vel idolis seruenti- bus. Non enim est pars illis in regno Dei. Et rursus ibidem. Quisquis inter vos talis nomi- natur, non conuenit cum eo cibum sumere. Audientes homines fornicarios, rapaces, auar-

1. Cor. 5.

Ibidem.

ros, incorrigibiles, à consortio fidelium repellendos esse, atque repulso non alio habendos loco quàm habeantur æthnici homines aut publicani, quanquam tantum ex infirmitate carnis in legem peccarunt, multò etiam magis crimine hæreseos infecti expellantur, qui falsis dogmatibus simplices seducunt ac corrumpunt. Quos vitare nos hortatur Diuus Ioannes dicens: Si quis hanc fidei doctrinam vobis non adfert, nolite eum in domum vestram recipere: neque ei aue dicatis. Et beatus Paulus Tito dicebat: Hæreticum hominem deuota, sciens quòd subuersus est. Amantissimi, si singulari diligentia toxicum sorbere, aut noxios gustare cibos cauemus, ne corporibus nostris in puluerem & humum vilem breui resoluendis noceat, eadem solertia, vel alia multò maiori, hæreticorum consortia vitemus: ne suo veneno planè lethifero nos corrumpant. Sed sint nobis tanquam æthnici homines & publicani: pro quorum salute Deum precari non cessemus, vt dignetur eos in viam veritatis reducere. Gentiles enim & paganos inter fratres non deputamus, & pro salute eorum oramus. Quod multis actum est, de fraterna correctione paucis accipe. Est frater singulariter & seorsum monendus, & sermone blando à culpa reuocandus. Si verò pia

2. Ioã. i.

Tit. 3.

contempserit monita, sunt testes adhibendi, ut in ore eorum constans sit omne quod actum est. Si rursus contumax fuerit, crimen eius ecclesiæ præposito nunciandum erit. Prima exhortatio est amoris, secunda pudoris, tertia iudicialis. Cur tot inveniuntur pessimè viuentes nisi quòd pauci sunt huius præcepti obseruatores. His adde, quòd ecclesiæ præpositi & plebis magistratus parum curant crimina eis nunciata punire. Ipsi in manus Domini timeant incidere, dicentis. eadem pœna ple-

Sap. 11.

Rom. 1.

ctendos esse qui mala faciunt, & qui facientibus consentiunt: Quod enim ex debito officij eis non resistent, per taciturnitatem scrupulo, siue suspitione occultæ societatis non carent. Sicut istud præceptum non est pro omni parte temporis obligatorium, ita ex incidentibus causis, ab illius obseruantia aliquoties liberamur. Exempli gratia loquamur de illis, qui exhortatoria fraternæ correctionis verba non contemnunt modò, sed ex illis sua in peius corda indurescunt Correctores suos, odio & iniuriis percellunt, eisq; flagella & mortes minantur. Eos monere esset frustrà niti, & nihil aliud quàm odium quærere. Ideo consilium Sapiētis

Prov. 9.

obseruemus dicentis: Noli arguere derisorem, ne te oderit. Homo timoratus qui Christū verè sapit, suum monitorem libenter audit, dicēs in

corde

corde suo: si me immeritò obiurgarit, saltè mihi prodesse voluit. Quod nihil est periculosius, quàm nolle benignum monitorem audire ait Sapiens, Viro qui se corripientem dura ceruice *Prou. 29* contemnit, repètinus superueniet interitus. Et alibi testatur, quòd melior est manifesta corre- *Prou. 27* ctio, quàm amor absconditus. Sicut meliora sunt *Ibidem.* vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis. Qui enim proximū iustè corrigit, gratiam apud eum tandem inueniet, multò meliorem illo, qui per linguæ blandimenta illū decipit. Multa etiam occurrunt, ex quibus triplex gradus fraternæ correctionis intermittendus erit. Illi exemplo sint, qui totum orbē in prælia & seditiones secretè commouēt, seu fidem nostræ religionis perturbant, vel urbem hostibus prodere volunt. Si monerētur, ausus nepharios audacter denegarent, & pro tēpore eas absconderent & nequiter excogitata tandem perficerent. Ideo quàm primum excogitata fraus illorum detecta erit, palàm puniendi sunt. Vt ex doctrina beati Pauli, timorem cæteri habeant. *1. Tim. 5* Ideo magistratus officia gerunt, vt sint malorum ultores, & contra sceleratos homines suos acuunt gladios. Iuxta illud Pauli: Dei enim ministri sunt, vindices in irā ei qui malè agit. *Rom. 13.* Iterū à seruandis gradibus fraternæ dilectionis eximuntur patres familiās, & iuuenum præcepto-

res. Quid enim in istis leuioribus, aut filiorum, aut discipulorum reprehensione testes vocare aliud esset, quàm patrefamilias reddere segnes, & ab officio correctionis reuocare? Tatum voluit Christus nos ea obseruare, quæ sub veteri lege adumbrata fuerunt. Videns enim Deus populum Israël sua iussa aspernari, illum correctione interna, blandè lenitèrque monuit legis præcepta seruare. Multò apertius per sapientes & prophetas arguit: tandem per filium legis violatæ obiurgauit. Sicut ipse veniã postulantibus peccata dimisit, similiter & nos fratribus ex animo ea condonemus, quæ in nos peccauerunt: & peccata illorum præsidi nunciemus, qui coram testibus corrigi noluerunt. Ne quis ecclesiæ præsidem cõtemnens, in corde suo diceret: Cùm fratres Iesu Christi sint quotquot ipse redemit, cur ergo vnus alium iudicabit? Si talis me suo cõdemnarit iudicio, illum ego mea dånabo sentètia. Iurisdictio quam in me vsurpat, est verè imbecillis, tantùm abest quòd in specie externà eam habeat maiestatem, qua secularis vtitur, vt nemini extremum imponere supplicium possit. Audiat ipse temerarius ecclesiasticæ iurisdictionis cõtempтор, quod Christus discipulis ait: *Amen dico vobis, quacũque ligaueritis super terram, erunt ligata & in celo: & quacũque solueritis super terram, erunt soluta & in celo.* Consequens

quens est penes Deum stabile & firmum esse, quicquid ecclesiæ præsidet statuunt: modò in nomine eius congregati sint, & in vnum consentiant. Caueant autem ipsi, eos velle à fideiũ consortio semouere, qui nõ rarò sunt Deo proximiores ipsis. Et recordetur eum iniusta illorum dirumpere vincula, qui omnia sibi licere pro animi arbitrio putat: & multò magis merentur foras expelli, quàm hi, quos expellunt. Veruntamen quamdiu in officio tolerantur, censura excommunicationis eorum, siue iusta siue iniusta timeatur: excõmunicatúsq; ab iis, à fideiũ consortio tamdiu abstineat, donec partim satisfecerit, & absolutionis beneficiũ impetret. Instãter postulandũ: inde fiet, quòd excommunicatio aduersus eum fortassis iniustè lata, vertetur in meritum, quæ ex contemptu fieri posset mortale peccatum. Contumacia illius purgata, qua auctoritate à fideiũ consortio fuerat semotus, eadem restituetur. Dicente scriptura: Et quæcúnq; solueritis super terrã, soluta erunt & in cœlo. Cum quo longè humanius agatur, quàm si humanas leges transgressus fuisset. Quoniam illi semper reliquũ fuit vndè conualecat, & in pristinum salutis gradum assurgat. Sũt imprimis à fideiũ consortio submo- uendi, qui singulari temeritate abusi, nouas sectas inter Christianos introducunt, peregrina

Mat. 18.

quoq; dogmata inuehūt, quibus simplices animas inescant & seducunt. Dicere soliti prouinciae ecclesiasticae praesidem, ius non habere eos excommunicandi, & à consortio fidelium expellēdi, quos Apostolis vniuersitatem ecclesiae representantibus cōcessum fuit. Errorem illorum prēuidens benignissimus Iesus, & illū corrigere volens, sequentia praecedentibus prudētissimè connexuit. *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcūq; petierint, fiet illis à patre meo, qui in caelis est.* Ac si planiūs diceret, in iudicandis rebus minimis, opus non esse totum vniuersalis ecclesiae corpus congregari, sed sufficere duos aut tres, inuicem consentire. De his loquor, quibus potestas ordinariae iurisdictionis collata est. Ipsi de communi salute fratrum tractaturi, conuenientes Dei gratiam implorare debent, vt Christus in medio eorum, tanquā praeses adstare dignetur quo iustè iudicēt. Aliud aduertamus, scilicet vocabulum consensionis trifariam in sacris literis diuisum esse. Prima cōsensionis diuisio, est naturae tum hominibus, tū brutis animantibus communis, & quaeq; sunt eiusdem generis, nexu arctissimo colligat, vt se mutuò diligant, & vnum habeant quē sequentur. Qui nexus sine violenta morte in eis non soluitur. Istud in apibus cernere licet, quae vnū ducem communi cōcordia eligunt, quem miro ordine

ro ordine seruato comitentur. Grues quoq; cō-
 sensu mutuo aliquam primas tenentem præfe-
 runt. Vt paucis absoluam, in omni genere ani-
 mantium, quædã genuina consensio reperitur,
 naturas illorum conseruans, & illis aduersantia
 quasi venenum refugiēs. Quòd ista ad rationē
 boni aut mali operis nihil pertineat, non est
 profusiùs explicanda. Ad aliam veniamus, quæ
 illos in vnum pessimè conuenientes respicit.
 Quos Apostolus arguit dicens: Audio dissidia *1. Cor. 11*
 in vobis esse, & aliqua ex parte credo. Nempe
 Corinthij in ecclesiã conueniebant: sed in dan-
 dis animorum suffragiis mutuò dissidebãt. Hic
 vnum, ille alium instituere modum super sacra
 eucharistia volebant. Vndè inter eos quædam
 conuenticula ad lites & dissidia fiebant. Proh
 dolor! pessima consensio illorum nondum so-
 pita est. Inter ecclesiæ parietes multi conue-
 niunt, sed diuersa sentiunt: sua quoq; dogma-
 ta, qua possunt maiori pertinacia, lenociniis
 verbornm stabilire cupiunt. Quantam malorū
 ingluuiem cōsensio eorum nobis intulit, mul-
 tis probare exemplis non oportet. Experientia
 enim rerum magistra satis comprobatur, cum
 maximo Ecclesiæ militantis damno. Nam est
 status vniuersalis ecclesiæ falsissimis opinionibus
 eorum, totus fermè perturbatus. Horum e-
 nim meminit Apostolus: Vos rogo fratres, vt *Rom. 16*

FERIA IIII.

eos fugiatis, qui dissensiones & offendicula
 præter doctrinam quam didicistis ponunt: &
 declinate ab eis. Huiusmodi enim Christo do-
 mino non seruiunt, sed suo ventri. Tales cœ-
 tus, talia quoque conuenticula odit dominus,
Esa. 1. per os Esaiæ dicens: Iniqui sunt cœtus vestri.
 Iniquitas eorum deprehenditur, quòd in no-
 mine benignissimi Iesu non conueniunt. Ipse
 enim est amator pacis, stans in medio eorum
 qui pacem quærunt. Contrà mutuò dissentiuñt:
 quotquot sunt eorum prouinciæ, totidem opi-
 niones diuersæ. Quos tamen Apostolus ad pa-
 cificum conuictum hortatur dicens: Hortor
1. Cor. 1. vos fratres, per nomen domini nostri Iesu Chri-
 sti, vt id ipsum dicatis omnes, & non sint in vo-
 bis schismata. Sitis autem perfecti, in eodem
 sensu & sententia. Tertia consensio illos respi-
 cit, qui in nomine Christi conuenientes vnum
 sapiunt, vnum loquuntur: solliciti per omnia
 seruare (vt ait Apostolus) vnitatem in vinculo
E ph. 4. pacis. Quæ est causa potior, cur eis fiet quic-
 quid à patre petierint, nisi quòd Christus as-
 sistens in medio eorum, ea approbabit quæ sta-
 tuent? Et rectè quidem dicitur inter eos me-
 dium tenere: cùm sit Dei & hominum media-
 tor Qui de virgine natus, inter duo animalia
 medius reponi voluit: & cùm esset annorum
Luc. 2. duodecim, per matrem in medio doctorum
 inuenitur

inuenitur disputans cum illis in templo, & le- *Ibidem.*
 gem exponens. Ad Iordanis ripas veniens, à
 Ioanne baptizandus, inter turbas populares *Ioan. 1.*
 medius stetit. Tempore passionis, inter duos *Ioã. 29.*
 latrones medius pependit. Resurgens à mor- *Luc. 24.*
 tuis in medio discipulorum adstitit: & ad iudi-
 cium veniens medium tenebit, habēs à dextris
 oues, & hœdos à sinistris. Christus ex præsum- *Mat. 25*
 ptis subinferre voluit, non decere in rebus mi-
 nimis, totum ecclesiæ corpus congregare, cum
 Christus suam interponat præsentiam, vbi duo *Mat. 18.*
 vel tres in nomine eius congregantur, vota eo-
 rum approbans. Ratione multò efficaciori di-
 cendum est eum decreta conciliorum genera-
 liũ approbare & corroborare, in quibus plures
 ad sui nominis gloriam, & proximorum ædi-
 ficationem conueniunt. Quod Christus in ex-
 ordio euangelij Petrum respexerat, credidit Pe-
 trus sua interesse sciscitari ab eo, si contingat
 fratrem in eum peccare, quoties illi indulgere
 debeat. Itaque accedens Petrus ad eum dixit:
Domine quoties peccauerit in me frater meus & di-
mittam ei? vsq; septies? Dixit illi Iesus: Non dico tibi
vsque septies, sed vsque septuagesies. septies. Scrupu-
 lum speciale ex eo fecerat Petrus, quòd Chri-
 stus eum monuerat semel & iterum fratrem ex-
 hortari, & si contumax esset, crimen illius ec-
 clesiæ iudici nunciare. Ideo penes seipsum ait:

Si frater secretò monitus, aut in præsentia testiũ
 vitæ emendationem promiserit, veruntamen
 in priora multoties delicta relapsus fuerit, an il-
 li semper indulgendum erit, & nihil ecclesiæ
 præsidii nunciandum? Numerus septenarius il-
 li in mentem venit. Quod in Genesi de Cain
Gene. 4. legitur septies cui Christus aliud quod in eo-
 dem capite de Lhameth habetur respondit, sci-
 licet: septuagesies septies. Crediderat Petrus se
 ultra æquitatis mensuram aliquid dixisse: sci-
 licet vsque septies indulgendum esse, sed Chri-
 stus hominum amator, numerum indulgẽtia-
 rum vsque ad septuagesies septies auxit. Ne ne-
 sciremuseũ in misericordia & miserationibus
 copiosissimum esse. Qui non vult nos tantũ
 proximis peccata donare vsque ad septuagesies
 septies, verũ quoties benignè veniam postu-
 labunt. Iuxta doctrinam Apostoli dicẽtis: Do-
 nantes inuicem vobismetipsis, si quis aduersus
Colof. 3. aliquem habet quærelam. Sicut Deus in Chri-
 sto omnia nobis donauit, pro indubitato te-
 nemus, quando in mũdum venit, millium mil-
 lia peccatorum inuenisse: quæ omnia donauit.
Ezec. 18 Qui per prophetam dixerat: Quacũque hora
 ingemuerit peccator, peccatorum illius nõ re-
 cordabor: Itaq; scientes Deũ nobis indulgentiã
 toties daturum, quoties illi deuotè supplicaue-
 rimus: nos pariter proximis indulgeamus. Nisi
 charitas

charitas peccata illis nondum relaxare suaserit, ne facilitas veniē, peccantibus occasionem maiora committēdi præster. Tunc enim quoniam vitiis frena laxaremus, iniustè misericordes essemus. Quod fuerit crimen Cain ex circumstantiis septies graue, primùm munera Deo ex pe- *Gene. 4.*
 simis obtulit: rursus fratrem seduxit atque occidit. Interrogatus à domino: vbi est frater tuus? mentitus est dicens nescio. Et se non esse fratris sui custodem deputatum respondit. Veruntamen si tanti criminis verè pœnituisset, indulgentiam reportasset: sed desperans ait: Maior est iniquitas mea, quàm vt veniã merear, & Deo diffidens periit. Amantissimi, de diuina commiseratione Dei non desperemus, quotquot enim in eum sperant pœnitentiam agentes salui fient.

*Homelia feriæ quarta, post tertiam dominicam
 quadragesimæ. Matth. 13.*



Accesserunt ad Iesum Scribæ & Pharisei dicentes: Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? Omnes fermè Pharisei, & Scribæ erant inanis gloriæ cupidi: sed omnium maximè Hierosolymitani, quòd variis ex locis sacre scripturæ colligitur. Audierant Christum in Galilæa plurima ædidisse miracula, & tactu simbriæ vesti-

menti ipsius salutem mulieri fluxu menſtruoſi humoris annos quatuordecim laboranti contuliſſe. Quod eſſent gloriae illius inuidi, qui ad Ioannem ſacerdotes & leuitas miſerant quære- re ab eo: Tu quis es? aliquem eorum ad Chri- ſtum non miſerunt: ſed omnes vnà ex magna animi malitia, nulli fanè credenda acceſſerunt, vt eum in ſermone caperent, quærentes cur di- ſcipuli eius traditiones ſeniorum non ſeruarēt. Mihi non videntur de illis ſenioribus antiquis loqui, quos Moyses ad vocem domini inſti- tuit, dicentis: Congregate mihi ſeptuaginta vi- ros de ſenioribus Iſraël, quoruſtu propè noſti vir- tutibus illuſtres, vt penes eos conſtet tota re- rum communium ſumma, & omnis contro- uerſiarum decifio. Qui etiam dicebantur Iudi- ces ordinarij, ad quos Hieroſolymis reſidentes populus, in omnibus querelis confugiebat. Quoniam non legimus ipſos aliquid in iſtis ſtauiſſe, quare iſtud ad alios referam⁹, in ſedes eorum ſubrogatos, qui plurima ſtauerunt eſſe Moſaicae legis & prophetarum declaratoria: & quædam ſeruare iuſſerunt cuiuſdam honeſti decoris rationem habentia. Quale eſt, panem ſuum illotiſ manibus non manducare. Chri- ſtus autem diſcipulos docuerat vtiliora rebus parum neceſſariis præferre. Fuerant quibuſ- dam ſerioſis longè intenti & diu conuerſati: vndè

Nume.
II.

vndè panem suum sumpturi, fuerant huius hu-
 manæ constitutionis obliti. Quam Scribæ &
 Pharisæi ad vnguem seruabant. Testatur enim
 Marcus quòd reuersi à foro, panem suum non
 manducabant, nisi prius toti baptizarentur. Et *Mar. 7*
 alibi: quòd manus suas crebrò lauabant. Ad cu-
 ius obseruantiam, omnes obligatos esse dice-
 bant, ex sententia Esaiæ dicentis: Lauamini
 mundi estote. Qui de internis animæ sordibus *Esa. 1.*
 purgandis loquutus fuerat, vt sequentia nos
 docent. Sequitur enim. Auferte malum cogi-
 tationum vestrarum, & quiescite peruersè age-
 re. Ipsi videntes Christi discipulos panem suum
 illotis manibus manducasse, ad Christum acces-
 serunt quærentes, cur traditiones seniorum nõ
 obseruassent, cum essent populi iudices consti-
 tuti, & omnia in manus haberent. Longè pru-
 dentiùs egissent, si illos de re leuiuscula non ac-
 cusassent, neq; totas animi vires, ad ignauium
 pugnas quæstionum expendissent. Dicente A-
 postolo ad Titum: Stultas quæstiones, conten- *Tit. 3.*
 tiones & legis pugnas deuira: sunt enim vanæ
 & inutiles. Et idem ad Timotheum: Ineptas &
 aniles quæstiones deuira: exerce autem te ipsum *2. Timo*
 ad pietatem. Ipsi lautas aqua manus habentes, *2.*
 conscientias gestabant animi luore pollutas.
 Nihil ergo illis profuit toto corpore baptizari,
 & suam candidare carnem, quòd aqua verè pu-
 rificatio-

rificationis à latere Christi egressa criminum maculas purgare neglexerint. Audiuit Iesus querimoniam illorum, & respondit: *Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* Ipse zelo veracis iustitiæ commotus: quasi clauum clauo expulit, quæstionem eorum verè calumniosam, alia quæstione omnium iustissima reiecit: atque discipulos ab illis immeritò crimi-
Psal. 71. natos, à calumnia eorum liberauit. Denique illum qui vice omnium quæstionem proposuerat confusum reddidit: vt im-
 pleretur scriptura dicens: Iudicabit dominus pauperes populi, & humiliabit calumniatorem. Veruntamen discipulos ab omni culpa non liberauit, quos aliàs monuerat cōstitutiones humanas rationem honesti & decori habentes seruare. Verùm Dei præcepta, his omnibus præferenda sunt, quæ Pharisei & scribæ posthabuerant. Vnde illos tacitè redarguit dicens, non decere circa minima proximorum errata multùm versari, & sollicitos esse. Qui alia longè grauiora committunt, quæsiuissent ab eo quale est Dei mandatum quod commemoras per nos transgressum: Sed interrogata illorum præuenit dicens: *Nam Deus dixit: Honora patrem & matrem. Qui malè dixerit patri vel Deut. 5, matri morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicumque Eccle. 5, dixerit patri vel matri, munus quodcūque est ex me tibi.*

tibi proderit, & non honorificabit patrem suum aut matrem suam: & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram. Quando Deus Mosi tabulas legis in monte Sinay dedit, non solum filiis honorare parentes præcepit: sed huius præcepti neglectores punire iussit, & abundè servantibus se mercedem daturum spondit. Cuius obseruantia, non tantum in reuerentiæ obsequio corporis consistit, quantum in rebus necessariis parentibus opportuno tempore ministrandis. Quod ex sententia Apostoli colligitur dicentis: Presbyteros duplici honore dignos qui piè viuunt, & presbyteratus officium sollicitè administrant. Vbi venerationis obsequium duo in se includit: & debitum honorem, & opportunum pro vita corporis subsidium. Cum autem nemo sit, cui filius tantum debeat quantum patri, qui illum genuit, & teneris sub annis aluit: nemini dubium est quin filius vtrunque subsidium patri administrare debeat. Fuerant autem filij per Scribas & Phariseos peruersè eruditi, parentibus necessitatem patientibus victum denegare, eo qui sequitur prætextu. Quos Christus arguit. Illis enim in necessitate constitutis filius dicebat: Quicquid habeo bonorum Deo patri supremo parenti, & omnium dignissimo dicatum est. Vndè ad humanos vsus conuerti

1. Tim. 5

non potest. Qui enim conuertunt sacrilegij rei sunt. Itaque desiste pie parens mihi molestus esse, vt partem bonorum meorum pro vrbibus tuis tribuam: quòd omnia Deo consecrarim. . Quò fueris in præsentem seculo calamitosior, cum bona animi patientia, eò maiori mercede in cœlis donaberis. Hæc audiens pauper parens & mendicus mallebat cum graui molestia præsentem agere vitam, quàm de bonis Deo consecratis, velle aliquid in suos vsus conuersum iri. Hæc est malitia Scribarum & Phariseorum, velamento pietatis adumbrata, & filiis persuasa vt parentibus iura naturæ denegarent à quibus omnia, denique corpus ipsum habuerant. Quibus senectute misera deficientibus, ea denegabantur: & tota rei domesticæ substantia ad ipsos hypocritas tandem accrescebat, quos filij multis muneribus cumulabant. O technas, ab hominibus christianis maximè fugiendas! O abominandam & verè detestandam simulate pietatis imaginem! Quid nequius audiri potest, quàm quæstus gratiâ dogma fuisse ab illis tam peruersè excogitatum? Imprimis peccatum erat, populum legis sarcina satis oneratum, nouis onerare statutis, quæ crimen impietatis nullatenus ferendæ includebant, & diuinæ legi aduersabantur. Ex quo Deus fuit dupliciter

dupliciter offensus. Primùm quòd falso prætex-
 tu scilicet sub bonis suo honori consecratis, de-
 bitus honor parentibus pauperrimis denegaba-
 tur. Item quòd bona ab illis subtracta in luxus
 varios consumebantur: ex quibus filij multò li-
 centiùs vitia carnis enutriebant. Ideo Christus
 illos multùm austerè arguit dicens. *Vos autem
 mandatum Dei irritum fecistis propter traditionem ve-
 stram.* Filii honorem parentibus debitum sub-
 trahentes, ex lege erant pœna mortis plectendi.
 Et eadem statuit, Agentes & consentientes, si *Rom. I.*
 mili pœna afficiendos. Cùm verò essent eius-
 dem maleficii vel authores vel consules mor-
 tem emeriti erant. Quibus Christus ait: Cur
 discipulos meos pro re minima criminamini,
 qui eo impudētia euasistis, vt velitis vestra fig-
 menta malitiosè excogitata, diuinis antepo-
 nere iusis per quæ diuitias filiorum piis paren-
 tibus debitas non tam comeditis, quàm deuo-
 ratis. Hęc omnes respiciunt, qui humana diui-
 nis præponunt, & populum nouis grauant sta-
 tutis. Vtriùsque status hominum exempla refe-
 ramus, & de his primùm loquamur qui res sa-
 cras tractant. Est sacerdos qui mortem citius
 incurrere vellet; quàm domino sacrificium lau-
 dis offerre, nisi calicem haberet consuetis be-
 nedictionibus consecratum. Denique nisi ef-
 fet ipse sacerdotalibus indumentis decēter or-

natus. Et ex eo consciētiam non format, quòd ex proximę noctis crapula infirmus aut vino ingurgitatus, ad sacram altaris mensam accersit. Si forsan ex ea parte manus, quæ sacro attacta oleo non fuit, contingat eum dominicum corpus tangere, totus contremiscit, neque maiori religione qua potest animum purgat antè quàm ad sacrati corporis Christi sacramentum accedat, ne iudicium æternæ damnationis incurrat, non diiudicans corpus Christi. Eum non latet piaculum grande ab illo committi, qui sacra prophanis immiscet. Ex consequenti non ignorat crimen committi multò grauius ab illo qui corpus suum, quod est sancti spiritus templum adulterio sordidat. Ad seculi homines veniamus. Nouerunt dies festos Deo consecratos, & in illis ab omnibus officiis secularibus abstinendum esse. Cùm autem sacerdotis sacrificio interfuerint, toto diei residuo pila ludunt, vel otiose viuunt. Sonitum companæ audiunt ad sacram euāgelii concionem eos conuocantis, quam adire dedignantur: & si pro comperto habeant, totum festi diē domino dicatum, sciuntq; scriptum esse hominem non solo pane nutriendū: neq; minus ex verbo ab ore Dei procedere. Occurrente festo Paschali indumentis suis melioribus vestiuntur. A domibus egressuri, ora & facies mundāt,

ne

Matt. 4.

Luc. 4.

ne ad salutaris hostiæ sacramētum indignè accedant: & animas variis peccatorum monstris pollutas decenter mundare parum curant. Hęc tamen sunt imprimis agenda. Sicut Dei præcepta humanis constitutionibus præferenda. Eos omnes cum Scribis & Phariseis Christus increpat dicens: *Mandatum Dei irritum fecistis, propter traditiones vestras.* Fateamur humanis traditionibus in multis deferendum esse, sed nunquam credamus, eas diuinis præceptis anteponeudas. Quinimo toties abrogadæ sunt, quoties honor vel Deo vel parentibus debitus subtrahitur: vel ecclesiasticus ordo conturbatur, & sub nomine libertatis, petulãtia carnis ad malum irritatur. Contrã si per illas honor Dei conseruetur, obseruandæ sunt: qui illas contemnerent, hypocritis similes essent. De quibus sequitur: *Hypocrita, bene prophetauit de vobis Esaias dicens: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me. Sine causa colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.* Quid fuit dicere, Sine causa colunt me docentes doctrinas & mandata hominum, nisi qui humanas constitutiones diuinis anteponeere præceptis volunt à fundamēto fidei cadūt? quoniam magis hominibus quàm Deo placere cupiūt? Quandiu ecclesiæ præpositi quædam populo iubent, & in officio tolerantur obseruanda sunt. Dicēte de illis scriptu-

- Mat. 23* ra: Quæcûq; dicunt facite. Inquit enim Apostolus: Omnis anima potestatibus sublimioribus sit subdita. Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Et iterum: Obedite præpositis vestris, etiam discolis. Multa enim statuunt quibus caro aduersatur. Exemplo sunt ieiunia & longissimæ preces. Hæc & similia statuere possunt ecclesiæ præpositi, cum sedeant super cathedram Moïsis. Iuxta vocem Christi dicentis:
- Mat. 11.* Quæcûq; ligauerint super terram, erunt ligata & in cœlis. Ideo mandata eorum seruemus. Si nobis liceret ecclesiæ constitutiones de quadragesimali ieiunio & feriis sacris abrogare, q̄ in euangelio expressè id est, determinato tempore non habeantur pariter & conciliorum legitimè congregatorum quæ multa statuerunt verè salubria. Hodie tamen per crucis Christi inimicos & humanarum constitutionum contemptores derisa. Exempli gratia aliqua referamus: Statuit sancta synodus, septies in die domino laudum cantica offerre. Quod à propheta
- Psa. 118.* Dauidè obseruatum fuerat dicere: Septies in die laudem dixi tibi, super iudicia iustitiæ tuæ.
- Prou. 10* Quòd uerba scripserit sapiens: In multiloquio non
- Iacob. 1.* deesse peccatum. Et ait Iacobus: Qui uerbo nõ offendit perfectus est: approbavit quòd solitariè uiuentes silentium certis horis obseruant. Hæc enim & similia multò magis creduntur diuinitus

uinitus inspirata, quam humanitus excogitata. Verum obseruanda tam strictè non sunt, quam Dei mandata nos cõstringunt. Quare meo quidem iudicio non rectè sentiunt credentes cœnobitam ex fragili natura tempore silentij eloquutum, aut ex animi inconstantia vtraq; genua non flexisse, vel caput non inclinasse, tali supplicio esse dignum, quale sustinebit, qui fratrem ex liuore animi aut maleuolentia persecutus fuerit. Vt pacificè viuamus vitæ & moribus eorum conformes simus inter quos vitam agimus, & antiquorum patrum traditiones obseruemus. Qui enim illas contemnunt, sine causa Deum colunt: quoniam in vno deficientes alia perdunt. Dicente scriptura: Qui in vno defecerit factus est omnium reus. Deum labijs honorant qui longissimas preces ei offerunt, sed in vanū laborant, corda habentes ab eo elongata. Non dico locorum distantia, sed morum dissimilitudine. Sicut per vanas cogitationes ab eo elongantur, etiam preces eorum non exaudit. Iuxta illud psalmistæ: Ab impiis longè est dominus. Vnum in ore proferunt in laudem illius dicentes, quod per Iudæos dictum fuit: Tu verax es, viam Dei in veritate doces: nõ est tibi cura de aliquo, ad personas hominum non respicis. Cogitantes vanè ea quæ sunt carnis & mudi, à Deo exaudiri non possunt. Quanquã tem-

Iacob. 2.

Psal. 118.

Mat. 22.

Mar. 12.

plum altissimis implent vocibus, quoniã Deo displicent corda habentes vitiorum plena, nisi ab eo elongari timeant, Dauidis doctrinã seruent dicentis: Cãtate domino in timore, & exultate ei cum tremore. Et iterũ: Psallite nomini eius, & in cordibus vestris compungimini. Quod dictum est eos sine causa Deum colere, aduertamus Dei cultum esse bifariam diuisum: internum ex fide fundatũ spe & charitate, per quem Deo iungimur, & patrem in spiritu & veritate colimus: externum, per genuum flexionem, manuum extensionem, oculorum ad cœlos eleuationem, operum misericordiã largitatem manifestum. Quandiu ipse formam ab interno habebit, illique iunctus erit, dici sanctus merebitur piãq; seruitus, Deo gratissima. Si verò fuerit ab illo semotus, omnino vanus, & inutilis instar hypocritarũ, qui sine causa Deum colũt. His omnibus aderat popularis turba passim dispersa, in cordibus suis hæsitans an benignissimi Iesu discipuli peccassent, panẽ suum illotis manibus manducantes. Eam Christus ad se aduocauit. Ideo aptissimè sequitur: *Conuocatis autem turbis dixit Iesus: Audite & intelligite. Non quod intrat in os coinquinat hominem. Quod hæc scrupulo non careant voluit Christus non solum audienda esse aurium auditu, verum etiã intelligenda pio mentis affectu. Ut intellecta*
mentibus

mentibus nostris firmiùs hæreant, referamus
 quæ huius sententiæ impugnatores dicere solēt.
 Aiunt enim: Cùm ea quæ in ora hominum in-
 trant eos non maculât, non debuisse generalia
 ecclesiæ concilia vsum carnis tempore quadra-
 gesimæ interdixisse. Neq; Apostolos in Syno-
 do Hierosolymis congregata vesci idolothytis *Act. 15.*
 prohibuisse. Sciētes idolum nihil esse: & Deum
 omnes cibos ad vsus hominum creasse. Aliã eis
 proponamus quæstionem, huius prioris deriso-
 riam, scilicet Deum vidisse cuncta quæ creau-
 rat esse bona. Nihilominus primo parenti in
 paradysum voluptatis introducto interdixisse *Gene. 2.*
 esum ligni scientiæ boni & mali. Quòd ipse in-
 terdictum non seruarit duplici morte, corporis
 & animæ interiit. Vidēsne Deum voluisse pri-
 mum parentem per abstinētiæ virtutem beati-
 tudinis gradum mereri? Cur mater Ecclesia, il-
 lius exemplo informata, vsus carniū certo tē-
 pore interdiceret, vel quid aliud præcipere non
 poterit, circa obseruantiam ieiunij quadregesi-
 malis? Multi multa loquuntur, quæ rectæ con-
 siderationis iudicio carēt, ad dextrum latus aut
 sinistrum nimis flectentes. Vt cūq; errāt. Qui
 si proximum viderint graui morbo laborantē,
 ex permissione ecclesiæ, & medici bonæ con-
 scientiæ Deūmq; timentis consilio, oua come-
 dere, vesciq; carnibus iuxta morbi conditionē,

non minus scādalizātur, quā si ex eo tota reli-
 gio nostra periret. Aliud verò prospiciunt pari-
 ter reprehensibile, quod patienter tolerāt. Sci-
 licet homines corpore robustos, & tota die o-
 tiosos, cœnam facere non dissimilem illi, quam
 post Pascha (vbi nulla præscribitur ieiunij ob-
 seruatio) celebrarent. Neq; (vt dictum est) scan-
 dalizantur: sed dicunt consuetudinarium esse.
 Qui proximū vescentem carnibus & ovis pro-
 pter debile stomachum irreligiosum iudicant,
 saltem gulosos homines arguere deberēt, quòd
 corporis ingluuiē ecclesiæ decreto antepōnāt.
 Scio hæc & similia non esse per se ac suapte na-
 tura impia, sed ex prohibitione & incidentibus
 causis mala. Et quemadmodū sub lege Mosis,
 Iudæi carnes suillas māducantes in legem pec-
 cassent, & pœnam legis incurrissent: similiter
 qui legitimam ieiunij quadragesimalis obseruā-
 tiam moribus populi approbatam non seruāt,
 Dei offensam incurrunt, & per ecclesiæ mini-
 stros, vel populi magistratus, pœna mulctandi
 sunt, quæ aliis timorē incutiat. Deus enim ne-
 glectu humanæ cōstitutionis per illos offendi-
 tur: quæ tum ad sui nominis gloriam, tum vt pa-
 cificè viuamus, & carnis desyderia mortifice-
 mus instituta fuit. Vult etiam nos parère illis
 Luc. 10. quos sup capita nostra posuit. Quibus ait: Qui
 vos spernit me spernit, atque eum qui me misit.
 Auditum

Auditum est Scribas & Phariseos ad Christum accessisse animo verè fucato, nunc audimus ad eum discipulos venisse animo verè simplici & benigno. *Et dixerunt ei: Scis quia Pharisei audito hoc verbo scandalizati sunt? At ille respondens ait: Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cœlestis eradicabitur. Metuerunt sanè discipuli eius & trepidauerunt timorè vbi non erat timor. Scilicet ne assistentes scandalizaret, qui nihil vnquam gessit aut loquutus est occasionè ruinæ proximis subministrans. Tametsi gens Iudæa ab operibus eius frequens scandalum sua peruersitate accepit. Quod præuidens Esaias, eum lapidem offensionis & petram scādali nominavit. Iustus quoque Symeon vir timoratus expectans redemptionem Israël de eo prophetauit: Hic positus est in ruinam multorum. Ne sua doctrina scandalizarentur, eos multoties monuerat suis operibus credere, dicēs: Si mihi nō creditis, saltem operibus credite. Quod eos incorrigibiles viderit discipulis ait: Sinite eos: omnis enim plantatio quam non plātauit pater meus cœlestis eradicabitur. Doctrinas & mandata hominum plantauerāt, id est humanis traditionibus ineptissimis populum seduxerant. Quæ diu subsistere non potuerunt. Quod tamen in cathedra Moſis sederent in officio regiminis tolerādos esse declarauit. Et sequitur:*

*Esa. 8.**1. Pet. 2.**Luc. 2.*

Sinite eos, cæci sunt, & duces cacorum. Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadent. Eos constituerat dominus, ut populum in viam pacis ducerent: & cum in mortis æternæ præcipitium pertrahebant. Tanquã cæci, quæ agenda erant non videbãt, neq; inter verum & falsum quidquam diiudicabant. Quos imitantur, qui inter hanc vel illam peccati lepram quicquam non discernunt: quòd literas nõ didicerint. Quibus per Oseam dominus ait: Quia scientiam repulisti, & te repellam, ne munere sacerdotij fungaris. Atq; de illis conqueritur dominus dicens:

Esa. 56. Speculatores cæci sunt. Quid in ecclesia Dei perniciosius? quid denique ludibrio magis dignum? quàm videre constitutos ut aliis ducatum præstent cæcos esse? vel ut illos ambulare per semitas mandatorum Dei doceant, utroq; pede claudicare? Quomodo curam ouium Christi agerent, & sacerdotale munus dignè administrarent, qui dicere nesciunt, Quot sacramenta ecclesiæ sunt! vel qualis effectus eorum collatione? Proh dolor. non solùm in foueam æternæ damnationis cadunt, sed quos seruare deberent secum pertrahunt. Quoniam Petrus eorum verborum intelligentiam capere non potuit, quibus dixerat Christus hominem ex eo non coinquinari quod intrat in os, quando discipuli fuerunt cum Christo singulares,

gulares, cum vice omnium conuenit, & blandè rogauit planiùs dicere, quæ ad populum coràm fuerat inuolutè loquutus. Itaque ait illi. *Ediffere nobis hanc parabolam.* Priusquam Christus hanc explicuit, est leui obiurgatiuncula vsus cupiens ingenia eorum acuere, eosque attentiores reddere, quos videbat in coniectandis ænigmatum inuolucris rudes admodum & crassos. Debebant enim ex illis alia diuinare. Ideo ait: *Et vos adhuc sine intellectu estis? Nonne percipitis quod intrat in os, in ventrem descendere, & in secessum proiici?* Hanc Christi doctrinam homines fanatici improbantes dicere ausi sunt eù scientiã naturalis philosophiæ ignorasse, quia dicit, *Omne intrans in os, per secessum emitti.* Stoliditatem illorum nemo satis admirabitur: dicentium Dei filium (in quo sunt omnes the- *Colof. 2.* sauri sapientiæ & scientiæ reconditi vt ait Apostolus) ea ignorare quæ homines mediocriter eruditi noscunt. Christus enim hæc referens est subobscurè loquutus: quoniam non intendebat dicere, in quem vsum corporis alimentum conuerti solet. Hoc sanè vnum in optatis habebat, quadam similitudine ob oculos assistentium, depingere cibos suapte natura non reddere homines impuros. Quod in sequentibus demonstratur. Dum verò Dei sapientiam probare voluerunt rerum humanarum nesciã,

ipsi suam omnibus vel inscitiam, vel (vt restius loquar) insaniam manifestarunt. Vt istuc omnibus liquidò pateat, physici omnes, pro confesso tenent, escas dentibus confractas in ventriculum stomachi descendere, in quo fit quædam illarum decoctio, puri quoque ab impuro discretio. Nobiliora corporis membra ex subtiliori substantia nutriuntur, & partem illius ad varias corporis partes per occultos venarum meatus transmittunt. Ex reliquo quod est crassioris substantiæ, inferiora nutriuntur. Vbíque est aliquid impurum, & per singulas corporis partes dispersum, & à venis attractū, variis sudoribus emittitur. Quæ verò crassiora remanent, per inferiora corporis membra proiiciuntur. Quod vocabulum secessus significationem habeat superflua proiiciendi generalem, nihil restius ac verius dici potuit, quàm omne intrans in os, in ventrem cadere, & per secessum emitti: cùm substantia ciborum partes animæ non tangat, proculdubio ipsa ex cibus contagium non incurrit, sed ex suis cogitationibus impuris maculatur. Nobis exemplo sit inordinatus quidam appetitus crapulandi, vel ad ebrietatem vsque bibendi. Ex quo quis non modò abstinentiæ regulam soluit, verum etiam corpus ciborum aut vini abundantia aggrauat, & doloribus afficit. Aliud exemplum de

de inordinato appetitu, à corrupta voluntate egresso, mulierem videndi ad cōcupiscendam eam, ex quo Deus offenditur. Ideo egregiè dictum est: Pravas cogitationes à cordibus exire, & homines corrumpere & inficere. Ideo errant qui dæmones constituunt duntaxat iniquitatum nostrarum authores. Fateamur illos earū suggestores, sed ex deprauato consensu animi enascitur malitia peccati. Hæc enim est quæ iniquitatem concipit, & iniustitiam parturit, cui adest dæmon in insidiis positus, explorator curiosus, prospiciens quid penes eā agitur. Si nutu oculorum, aut alio corporis gestu, noverit mentis affectum, esse à via diuinæ legis transuersum ad turpia, illum sollicitabit, malignis quoque fomitibus inflammabit, vt corporis vitia committat. Est ergo tantùm nostræ iniquitatis suggestor: & à corde peruerso exeunt cogitationes prauæ nos maculantes. Peccatum enim est tam voluntarium, vt deficiente consensu voluntatis non sit Dei offensiuum.

*Homelia feriæ quintæ, post tertiam dominicam
quadragesimæ. Luca 4.*



*Vrgens autem Iesus de synagoga introiit
in domum Symonis. Symon cuius no-
ster textus meminit, ille est de quo
Christus alibi ait: Symon bar Iona, Ioan. 1.*

tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. Christus Capharnaum veniens, in domū illius introiuit, quod fuit ex benignitate, & in pauperes commiseratione. Iam dudum in ciuitatem Capharnaum venerat, & in ea præclaris claruerat miraculis: ex quibus inter vrbis conciuēs, humanæ laudis appetentissimos, domicilium longè amplissimum inuenisset: quoniam ex tanto hospite multum gratiæ sibi parassent, cum benignè & reuerenter excepissent. Verùm ditissimas domos illorum pertransiuit, & ad pauperem piscatoris casam libentiùs diuertit. Discipulos suos re ipsa erudiens pauperes visitare, eosque bonis suis iuuare. Inde pauperes non glorientur quasi sint soli ad beatam vitam electi. Dicente scriptura: quod ipsorum est regnum cœlorum. Deus enim nō est personarum acceptor: sed omnis aut diues aut pauper timens Deum, & qui iustitiam operatur acceptus est illi. Iuxta illud Apostoli: In Christo Iesu non est Iudæus neque Græcus: nō est seruus, neque liber: masculus aut fœmina, sed per fidē æqualiter filij Dei adoptati sumus omnes. Contigit autem eo tempore quo Christus est domum Symonis ingressus, socrum Symonis magnis febribus teneri: cui Christus sui corporis præsentiam communicauit. Subindicans pauperum morbos sibi curę esse, quos medici alios visitantes

Act.
10.

Gal. 3.

visitantes non rarò prætermittunt. Quid enim
 apud seculi homines haberi solet abiectius mu-
 liere, anu, infirma & paupere? Ad quam Chri-
 stus accessit vt alios pauperes graui infirmitate
 afflictos & paupertate oppressos consolaretur,
 ne in aduersis animos despondeant, quasi illo-
 rum oblitus sit. Sciant velim, se tãtò benigniùs
 ab eo respici, quantò patientiùs dolorem infir-
 mitatis sustinebunt. Et ad rei euidentiã quòd
 focrus Symonis teneretur magnis febribus,
 Marcus eam descripsit in lecto decumbentem.
 Quod enim senuerat, & calor naturalis in se-
 nibus tepescere & paulatim enori soleat. Egre-
 giè admodum scripsit Marcus eam vexari ma-
 gnis febribus. *Et rogabant illum pro ea. Et stans su-*
per illam, imperauit febrì, & dimisit illam. Mihi
 videtur familia Petri multùm commendabi-
 lis, quòd focrum senem & febribus grauem,
 non solùm domi enutriuerit, verumetiam vt
 sanaretur, sit Christi discipulos precata. Ni-
 mirum longè dispar fuit moribus hominum
 præsentis seculi. Solent enim cum magno ani-
 mi fastidio mulieres anus apud se sustinere.
 Quin potiùs de earum morte, quàm de vita
 plerùnque gaudere solent: & mallent eas à
 fathana rapi quàm sanitati restitui. Verùm
 quid est voto illorum inhumanius, quidue
 crudelius? Apud barbaras nationes, senectus

Mar. i.

non mediocriter est venerabilis: & inter Christi seruos (si verè serui & fideles) cur tam execrabilis . Non enim latet eos hanc esse inter Dei dona numerandam : sed neque in istis postremum tenere locum, ipsamque maiorem in modum ab Apostolo commendari dicente:

1. Tim. Seniore[m] ne increpaueris, sed obsecra vt patrē.

4. Quid enim lōga senectūs aliud indicat nisi senem rectè vixisse & Deum timuisse? & mandata illius, sedulò seruasse, & præmiū quod illa seruantibus debetur assequum esse? ideo super terram diu vixisse? Quæ ergo insania eorū mentes exagitat, qui senem hoc Dei dono celebrē non reuerentur, sed diris deuouent? Quia Dei donum in proximo fastidierunt, morte immatura perierunt. Idcirco operam dent vt senes uerentur & infirmos visitent & consolentur: recordenturque socrum Petri graui febre vexatam, à domino visitatam, & ad preces familiæ Petri eā ab eodem fuisse curatam: textus enim habet quòd rogauerunt pro ea. Ex istis sumitur argumentum summè validum & maximè apparens sanctorū intercessionis infirmis professe.

Mat. 9. Nec multum dissimile in Matthæo legitur:

Mar. 2. Quòd videns Iesus fidem illorum, qui hominē

Luc. 5. paralyticum detulerāt, & eum remotis tecti tegulis coram domino submiserant, sanarit. Mihi dicet aliquis huius sententiæ aduersarius, quiq;

sancto-

sanctorum defunctorū suffragia implorare parum curat, quoniam ea nobis viuentibus prodesse non credit, fallaci doctrina seductus: qua dicitur sanctos ab humanis recedentes, à cūctis operibus laboriosis quiescere. Id autem (vt putat) esset quid onerosum eos pro nobis orare. Itaq; non credit eos orantes, sed omnes animi vires & affectus in hoc vnū conferre vt beatifica visione satientur: Dei filium, lumen verum in lumine vero scilicet patre intuentes. Ait ergo eos frustra nostris pulsari precibus. Mecum hīc cōueniat necesse est ex doctrina Apostoli: quòd in hoc seculo illi viuentes nostri intercessores erant: & fuit ex fonte charitatis, à cordibus eorum emanante. Fons autem ille nō siccatus est: sed multò copiosius effluit à cordibus illorum quàm antea. Cūm charitas sit virtus perpetua quæ nūquam excidit, cur ergo dices, ipsos corpore exutos, & per Christum sanctificatos pro nobis corporum infirmitate grauatis amplius non orare? Quasi pios charitatis affectus exuerint, quos viuentes in nos habuerunt, à quo tēpore fuerūt per sacrum baptisma regenerati, & mystici corporis Christi membra facti. Cui tāquam capiti inhaerent. Eius certè conditionis sunt, cuius est caput. De Christo autem legitur, quòd iuxta hominis formam, pro nobis Deum patrem orat, quam nostrum constituit ipse pa- *1. Ioan. 2*

FERIA V.

1. *Ioã. 2.* ter aduocatũ. Cur ipsi igitur sancti (vt dictũ est) eiusdem corporis mēbra preces pro nobis non interponent? Nónne angelis similes facti sunt? Illi autem beatifica visione fruuntur: nostras ta-
- Heb. 1.* men preces deo offerunt, vnde dicuntur spiritus ministratorij, in salutem illorum missi qui hæreditatē Dei capiunt. Iuxta illud Apocalypseos.
- Apo. 8.* Ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum, de manu angeli coram Deo. His adde Oniam summum sacerdotem, Iudæ principi Machabæorum aperuisse & illi ostendisse Hie-
2. *Mac. 15.* remiam prophetam ac dixisse, Hic multũ orat pro populo & vniuersa sancta ciuitate. In confesso est, tunc Hieremiã multis retro seculis extremum diem clausisse: qui adhuc pro populo orabat. Quod cum ita sit, cur negantur sancti qui cum Deo viuunt orare pro his qui hĩc degunt in maximis miseriis ac grauissimis periculis? cũ eadem in illis sit charitas? quam in patria longè perfectiorem, quàm cum hĩc essent habent. De sanctis regius propheta scripsit: Orabit ad te omnis sanctus in tẽpore opportuno. Nos enim baptismum suscipientes per Christũ Deo sanctificamur: sed dici absolutè sancti ante obitum non meremur, vel prius quàm corpore exuti ad beatam vitam perueniamus. Et tunc sancti erimus, atque opportunum tempus erit, Deum pro fratribus nostris precari: quem facie
ad

ad faciē videbimus. Neq; desinemus corporis Christi mēbra esse. Sicut semper eiusdem corporis caput est Christus, testatur Paulus, quòd membra corporis sunt inuicem sollicita, & nos *1. Cor. 12.* illorum solliciti erimus, qui in mundo manentes, à sathana, mundo, & carne, miris tentationibus impetuntur & grauissimis peccatorum febribus laborant. Vt precum nostrarum interuentu & infirmitatum corporis liberationem, & peccatorum condonationem consequi valeant, scit Deus noster quid illis necesse sit. Vult tamen rogari per eos, quos aliorum intercessores constituit. In huius rei testimonium, precibus apostolorū interpellatus, & super socrum Symonis infirmans stans, imperauit febrì, quæ illam dicto citiùs dimisit. Aliud quoq; nos docuit, scilicet flere cum flentibus. Tristes fuerant & apostoli ex infirmitate socrus, & gauisi quòd ad iussum domini reliquerit eam febris. Vult nos flere cum flentibus & infirmari cum infirmis, non quòd nos eorum morbos asciscamus, sed vt ab illis infirmitates precibus nostris depellamus. Et hoc erit onera proximorum pro virili supportare, & legem implere quæ dicitur: *Rom. 12.* Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis *Gal. 6.* legem Christi. Nec vanum videri debet quòd Christus febrì imperarit: cùm febris sit eius natura, quæ vocem eius audire non potuerit. Ni-

FERIA V.

mirum istud fieri decuit, ne nesciremus eū non minus posse rebus inanimatis quā animatis iubere, & eas iussis illius parere. Idem ac penè similè paulopòst obseruauit, imperans ventis & mari. *Mat. 8.* Ad cuius vocem venti siluerunt, & facta est in mari tranquillitas magna. Pariter febris subire imperium eius non detrectauit: ideo non temerè hoc factum fuisse, sed illius prudentiæ deputemus, quòd febrì, ventis & mari imperarit. Ex præceptis huiusmodi omniū efficacissimis, rerum vel corporalium vel incorporealium, visibilium seu inuisibilium, se potestatem habere declarauit. Id ipsum confirman-
Rom. 1. te Apostolo & dicente: Inuisibilia Dei, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus & diuinitas. Est enim tantæ virtutis vt nihil illi resistere possit. Recolamus etiam in principio magnam huius potestatis partem, primo parèti communicatam
Psal 8. fuisse. Iuxta illud: Omnia subiecisti sub pedibus eius. Quam peccato inobedienciæ perdidit, & Christo homini iterum Deus contulit. Vndè dicebat ipse: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Cùm simus eius corporis membra, inde consolemur: scientes eum potentem esse, quæque aduersa à nobis depellere. Quæ dominari non permittet, nisi nouerit ad virtutis augmētum nobis profutura esse. Iuxta illud

illud Pauli: Fidelis est Deus qui nō patietur vos *1. Cor. 10*
tentari supra id quod potestis, sed faciet cū tenta-
tione prouentū. Et caueamus ob infirmita-
tes humeris nostris impendentes, velle aduer-
sus prouidentiam illius murmurare. Ne nobis
irascatur, qui imperauit febrī & recessit ab anu
Febriticāte. Ita vt à lecto surgens, cum magna
omnium qui aderant admiratione non solum
Christo & discipulis eius cœnam pararit, sed
etiam in ceteris rebus domi necessariis submi-
nistrarit. Et hoc quidem præter naturæ cursum
contigit: quoniā febricitantes finitis febribus,
diutius in membris manet quædam debilitas,
lassitudo & langor: Sopitāsque corporis vires
paulatim reassumunt qui aliquandiu febrili
morbo laborarunt. Verum anus ista, in momē-
to oculi, fuit tanto robore consolidata, vt Chri-
sto & discipulis statim inseruierit. Me non la-
tet phisicos, febres à febricitantibus expellere
posse, arte medicinæ sibi à domino concessa:
sed temporum interuallis egent. Mirari ergo
oportet, & pro miraculo haberi debet, quòd
ipsa anus tam subito conualuit. Inde tamen mi-
rari non decet, si à causā omnipotente. Cùm
effectus soleat esse tantò celerior quantò virtus
in operante maior est. In Christo virtus perpe-
tua, omnipotens atque infinita: ideo mirum
non est quòd anus illa subito conualuerit.

Quod si forsan quæras: Cùm sit illi perpetua, cur in cæco à natiuitate, & mundandis aliquot leprosis, ea cum temporis interuallo vsus est? Ob latens in diuinis operibus sacramentum hoc fieri decuit, atque vt miracula eius fierent notiora. Ipse qui auram popularem non venabatur, sed animarum salutem, cupiebat sua miracula esse quasi sigilla veritatis euāgelij indelebilia. Quod nuper docuerat se mis-
Esa. 61. sum à patre vt corde cōtritis mederetur, & pec-
Luc. 4. catorū colligationes dissolueret. Ex quo enim febris ad imperium eius illicò anū dimisit, notum reddidit se potestatem habere, dimittendi veras animarum infirmitates, quæ sunt peccata. Fuit ergo exhibitum præsens miraculum, vt esset diuinæ veritatis organum, in salutē omni credenti. Ideo enim (vt dictum est) Christus morbos curauit, demones expulit, mortuos suscitauit, ne nescirent omnes, quòd vinculis peccatorum grauati, per illum liberari possent. Historia rei gestæ, mihi videtur ex præcedētibus, iuxta literæ sensum satis in aperto esse, cùm in sensu morali nō nihil occultum habeat in præsentia aperiendum: duo quasi per transcursum referamus. Primum est, casus siue lapsus primi parentis, qui nos omnes perdidit. Alterum, restauratio, per Iesum Christum facta. Ad primū
Sap. 1. veniamus. Nemo non nouit mortem inuidia
 diabo-

diaboli in orbem terrarum intrasse, & nos omnes filios Adami occupasse. Qui ex serpētis fallacibus verbis peccati morbum incurrit, adeo pestilentem, vt virus suum per omnē disperferit Adami progeniem. Vt à peste huius morbi liberetur, tota progenies, ad dominum clamat, & vocem illius exaudiēs, misit verbū suum in salutem omnium scilicet Christum, Qui & Adamum, & totam illius progeniē curare venit, & in viam salutis reducere. In tantæ rei argumētum, paulò superius habetur, Christum, hominem habētē spiritum immundum curauisse. *Mar. i.* Descripta illius cura, surgens de synagoga, mulierem graui febre vexatam in domo Symonis curauit. Per virum à dæmonio liberatum intellige Adamum, & per mulierē febribus vexatam liberam, repræsentatur progenies illius. Cur euangelista nationis Iudæorum meminit, nisi quòd idololatriæ cultum execrata, ad tempus vni Deo seruiuit? Tandem infirma fuit, quòd varia peccatorum genera commiserit. Ideo describitur uariis febribus vexata. Sunt enim diuersæ febrium species: quædam ex variis sudoribus, fædè & adeo malè olentes, vt institutæ custodes infirmorum, fœtorem illarū diu olfacere non possint. Aliæ autem multum contagiosæ: ideo infirmantibus interesse tutum nō est. Aliæ rursus adeo vehementes vt scientiam

medicorum & artem eorū facile eludant. Hæc
 pauca de variis generibus earum sufficient: quæ
 morbos animæ, scilicet peccata repræsentant,
 febribus tãtò periculosiora quantò animæ cor-
 poribus præcellunt. Febres enim corpora alio-
 qui moritura aliquando occidunt, peccata ve-
 rò, animas quæ mortem nesciunt & quas Deus
 ad superna gaudia creauit, ad tormenta ignis
 perpetua pertrahunt. A quibus qui liberari cu-
 piunt, ad illum accedant, qui virum à dẽmonio
 vexatum curauit: & mulierem febribus deten-
 tam sanitati restituit. In typum quòd ab eo cor-
 poris & animæ salutem consequi poterunt, qui
 eum esse futurorum bonorum legitimum hæ-
 redem, & æternæ beatitudinis munificum lar-
 gitorẽ profitentur: & qui mandata illius custo-
 diunt, consortia illorum declinãtes qui ad fur-
 ta, sacrilegia, domorum incendia, agrorum de-
 prædationes, manus suas extendunt: & magnis
 peccatorum febribus vexati sunt: à quibus, per
 alium quàm per benignissimũ Iesum curari nõ
 possunt. Vt ab illis liberẽtur ad domum Symo-
 nis veniant, & in ea prout decet commorentur.
 Quid Symon est nisi homo obediens & confi-
 dens? Si commiserint quæq; ab exordio mundi
 cõmitti potuerunt peccatorum genera, per va-
 rias febres adũbrata, potẽs est eos curare, modò
 sperent in eo ac fidant. Est enim fides salutis ia-
 nuæ,

nua, peccatores introducēs. Virtus enim Christi tanta est, vt peccatorū multitudine non vincatur, & multò purior q̄ contagiis eorū inquinari possit ex animo sibi displicente toto curari poterunt, neq; sine Dei magna gratia operibus suis fidant: quę ob peccata sua sunt instar panni mulieris mēstruosæ. Id autem merito passionis Christi remittent, sanctorum suffragia inuocātes: quorū interuentu, valeant criminū quālibet enormium indulgentiam consequi. Et pro indubitato teneant, quod à voce imperiosa benignissimi Iesu, quæ tanta est, vt nemo illi resistere possit, liberabuntur. Et sicut in eius cōspectu, montes vt cera fluēt, etiam morbi peccatorum quantumlibet capitales euanescent. Igitur bene habet homo Christo fesus, & in domo Symonis manens: ex certissima spe de benignissimo Iesu concepta credat nihil illi nocere posse. Fortassis in peccatorum vindictam deo permitte quædam aduersa patietur, quæ sibi ad salutem adiumento erunt, modò ea patienti animo sustineat. Pòst quàm verò per Christum fuerit à febribus vitiorum liber factus, in illa rebi caueat. Sicut Iudæorum synagoga Christo diffusa, relapsa est, & adhuc variis erroribus inuoluta: cuius nouissima peiora sunt prioribus. Quòd adhuc sit variis peccatorum febribus tenta, quæ dulcia in lege nostra per Christum

Psal. 21.

instituta, illi verè febricitanti videntur amara. Non minus quàm cibi quantumlibet delicati nauseam febricitantibus generant. Ipsa febribus suis æstuans, ex doctrina Pauli huc-

Rom. 12. usque infirmabitur: donec plenitudo Gentium, in ecclesiæ gremium introierit. Tunc multiplex febrium langor auferetur ab ea, & omnis Israël saluabitur à lecto infirmitatis resurgens. In nouitate vitæ spiritualis ambulabit, & gaudium in cælo & in terra celebrabitur, super ea peccatrice pœnitentiam agente. His utcùnque pro sensu morali digestis ad reliqua pergamus. *Cùm autem Sol occidisset, omnes qui habebant infirmos varijs languoribus, ducebant illos ad eum. At ille singulis manus imponens curabat eos.* Cùm Christus dictus sit dies redemptionis nouæ, reparationis antiquæ, felicitatis æternæ & vera lux instar solis illuminans omnem hominem in hunc mundum venientem, cur sui luminis radios, id est, suæ virtutis effectus, non in meridie, sed post diei vesperam manifestauit? Quia dictum est, cùm sol occidisset, scilicet ille qui nouit occasum suum. Multò plures quàm antea per discipulos in orbem vniuersum missos curauit. De quibus *Act. 5.* legitur: Per manus Apostolorum fiebant prodigia multa in plebe, qui iter illius præparant. *Psal. 64.* Iuxta illud: Illi iter facite qui ascendit super

super occasum. Id ipsum fieri decuit, ne nesciremus animarum morbos efficacia suæ passionis curatos fuisse. Ideo non solum iuxta corpus infirmos curabat, verum etiam eos reddebat ex crudelissimis clementissimos, ex tyrannis pios patres, ex bonorum expilatoribus, oppressorum subleuatores, ex furiosis militibus, concordiae authores, & in omnes, beneficos. Cùm res ita se habeat, si à morbis & animarum & corporum liberari velimus, ad sanctorum intercessionem supplices simus, ut Deo orationes nostras offerant, & quicquid per nos in legem commissum fuerit remittatur nobis. Ob intemptam noctis horam, ad monumenta eorum accedere non timeamus. Quoniam omni hora pro nobis Christo supplices fient: vel (ut ita loquar) manus suas nobis imponent, ut bene habeamus. Manus domini condignis laudibus extollere non sufficimus, quæ tot infirmos curarunt, mortuos suscitauerunt, Petrum ecclesiæ præsidem primùm à maris naufragio, rursus post trinas negationes à laqueo mortis eripuerunt: & abscissam per eum auriculæ portiunculam, seruo Pontificis restituerunt. Quod maius est, non solum cælos crearunt, iuxta illud psalmistæ: Opera manuum tuarum sunt cæli. Et iterum: Videbo cælos, opera digitorum tuorum, lunam & stellas quæ tu fundasti: verum etiam

Psal. 101.

Psal. 8.

ex limo terræ primum parentem, & nos in illo
 plasmarunt. Pro omnibus huiusmodi benefi-
 ciis per eas nobis cumulatè impensis quid illis
 collatum fuerit, declarat Zacharias propheta
 per modum querele & admirationis à Christo
 sciscitatus: Quæ sunt istæ plagæ in medio ma-
 nuum tuarum? Cui Christus ait: His plagis affe-
 ctus sum in medio eorum qui me diligebant.
 Quemadmodū ad imitationem illius, discipu-
 li super ægros manus imponebant: similiter ec-
 clesiæ ministri hodie super infirmos seu affli-
 ctos suas apponunt, Deum & sanctos precati
 vt infirmi bene habeant. Cur religiosas ac cele-
 bres huiusmodi cæremonias ab Apostolis in-
 troductas non obseruaremus? cū Diuus Iaco-
 bus dixerit: Si quis infirmatur in vobis, intro-
 ducat ecclesiæ presbyteros, qui pro eo Deum
 orent, vngentes eum oleo: & oratio fidei alle-
 uiabit eum. Experientia enim rerum magistra,
 nos docuit diuinam virtutem non rarò preci-
 bus nostris adesse, & ea conferre quæ orationes
 nostræ præ se ferunt. Iuxta illud: In die tribu-
 lationis suæ inuocabit me, eripiam eum, & sal-
 uabo eum. Cū ergo fuerint huiusmodi cære-
 moniæ impositionis manuum per Christum &
 discipulos eius obseruatæ, & quasi à manu in
 manum traditæ ad nos deuenerint, sub quibus
 Dei præsidia latent ab infidelibus derisa: sed per
 fideles

fideles approbata, multum vtilia, eas cum omni reuerentia obseruemus. *Et exhibant demonia à multis clamantia & dicentia: Quia tu es filius Dei. Et increpans non sinebat ea loqui quia sciebant eum esse Christum.* Confydera ergo cuius virtutis fuit manuum Christi impositio. Diabolus eum in deserto semel, iterum, ac tertio tentauit quadragesimali ieiunio attenuatum, exploraturus an esset naturalis filius Dei. Quod nosse non potuit. Nunc manuum suarum impositione, demones sathana inferiores, suæ diuinitatis notitiam habuerunt: non plenam, sed ex coniecturis conformibus prophetarum oraculis, eum esse prophetam à lege promissum suspicati sunt. Propterea non sequitur quod archanum diuinæ incarnationis mysterium pro certo tempore spiritibus angelicis absconsum nouerunt, multo minus crucis mysterium. Iuxta illud Apostoli: Exspolians principatus & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans. Quo erant ex illis spoliandi quos iniuste detinebat. Nempe si Christum per id quod est omnium vita, salus & resurrectio, lumen indeficiens, pure accedentes ad eum illuminans, ipsi cognouissent eum gloriæ regem, in cruce appendi non procurassent. Quod suspicati sint (ut dictum est) eum esse Dei filium utcunque adulabantur ei. Fortassis metuentes, ne eo vindice inferna-

Mat. 4.

Colo s. 3.

1. Cor. 2.

libus pœnis longè crudeliùs cæteris cruciaren-
 tur. Ea ratione fauorem illius sibi conciliare cu-
 piebant: dicentes illi: Tu es filius Dei. Sed non
 sinebat eos loqui quòd esset filius Dei: quoniã
 ipsi in angelos lucis transformati simplices
 Christi seruos seducere potuissent. Nimirum si
 per eos cognouissent Christum esse Dei filiũ,
 eos in cæteris veraces esse suspicati fuissent, &
 in corda eorum sub specie veritatis errores im-
 posuissent, falsa veris immiscentes. Ideo Chri-
 stus per eos prædicari noluit ne etiã Iudæi ad-
 ducerentur credere eum cum Beelzebuth fœ-
 dus pepigisse, cuius ministri vidissent eum col-
 laudare. Insuper diuinis laudibus proferendis
 prorsus indigni erant. Iuxta illud Psalmistę. Pec-
 catori dixit Deus: Quare tu enarras iustitiam,
 & assumis testamentum meum per os tuum?
 Quoniam rectos decet collaudatio. Neque
 tempus conueniens erat Christum prædican-
 di filium Dei esse, qui Petrum, Ioannem & Ia-
 cobum, in montem excelsum duxerat & corã
 illis transfiguratus fuerat. Quibus interdixerat
 nemini dicere visionem, donec ipse filius ho-
 minis à morte resurrexisset. Quantominus de-
 cebat eum per dæmones reuelari esse Dei filiũ,
 & in mundum venisse vt genus humanum à
 potestate principis tenebrarum liberaret? *Facta
 autem die egressus ibat in desertum locum, & turba
 querebant*

Psal 49

Mat. 17

Mar. 9.

querebant eum: & venerunt vsque ad ipsum, & detinebant illum ne discederet ab eis. Prædiximus per diei occasum Christi mortem adumbrari; eadem ratione dicendum est, per nouæ diei aduentum, resurrectionem corporis illius figurari. Expleto suæ mortis triumpho, ipse desertum adiit, à quo venerat perditam ouem quæsiturus, In quo nouem angelorum legiones reliquerat. Rursus desertum adiit vt nos informaret hominum consortia fugere, qui ad malum nos sollicitant. Vndè alibi ait: Venite in desertum & ibi paululum quiescite. Iuxta cõsiliu illius antiqui patres antra deserti petierunt, vbi animi vires ad cœlestia bona recollegerūt commodiùs, & criminum labes frequenti contubernio hominum contractas, orationibus & lachrymis expurgarunt, ne aliis continuò prædicantes, reprobi inuenirentur. Et Dauidem imitati sunt dicentem: *Elongaui fugiens* *Psal. 54.*
 & mansi in solitudine, eum expectans qui me saluum fecit. Et Paulus eos commendat in solitudinibus errantes, in montibus, speluucis, & *Heb. 11.*
 in cauernis terræ. Quibus dignus non erat mûdus: quoniam fidei testimonio probati sint in Christo Iesu domino nostro. Inde constat non contemnēdos homines solitariè viuentes: ex quo loca à populi tumultu longè remota inhabitant, mundanorum cõsortia hominū decli-

nantes. Hoc enim antiqui prophetæ ante eos
 obseruarunt: & vltimus eorum Christi baptista
 teneris sub annis ciuim turmas fugiens, antra
 defæri petiuit. Subindicans solitudinem loci
 multum prodesse purgandis affectis corruptis.
 His adde Ioannem in insulam Pathmos relega-
 tum, & solitariè viuentem, diuina reuelatione
 cõsolatum, Apocalypsim & vidisse & scripsis-
 se. Hac de causa antiqui patres plurima in locis
 desertis monasteria construerunt, eaque inha-
 bitarunt: in quibus musarum alumni, & blan-
 dæ quietis amici vitã agere maluerunt, quàm
 in vrbibus. Quos imitentur precor, qui vitam
 solitariam elegerunt, ne à populo exhibentur,
 & ridiculosè digito demonstrantur, & vrbes ra-
 rius solitò frequentant. Quid in causa est cur
 monasticus ordo est populo derisus, & canti-
 cum illius tota die, nisi quòd videat solitudi-
 nem professos frequentius omni die inter se-
 culi homines conuersari, & prophana tractare?
 Ideo tamen culpabiles non sunt qui à mona-
 steriis egrediuntur vt salutis verba, aut quædã
 vtilia populo referant. Quorum conuersatio
 munda ac simplex, eos reddit Deo & homini-
 bus charos & amabiles. Ideo in deserto Chri-
 stum detinebant, quòd essent dulcedine ver-
 borum ab ore eius effluentium delectati ma-
Mar. 17 rificè: quæ erant fauo mellis dulciora. Quan-
 tò

tò plus desertum frequentauit Christus, tantò ab eo recedens à populo benigniùs susceptus fuit. Inde consueuerunt solitariè viuentes cessante causa vrgente seculi homines non frequentare: ne verba detractionis in eos vibrent dicentes: Pellantur à nobis qui præter inefficacem simulatæ religionis speciem nihil præ se ferunt. Iudæis autem poscentibus à Christo ne discederet ab eis respondit: *Quia & aliis ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei: quia ad hoc missus sum. Et erat prædicans in synagogis Galilææ.* Sicut pater illum miserat verbum salutis euangelizare, ita & discipulos in orbem vniuersum destinauit id ipsum prædicare. Iuxta illud: *Ite in orbem vniuersum prædicate euangeliũ omni creaturæ.* Est Christus munere suo egregiè functus, paritèrque Apostoli. Quos imitentur velim in sedes illorum subrogati, & per suæ diœcesis aut prouinciæ oppida & ciuitates inãbulent: & aliquando morosiùs in vna ciuitate quàm in alia resideant, vt errantes dominici gregis oues in caulas reducant, morbidas curent, faucias foueant, & ab ore leonis seu dæmonis eripiant. Postquàm populum Dei mutuam seruare pacem docuerint, deserta adeant, vt à laboribus suis paululum quiescant.

*Homelia feria sexta, post tertiam dominicam
quadragesima. Ioan. 4.*



*V*enit Iesus in ciuitatem Samaria, quae dicitur Sichar, iuxta praedium quod dedit Iacob filio suo. Christus Dei filius summè beatus, & beatè summus, cuncta rectè dispensans, & nullius rei egens, satis laudari nequit. Quòd non solùm propter nos homo fieri voluerit, verumetiam sub peccatricis imagine, Ecclesie praepositos erudierit, quid pro conuersione hominum peruersè uiuentiũ agere debēt. Praesentis Euangelij historia contigit in Samaria, tũ Iudæis tum Galilæis vicina. Et prope ciuitatē in honorē Augusti Cæsaris restatutā, & Sebaste dictā. A qua omnis regio circumadiacens nomen habuit. Non procul est alia ciuitas paruula secundũ Hebraicæ linguæ proprietatē dicta Sichē, corrupto autem vocabulo Sichar. Illic prope Symeon & Leui filij Iacob sanctissimi patriarchæ cū magna strage stuprũ Dinæ sororis vlti sunt. Et idē patriarcha praediũ emit, qui cū esset senio confectus, & filiis suis bene ominatus, sequentia verba protulit: En morior filij, sit Deus vobiscũ, & vos reducat in terrā patrum vestrorũ. Et Ioseph iterũ ait: Do tibi partem vnā vltra fratres tuos, quam de manu regis Amorrhæi, in gladio & arcu meo recuperavi.

Quos

Quos paterno more benedixit. Ideo Euangeli- *Gen. 49*
 sta huius loci meminit, ne nesciamus Christum
 illic opportunitatem nactum inter gentes in-
 circumcisas semen salutis seminasse: & per fon-
 tem è venis terræ scaturientem, cœlestis gratiæ
 rorem adumbrasse, quæ hominum peccata ab-
 luit: sicut aqua corporis sordes mūdāt. *Erat au-*
tem ibi fons Iacob. Iesus autem fatigatus ex itinere, se-
debat supra fontem: hora autem erat quasi sexta. Non
 sine caussa describitur Christus itinere fatiga-
 tus: quoniam illuc non venerat equo vel asino
 vectus, sed pedes incedēs. Et se manifestauit na-
 turam habere nobis communem citra peccati
 labem, cui ingenitum est, pro locorum, aut tē-
 porū varietate, nunc calefieri, nunc algere, mo-
 dō esurire, modō sitire, & quæq; similia corpo-
 ris incommoda experiri. Prout Christus multa
 expertus est vt essent indubia suæ humanitatis
 argumenta & nostræ salutis instrumenta. Quis
 nostrū cristas animi arrogātis non deprimet,
 animo reuoluens Christum pro nobis pauperē
 factum, iuxta fontis labrum in terra sedisse, vt
 corporis membra labore itineris fessa paululū
 refocillaret, & eum tempore meridiano ieiunū
 fuisse? Hæc important sequentia verba, sci-
 licet quòd hora erat quasi sexta, quando disci-
 pulos in vrbe misit cibum emere. Dies enim
 naturalis viginti quatuor horis perficitur, quas

si Hebræorū more in duas partes diuiferis, quęlibet duodecim horarum erit. Rursus si ab ortu solis ad occasum illius diem mensurare uoueris, hora sexta idem erit ac si dicas meridiana. Cū ergo cœli medianm sol teneret, Christus erat ardore illius, & longo itinere fatigatus: uerū nostrę salutis vsq; ad eū auidus, ut caloris extensione, itineris longitudine, montiū asperitate remorari non potuerit, quin Samaritanā pręuenerit aquam haurire uenientem. Nihil enim laboris in montibus & desertis inter barbaras nationes uersatus, per uigil die ac nocte, pro nobis sufferre recusauit: sed & corpus suum necessariis defraudauit, vitam quoque laboriosam sustinuit, quo peccatores lucrifaceret, & Deo patri reconciliaret. Nobis exemplū prębens uentris curam in desyderiis non habere, quo proximis commodiū subueniamus. Igitur quo tempore omnes prandebant, ipse ieiunus ad eum locum accessit. *Venit autem mulier de Samaria haurire aquam. Dixit ei Iesus: Da mihi bibere. Discipuli eius abierant in ciuitates, ut cibos emerent.* Expediebat sanē discipulos absentes fieri, quo Christus occasionem haberet confabulādi cum ea muliere. Ideo uoluit discipulos emēdorum ciborum gratia in urbem ire quando eō accessit: quā audire ea seorsum oportebat, quę ad suam & samaritanorum salutē pertinebant, quę

quæ omnibus coram reuelare noluiſſet. Vt nobis exemplum pararet ſeruandę ciuilitatis, mo-deſtię & manſuetudinis, in eos qui peccarunt. Eſt itaq; mulierem perbenignę alloquutus, pu-dori illius conſulens, quæ non vni viro ſed plu-ribus ſui corporis copiam impudicę fecerat. Cui ait: *Da mihi bibere*. Sitiēbat ex ſolis ardore, ſed multo plus ex charitatis feruore. Ne quis di-ceret. Cur diſcipulis aquam haurire, & ſibi mi-niſtrare non præcepit? quos numero plures ha-buit. Tacitę quæſtioni reſpondet Euangelista dicens: In ciuitatem abierant emere cibos, vt more pauperum eos ſuper fontis labrum ede-rent & aqua temperarent. Ipsi ſecum cibos af-ferre ſoliciti non fuerant: quod à præceptore *Mat. 6.* audierant: Nolite ſoliciti eſſe dicentes, quid manducabimus? Scit enim pater veſter cœleſtis vos his egere: qui paſſerculos nutrit vos nõ de-ſtituet ſperãtes in ſe. Adhęc rebus diuinis adeo intenti erant, vt fuerit illis de comœatu habē-do cura minima, atque (vt ſic dicam) poſtrema. Proh dolor, quàm diſſimiles ſunt, qui vix à ſtra-ti mollitię egreſſi ſunt quando omnem familiã conuocant, eique iniungunt cibos exquisitiſſi-mos ac multiplices emere, ſolicitęq; præpara-re: quo ventris ingluuiem illorum ſuauitate & varietate impleant. Ventris curam in deſideriis habentes, regni cœlorũ obliuiſcuntur, quodve

esca ventri & venter escis infeliciter deseruit:
 1. Cor. 6. Deus autem tandem hūc & illum perdet. No-
 luit Christus urbē intrare, & voluit discipulos
 in ea non diu stare, ne impiam vitam infideliū,
 & mores improbos eorum & viderēt & disce-
 rent: quos in omni humilitate continuit, eos in
 proximo fieri mundi retores, plus quàm reges
 venerandos, philosophis prudentiores, rheto-
 ribus facundiores nouerat, certōq; sciebat eos
 qui ex gradu humili ad apicem dignitatis assu-
 muntur, tanquam repentini honoris inexper-
 tes, vt plurimū in tumorem superbiæ efferri.
 Itaque in omni humilitate victus & vestitus, il-
 los continuit & infidelium hominum confor-
 tia vitare voluit. Quod dixisset mulieri: Da mi-
 hi bibere illa respondit: *Quomodo tu cū Iudæis
 bibere à me poscis quæ sum mulier Samaritana?
 Non enim contuntur Iudæi Samaritanis.* Fomes tati
 odij inter Samaritanos & Iudæos erat vt quo-
 ties Iudæi aliquem nomine probroso & infami
 maculare vellent, Samaritanū vocitabant. Ideo
 mirabatur mulier cur Christus illi dixerat: Mu-
 lier da mihi bibere. Fomitem odij & inuidiæ
 Iudæorum & Samaritanorum paucis accipe.
 Fuerunt Iudæi septuaginta annorum spatio, ba-
 bilonica seruitute tenti multūq; angustiati.
 Miseriam illorum deflet psalmista, quorum no-
 mine ait: Super flumina Babilonis illic sedimus
 & fleui-

Psal.
 136.

& fleuimus, dum recordaremur tui Sion. Quoniam qui captiuos duxerunt nos, irrisoriè dixerunt: Hymnum cantate nobis de canticis Sion: quibus cordi nõ erat ea cantare in terra aliena. Intereà dum Iudæi opprimerentur ea captiuitate, partem sanctæ hæreditatis vsurparunt Samaritæ, quibus à captiuitate reuersis, eam restituere noluerunt. Hinc ortum fuit inter eos graue dissidium, nullis legibus reconciliandum. Hæc de caussa mulier Christo ait: *Non contumentur Iudæi Samaritanis. Respödens Iesus dixit ei: Si scires donum Dei, & quis est qui dicit tibi, Da mihi bibere, tu forsitan petiisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam.* Noluit Christus pium mulieris affectum omni ex parte sibi expositum defraudari exhortatione benigna. Ideo ad interrogata illius respödens, eam monuit donum gratiæ Dei, sub velamento huius aquæ occultum petere, quod peccatũ carnis abluens, mentem illius à carnali desyderio mundauit, eamq; Deo tanquam viuo fonti aquarum viuentium coniunxit, cuius erat vnicus largitor, quod in hydriam mentis illius tandem infudit. Nesciebat peccatrix mulier donũ gratiæ cœlestis per aquam adũbrari: quare iterũ ait illi: *Domine vasculum in quo aquam haurias non habes, & puteus altus est. Vnde ergo habes aquam viuam?* Modum scire cupiebat, quo Christus viuã aquam illi donare posset, putei altitudinẽ pro-

spiciens ait illi: Domine vas tibi deficit & instrumentum quo haurire aquam valeas, vnde ergo es mihi aquam viuam daturus? Si cuius Iudeorum Christus id ipsum dixisset, subito indignatus exclamasset Christum esse hominem plurimis verbis iactabundum, insanę mentis virum, & (vt ita loquar) delirum: quem mulier non derisit, neque ob responsum illius est quicquã cauillata. Sed mirabatur eum posse meliorẽ dare aquam ea quæ à riuulo viui fontis scaturiebat, cui honorificè ait: *Nunquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum, & ipse ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius?* Sanctus patriarcha Iacob fuit in summa veneratione apud Iudæos & Samaritas, & meritò quidem: cum esset vir omni

Gen. 32. ex parte absolutissimus. Qui Deum facie ad faciem viderat, & luctans cum eo victor euaserat. Quod hunc effodere illis puteũ fecisset, ex quo tum ipse, tum filij, tum pecora eius biberãt, credidit mulier, aquam non esse vicinam ista meliorem. Quòd ipsa Dei filio patriarcham Iacob præferre visa sit, ex aquarum differentia illam Christus meritò arguit. Quid simile nobis aliquando contingit, qui meliora ab hominibus, quàm à filio Dei expectamus, atq; cœlestia rebus transitoriis nõ præponimus, de cœlestibus promissis vt cùnq; diffidentes. Amantissimi diffidentiam huiusmodi à cordibus nostris euellamus,

lamus, credentes quicquid Christus loquutus est verum esse, & eum potentem gratiæ aquam nobis elargiri, omnibus aliis longè meliorem. De qua sequitur: *Omnis qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum, qui autem biberit ex aqua quam dabo ei, nõ sitiet in æternũ: sed aqua quam dabo ei, fiet fons aquæ salientis, in vitam æternam.* Contemplemur igitur quomodo dulcis & misericors dominus, mulierem benignè & dulci sermone induxit, huiusmodi aquam petere. Primùm meminit se potentem dare aquam longè meliorem illa, quam patriarcha Iacob dedit. Inde turbata non fuit mulier, sed tantò plus scire concupiuit, vndè aquam hauriret. Nunc vltra modum mirata est dicere audiens, quod illa fieret fons in eo qui ex ea biberet, saliens in vitam æternam, neque sitiret in æternum. Videamus quomodo vnum fuit sub alio ostensum. Quemadmodum duplex est aqua, vna enim ex lateremundã scaturiens verè sapida, alia verò in profundo putei diu quiescens, nõ modò insipida, verùm etiam temporis progressu putrida. Similiter est aqua gratiæ hos iustificans, est aqua vitij illos inficiens. De vtrâque mulier bibit, ex aqua gratiæ non sitiuit in æternum, de aqua fœtoris luxuriæ biberat, vndè adhuc sitiens erat. Amantissimi, donum gratiæ à Deo postulemus, dicentes ei cum psalmista, Sitiuit anima mea ad te *Psal. 42.*

Pfal. 42 fontem viuum, sicut ceruus canum latratu in-
fectus venire ad fontes aquarum desiderat, ita
nos ad te Deus. Si in oratione perstemus di-
Ezec. 36 cet nobis internè Dei spiritus: Effundam super
vos aquam mundam, & mundabimini ab om-
nibus inquinamentis vestris. Et aquas verè
putridas gustare caueamus, quas bibunt luxu-
riosi homines. Iuxta illud prophetæ. Fode-
Hier. 2. runt sibi cisternas dissipatas, quæ aquas con-
tinere non valent. Hæc carnis ardorem ad
tempus refrigerant, sed eam ex consummato
opere magis ac magis inflammant. Ideo rectè
dictum est, qui biberit ex ea sitiet iterum. No-
bis exemplo sit mulier ista quæ quinque vi-
ros habuerat, & impurum scortatorem domi
nutriebat. Longè præstat gratiæ aquam bibe-
re, quæ labes animi purgat, desyderia carnis
quibus offenditur Deus mortificat hortum
mentis humanæ irrigans vt fructus salutare
producat, quæ hominem salire facit in vitam
æternam. Quod autem dictum est bibentem
ex gratiæ aqua non sitire in æternum, vide-
tur cum alio pugnans quo Ecclesiastes ait, de
eadem gratiæ aqua loquutus. Verba eius sunt:
Eccl. 24 Qui bibunt me adhuc sitient, & qui comedunt
me adhuc esurient. Ne nesciamus ea esse con-
sona animo reuoluamus donum gratiæ in præ-
senti vita datum eius naturæ esse, vt in nobis
desyde-

desyderium pariat multo abundatius quid ha-
 bendi. Ideo rectè dictum est, qui bibunt me ad-
 huc sitient. Qui verò in statu gratiæ vltimum
 diem clauserit, ad æternum beatitudinis refri-
 gerium deductus non sitiet in æternum. Iuxta
 illud propheta. Satiabor cum apparuerit glo- *Psal. 16.*
 ria domini. Ideo donum gratiæ quod nobis
 viatoribus datur, in sanctificatis consummatũ
 erit: quando in Deo, tanquam in fine vltimo
 quiescent. Sitis, fames, labor, æstus, eis non no-
 cebunt. Mulier hæc audiens visa fuit longè pru-
 dentior Nicodemo principe Iudæorum. Au-
 dierat Christum dixisse oportere nasci denuo,
 de diuinis promissis vtcúnque hæsitauit dicēs:
 Quomodo fieri potest vt homo in ventrẽ ma- *Ioan. 3.*
 tris redeat vt renascatur? Mulier autem Chri-
 sto fisa dixit ei: *Da mihi hanc aquam bibere, vt non
 sitiam, neque huc haurire veniam.* Ipsa de aqua sa-
 piētiae salutaris, è fonte dominici pectoris pro-
 fluente iã gustauerat, vndè Iudæos in fide præ-
 celluit. Ipsi Iesum viderant dæmonia eiicien-
 tem, infirmos curantem, cui tandem patriar-
 cham Iacob prætulerunt: contra mulier non
 solùm illi continuò credidit, verum etiam pau-
 lò post est munere apostolico functa, quoniam
 suos conciuēs ad Christum adduxit. Nostra-
 rum partium erit, amantissimi, hanc synceris
 affectibus animæ & corporis imitari, gratiæ

Psal. 62. aquam à Christo efflagitare, atq; illi cum propheta dicere: Sitiuit ad te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea: & sitiet in æternū, nisi biberit ex riuulo, qui à latere tuo, tempore passionis exiuit, homines faciens salire in vitā æternam. vbi inquit propheta: Melior est dies vna in atrijs domini, super millia. Vnde dicebat idem propheta: Vnam petij à domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo domini, omnibus diebus vitæ meæ. Et clamans aiebat: Beati qui habitant in domo tua domine, in secula seculorum laudabunt te. Et iterum in eodem psalmo. Elegi magis abiectus esse in domo dei mei, quàm habitare in tabernaculis peccatorū.

Da mihi domine hanc aquam bibere ne sitiam in æternum. Priusquàm benignissimus Iesus eam mulieri communicarit, virum suum vocari voluit, dicens ei. *Vade, voca virum tuum & veni huc. Respondit mulier & dixit ei: Domine virum non habeo.* Hoc probè sciebat Iesus, cur ergo eum vocare iussit, quasi nō esset rem maximi momenti absente marito mulieri communicaturus, ab ore illius confessionem extorquere voluit, se in nuptam esse. Ipsa se credens quemuis extraneū hominem alloqui, suum turpe crimen stupri dissimulauit, dicens: virum non habeo. Tunc Christus se cordis illius secreta nosse manifestauit, & turpitudinem illius arguit inquit

Bene

Bene dixisti te non habere virum. Quinque enim viros habuisti, & quem nunc habes non est tuus vir, sed clancularius scortator. Tunc mulier agnouit domestica turpis vitæ probra, licet occulta Christum non latere. Et mirabatur cum Iudæus esset & à Samaritanis nosse non potuisset. Verū tamen pudore muliebri confusa, ab eo non recessit, neque criminis iniuriam quouis modo retaliare voluit, aut quasi ab eo irritata non effugit multum contristata, sed turpem vitæ consuetudinem ei notissimam esse mirata est. Dic quæso Christi miles si noueris quoddam contumeliarum genus quod Iudæus in Christum non reiecisset? Nonne insaniens cum habere dæmonium criminatus fuisset? Ab istis omnibus prudens mulier se abstinuit, & ei loquuta est dicens. *Domine video quia propheta es tu, Patres nostri in mōre hoc adorauerunt, & vos dicitis quia Hierosolymis est locus vbi adorare oportet.* Cur eum esse prophetam denunciauit mulier, nisi quod prioris vitæ turpitudinem illi detexerat quam neminem scire nisi Deum, vel eo reuelante credidit. Ne eadem aut similia denudaret eum aliò transfere curauit, quæstionem de vera religione proponens, eo temporis quasi inexplicabilem. Quoties peccatorum stimulis angimur, ne in tentationem inducamur ad diuinarum rerum intelligentiā conuertamur, & cum

his qui nos quæ ad salutem informare possunt, verba faciamus, vel sacras conciones ad eam, Meridiano etiam tempore huius mulieris exemplo, quæ æstu solis ardentissimo impediri non potuit, quin Christum obiurgatorem suum patienter audierit. Nos ergo pudeat in istis pigros fuisse, quòd noluerimus sub umbra, salutis verba audire: contrà in foro tota die desides adstitisse. Ideo mulier de monte Garisin loquuta est, quòd in eo venerandus patriarcha Iacob in honorem Dei Viuentis altare erexerit, & fundens oleum desuper nomen Dei inuocarit dicens: verè locus iste sanctus est. Atque dicebatur locum hunc Moysen ad diuini cultus usum elegisse, & antiquos patriarchas in eo veratos esse, & populo benedixisse. Ideo Samaritæ credebant Deum alicubi non esse sanctius quàm in eo monte adorandum. Quod autem sapiens Salomon Hierosolymis templum ædificarit, quod Deus die dedicationis & visitauit & sanctificauit, omnes Iudæi deum precaturi ad illud confugiebant. Itaque in diuino cultu impendèdo, erant Iudæi & Samaritæ dissentientes. Iudæi enim in templo manu facto illum adorabāt, & Samaritæ eos irridebant, qui in aëre libero excelsisq; locis hostias Deo immolabant. Vtrâq; gens fuit ritibus suis ad eò delectata, vt alterius religionem contempserit. Ideo mulier quæstionem

nem præmemoratam Christo proposuit. Cui ipse respondit: *Crede mihi: quia veniet hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitur pater.* Sicut cessarunt Iudæi Deum Hierosolymis adorare, quando in vindictam mortis Christi vrbe eorum à Romanis obfessa funditus corruit, & facti fuere in orbem vniuersum exules: Etiam Samaritæ in monte Garisin Deum colere cessarunt, & audita Apostolorum prædicatione, veri adoratores facti, vnum Deum in substantia, & trinum in personis adorarunt. Et hoc fuit in spiritu & veritate Deum patrem adorare. Cui Christus iterum ait: *Vos (Samaritæ) adoratis quod nescitis: nos autem (Iudæi) adoramus quod scimus. quia salus ex Iudæis est.* Venerat hora in qua verum adorationis cultum Samaritæ cognoscerent, quem hæctenus nesciebant: quoniam cum veneratione vnus Dei idola colebant. At Iudæi in hoc Samaritis præstabant, quòd soli Deo diuinos honores impenderent, neque cultum illius, communionem idolorum contaminabant. Edocti à lege & prophetis, celebres ac diuinos ritus soli Deo offerebant. Igitur quanto vmbra cædit luci, & veritas maior est figura, Iudæi Samaritas in diuino cultu impendendo antecellebant, à quibus diuinæ legis primordia habuerunt. Veri adoratores Deum patrem cum filio & spiritu sancto ado-

rantes, cum Deus sit spiritus per eos qui eum adorant in spiritu & veritate adorandus est. Ex particula textus qua dicitur, Deum in spiritu & veritate adorandum esse. Nonnulli dicere ausi sunt omnem externum & visibilem cultum ex toto abrogatum fuisse. Sicut per legē gratiæ sacri ritus Mosaicæ legis antiquati sunt & iudicialia penitus cessarunt. Quòd eorum obseruatores Christus reprehendit, qui Deum vel in monte Garisin, vel Hierosolymis in templo adorabant, cùm sit totius orbis dominus vbique gentium adorari cupit. Non in templis manu factis quasi indigens aliquo, sed in spiritu & veritate. Quod Christus superstitionem vtriusque gentis arguerit, consequens nõ est quod sacros ritus, celebres quoque ceremonias noluerit obseruari. Quæ pij pectoris interiora in laudem illius & proximorum ædificationem manifestant. Quod mulier se viderit Christi verbis multum implicari, nescia quid amplius respondere posset ait illi: *Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus. Cùm ergo venerit, ille nunciabit nobis omnia. Dicit ei Iesus. Ego sum, qui loquor tecum.* Audierat ipsa Messiam à lege promissum inter Iudæos conuersari, quem ad Samaritas venire sperabat, & plenissimè nunciaturum quæ de vero cultu impendendo obseruanda essent. Christus huiusmodi piam mulieris

lieris credulitatem benignè excepit & adiu-
 uit . Vndè factum est , vt fides illius paula-
 tim incrementum habuerit . Priùs enim cre-
 diderat suæ nationis inimicum , dicens . Cùm
 tu Iudæus sis , cur à Samaritana bibere pos-
 cis ? Quem paulò post venerata est . Porro pro-
 phetam nominauit , postremò esse verum Mes-
 siam agnouit : quia qualis & quantus erat , se illi
 manifestauit dicens : *Ego sum qui loquor tecum .*
 ne ipsa ob singularitatem personæ illius ali-
 quatenus dubiraret . Continuo venerunt disci-
 puli eius , & mirabantur quia cum muliere loque-
 batur . Nemo tamen dixit ei : *Quid queris , aut*
quid loqueris cum ea ? Quoniam nihil mali de
 eo suspicati sunt , quem sciebant purissimum
 esse : sed mirabantur benignitatem illius , cum
 muliere Samaritana loquentis . Ipsa suauita-
 te sermonum eius non dico potata , sed a-
 bundè inebriata , Hydriam suam illic reli-
 quit , & in ciuitatem reuersa suis conciuibus
 dixit : *Venite & videte hominem qui dixit mihi*
omnia quacùnque feci . nonne ipse est Christus ?
 Haustum aquam venerat ex puteo patriarchæ
 Iacob , & eam Christus meliorem petere mo-
 nuerat , & se daturum promiserat . Nunc pro-
 missis stetit , vt iam egregiè potata vas suum
 quod terrenum erat ibidem reliquerit . Misti-
 cè adumbrans mundi diuitias & carnis deli-

tias, ipsam diuino amore flagrantem propter Christum spreuisse & contempsisse. Cur sitans ipsa proximos ad gratiarum fluentia inuitauit, Factaque est diuini sermonis nuncia. Amantissimi huius mulieris exemplo, nos qui per sacrum baptismam sumus dona cœlestis gratiæ assequuti, ea quæ sunt mundi per hydriam adumbrata diuinis postponamus: confratres nostros ad Christum accedere moneamus, & pro virili eos attrahamus, vt nobiscum fiant cœlestis vitæ participes, quemadmodum hæc mulier conciuēs ciuitatis Sychen sua prædicatione ad Christum attraxit, dicens illis: Venite & hominem admirandum videte, in hac regione non conuersatum, & hospitem nouum, qui tamen omnia quæcunque feci, mihi reuelauit. Cur eum esse prophetam à lege promissum nõ intimauit illis, vt ad eum velocius properarent? Sicut per Christum fuerat ad fidem paulatim adducta, pari modo alios ad piam credulitatem adducere cupiebat. Quos rogauit ad illum venire, adiiciens, fieri potest quod eum agnoscetis verum prophetam à lege promissum. Eos mallebat tantæ rei periculum facere, quàm suis simplicibus verbis credere, ne eam in posterum existimarēt vanā apostolā fuisse. Quod per totius ciuitatis vicos huiusmodi sermones publicarit. *Exierunt multi de ciuitate, & veniebant*

ad

ad eum. Interea rogabant eum discipuli dicentes: Rabbi, manduca. Dicit eis: Ego cibum habeo manducare quem vos nescitis. Ipse ex corporalibus cibis occasionem captavit discipulos de spirituali exercitio eorum salutis informandi. Quid per cibū intelligebat, quē dicebat esse ab eo manducandum, nisi conuersionem infidelium? Venerat enim Samaritas sibi ex fide & amore diuino incorporare. Quòd discipuli non caperent Samaritanorum salutem per cibum adumbrari, mirabantur eum dixisse, habere cibū quem nesciebant, sed ex dominicis verbis nullatenus offensi fuere, verū adinuicem dicebant: Nunquid aliquis attulit ei manducare? à quo tēpore absumimus: neque enim pro reuerentia vltterius interrogare audebant. Quālis erat cibus de quo loquutus fuerat, reuelauit. Et dixit eis Iesus: *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me, & perficiam opus eius.* Audientes amantissimi discipulos sub disciplina Christi eruditos, non intellexisse salutis verbum per cibum corporale adumbrari, vltra nō miremur, si mulier Samaritana capere non potuit gratiæ donum per aquam effigiari. Christus hæc referēs iuxta corpus verè esuriebat longo itinere fatigatus: sol enim ad vespeream vergebat & ieiunus erat: sed verbum salutis enunciare longè magis erat illi cordi, quàm corporeum cibum sumere: quo-

niam ad hoc in mundum venerat. Admiratus
discipulorum tarditatē, quos aliās arguit cum
Mat. 15. Apostolo dicens: Adhuc sine intellectu estis,
cū deberetis esse magistri: rursus indigetis ut
Heb. 5. doceamini quæ sunt elementa exordij sermo-
num Dei. Eos non docuit per sermonum anfra-
ctus, aut sub verborum inuolucris sicut mulie-
rem docuerat, sed apertè erudiuit cibum quem
esuriebat esse voluntatem eius facere qui misit
eum. Ut ipsi mentem eius planè caperent, pa-
rabolam messis fructuum apprimè commodū
recensuit inquit: *Nōne vos dicitis, adhuc qua-
tuor menses sunt & messis venit. Ecce dico vobis: Le-
uate oculos vestros, & videte regiones, quia alba sunt
iam ad messem.* Ac si illis planius diceret: In ver-
no tempore coloni multas messes colligere cu-
pientes, curiosè prospiciūt, quando segetes in-
flauescunt, aristæ albescūt, & ad messem dispo-
nuntur: ut opera messorum, & instrumēta præ-
parent: quantò magis vos decet ea quæ ad mes-
sem domino colligendam utilia sunt præpara-
re, quos spes maximi prouentus amplissimè re-
posita in cœlis, nō dico commouere, sed vrgere
debet. *Et qui metit mercedem accipit, & congregat
fructum in vitam æternam, ut & qui seminat simul
gaudeat & qui metit.* Paulus istud declarās dicit:
Dei agricultura estis, vnusquisq; mercedem ac-
cipiet secundum suum laborem. De his loque-
batur

batur qui fructus in vitam æternam colligunt aut seminant. Illic gaudebunt gaudio magno. Vt parabola sensus magis pateat dicamus qui fuere huius messis seminatores & collectores. Prophetæ aduentum veri Messia nunciantes, salutis verbum seminarunt. Apostoli Messiam venisse & mundi redemptorem esse nunciâtes, quod à prophetis seminatū fuerat & quasi maturum, falcem ac trituram requirebat collegerunt: quia in labores aliorum introierunt. Cōmuni omnium iudicio fuere tantò beatiore, quantò rem per alios prosperè tentatam ac fœliciter præparatam perficientes, minus laboris sustinuerunt. Qui fructus colligunt quos etiam præsens commodum ad opera allicit præ illis qui seminant, & non colligunt. His adde quod nouissimè vocati, æquales pro labore denarios acceperunt cum his qui seminauerant. Veruntamen agrorum dominus nemini iniuriam intulit, faciēs vt qui seminavit & qui metit simul gaudeat, Christus hic est, qui discipulos regnū Dei prædicare misit dicens: *Ego misi vos metere quod non laborastis, alij laborauerunt, & vos in labores eorum introiistis.* Auditum est prophetas fuisse diuini verbi seminatores, & apostolos collectores, tantò beatiore, quantò minus laboris & plus præmij habuerūt. Quod prophetæ plus laborarint agricultura nos docet: quoniam vt

ager ad fructus vberes præparetur, est primum lætamine stercorendus, demum tellus aratro proscindenda, sunt glebæ sarculo comminuenda, semen in terram iaciendum & in ea occulendum, zizania sollicitè euellenda ne crescentia optimos fructus suffocent. Maturæ autem segetes sine magno negotio à messoribus colliguntur, & tædiū laboris multum minuit præsens fructuum copia. Ideo pulchrè dictum est apostolos fructuū quos non seminauerant collectores prophetis beatiores esse. Quos Christus omnia relinquere hortatus fuerat. Quoniā tempore messis cūcta negligunt messorum quo fructus in horreum domini diligentius reponant. Erunt enim fructum in cœlis percepturi tantò ampliorem, quantò plures domino fructus offerrent. Qui dixerat illis: Videte regiones quæ albescunt ad messem. *Et viderunt quòd ex ciuitate ista, multi Samaritanorum in eum crediderunt, propter verbum mulieris testimonium perhibentis: Quia dixit mihi quacūq; feci. Et rogauerunt eum vt ibi maneret & mansit illic duos dies, & multò plures crediderunt in eum propter sermonem eius.* Plures causas referunt antiqui patres, cur Christus duos dies illic tantum mansit. Primum sciebat Iudæorum inuidiam in Samaritanos commotam esse maximam: & noluit abundantius eam inflammare: quod utiq; fecisset, si cum illis diu perman-

permanfisset: & Iudæi dicere potuiffent fe ab eo
 fpretos, qui apud gentes incircuncifas diu com-
 moraretur. Neque tempus aduenerat verbum
 falutis nunciare æthnicis hominibus, quod Iu-
 dæis priùs nunciandum erat. Quare duos dies
 integros illic manfit, neque ampliùs, piam Sa-
 maritanorum credulitatem corroborans, atq;
 eos monēs Deum & proximum diligere, vt ge-
 mina lampas eorum coram Deo luceret. *Dum
 illic commoraretur, multò plures crediderunt in eum,
 propter sermonem eius. Et mulieri dicebant quia iam
 non propter tuam loquelam credimus: Ipsi enim audiui-
 mus & fcimus, quia hic eſt verè ſaluator mundi.* In
 quibus reluxit vera fidei ſimplicitas, omnibus
 philoſophorū argumentis præferenda. Ex qua
 enim cognouerūt non modò eſſe Meſſiam à le-
 ge promiſſum, ſed totius mundi ſeruatorem.
 Amantiſſimi hiftoria mulieris Samaritæ vobis
 nunciata fuit, vt quemadmodum Chriſtū be-
 nignè audiuit, in prioris vitæ dedecora obiur-
 gatorem pium, quem confefſa eſt prophetam à
 lege promiſſum, à quo gratiæ aquā ſalientis in
 vitā æternā poſtulauit, & impetrare pmeruit.
 Ex qua ſemel guſtata deſipuit in ea carnis volu-
 ptas: quā hydria effigiauit, & ad pedes Ieſus reli-
 quit. Suos omnes cōciues, ad ſalutis authorē ac-
 ceſſiuit. Quam imitemur, quo fructus cœleſtis
 vitæ nō minus vberes, q̄ ſuauiſſimos colligam⁹.

S A B B A T O

*Homelia sabbati post tertiam dominicam
quadragesimæ. Ioannis octauo.*



Errexit Iesus in montem Oliueti & diluculo iterum venit in templum. Benignissimus Iesus appropinquante hora suæ passionis frequentius solito Hierosolymam venit, concionem populo daturus, & se per admiranda suæ diuinitatis opera declaraturus Dei & hominis filium. Circa diei vesperam in Bethaniam ibat domum Lazari & sororum eius. Iuxta consuetum morem serò in montem Oliueti perrexit, & ad solis ortum ad templum summo mane rediit. Hoc enim vocabulum *diluculo*, vbi peccatricis mulieris historia narratur. Quam Chrysostomus sacræ scripturæ interpres disertissimus, suo non reddidit illustrem commentario: saltem cum inter opera eius reperta non fuerit. Crediderunt nonnulli eam inter Ioannis opera numerandam non esse: quoniam Augustinus, & quotquot sunt Latini interpretes operum Ioannis, illam inter alia numerarunt, & suo in loco commentati sunt. Eam inter Ioannis opera numeremus. Quid enim est eo argumento puerilius, quo dicunt eam Chrysostomum suo non illustrasse commentario? Quare inter Ioannis opera numerari non debet. Ad explanationem eius descendamus. Christus diluculo in templum

plum veniens manifestavit qualem dominici gregis sollicitudinem habuit, quódque omnes saluos fieri cupit. Et rectè quidè legitur in montem Oliueti venisse, priùs quàm mulier peccatrix suo iudicio sisteretur. Quoniã mós Oliueti aptè admodum illi cõgruit, de quo in Canticis legitur: Oleum effusum nomen tuum. Et Ozias *Can. i.* ait: Erit quasi oliua gloria eius. Est quoq; oleũ *Oseæ. 14* oliuarum dulce. Vnde psalmista inquit: Dulcis est dominus vniuersis, suntq; miserationes eius *Psal.* super omnia opera illius. A quo tanquã ab oliua fructificante oleum diuinæ miserationis effluit. Cuius liquor, quocúnq; in loco fusus est, sua permixtione dolentibus mēbris, id est, peccatorum molè fessis leuamen confert. Quando Christus à monte Oliueti in templũ venit, misericordia & veritas obuiauerunt ei, iustitia & *Psal. 24* pax eum osculatę sunt. Prout nos docebit iudicium super adulteram datũ. *Et omnis populus venit ad eum: & sedens docebat eos.* Cur ad eum venit nisi quòd die præcedenti concionem habuerat tanta cum audiētium admiratione, vt milites, quamuis sæuissimos ad hoc vt eum comprehēderent missos vsq; ad eò exterruerit, vt ne verbũ quidem vllum ei dicere ausi fuerint: Sed ad dominos reuersi, narrarũt alium neminem audiuisse sic loquutum. Huius concionis rumor per varia ciuitatis compita sparsus, in caussa fuit,

omnes in templum diluculò venisse. Et vt eum commodiùs precarentur erant per diuerfa tépli loca diffusi. Quando Christus ingreditur templum, ante sedē concionatoriã omnes cõuenerunt. In quã ascendit, & sedens docebat eos. Videamus quid in sensu morali ascensus vel descensus Christi, & sessio eius adumbrat. A morte resurgens, cœlos ascendit, tantò excelsior angelis factus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit. Qui à cœlo descenderat formã serui accipiens, & in terra nobiscum sedit, ab angelis minoratus. De quo Paulus ait: Semetipsum exinaniiuit, formam serui accipiēs: q̄ sit iudicis officiũ sedere. Vnde Pilatus benignissimũ Iesum morte turpissima mori condēnaturus, sedit pro tribunali, in loco qui dicitur lithostratos. Et Moyses populũ Israël iudicaturus sedisse legitur. Cũ ergo esset Christus iudicis officio functurus, vt ream mulierem è manibus inimicorũ liberaret sedit. Quid sedens concionatus est me fugit. Quod verò tempus esset propinquum in quo erat ex hoc mundo transiturus ad patrem, creditur quòd neq; præsentia inimicorum animam eius ad mortẽ quærentium, vel ex intentatis insidiis eorũ perterritus fuerit, quin sceleratas inimicorum conspirationes manifestarit. Cui omnia cordium interiora patent. Et populus eũ tantò libentiùs audiebat, quantò eloquia
eius

eius erant dulciora, & quasi aurum vel argen-
 tum examinata & centies proba. Et cum audi-
 re lætabantur, iuxta illud prophetæ. Audiant *Psal. 33.*
 eum mansueti & lætentur. Interea dum popu-
 lus verba salutis audiret, quid sui osores moliti
 sint paululum contemplemur. Quantò plus
 populus mirabatur ex verbis gratiæ ab eius ore
 profluentibus, tantò ipsi dentibus suis striden-
 tes magis in eum fremebant. Et vndè gratulari
 debuerunt, occasionem illum criminandi tan-
 quam legis hostem captabant. Ex lege didice-
 rant de vero Messia scriptum: Intende prospe-
 re, procede & regna propter veritatem man-
 suetudinem & iustitiam, deducet te mirabili-
 ter dextera tua. Duas partes huius prophetiæ
 ab eo consummatas esse prospiciebant, quia in
 carne veniens veritatem attulit & eam omni-
 bus communicavit. Vndè Iudæis dicebat. Si
 veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?
 Qui ex Deo est verba Dei audit. Cum peccato-
 ribus & publicanis conuersatus misericorditer
 egit, eos ad pœnitentiam prouocans. Vndè ait:
 Quid est, misericordiam volo, & nõ sacrificiũ. *Osee. 4.*
 Sed iustitiam in diem vltimi aduentus exerce- *Mat. 9.*
 re distulit. Ideo dicebat. Non veni vt iudicem *Ioan. 12.*
 mundum, sed vt per me saluus fiat. Rursus dum
 ex insidiis inimicorum fuit variè impetitus à
 veritate non recessit: & inter omnes mansuetu-

do illius effulsit. Ideo in solis iustitiæ officiis eū tentare proposuerunt dicentes: Si mulier insigniter peruersa, per nos in delicto adulterij cōprehensa fuerit, ad eum adducatur: quòd sit misericors, eam dimittere impunitam iudicabit, qua virtute benignitatis omnes eum commendant. Hinc nobis dabitur occasio iudicandi eum nostræ legis aduersarium. Ex huiusmodi inuento omnium pessimo latabantur, sperantes eum comprehendere, & communi sententia omnium, lapidibus obruere. Contigit autē mulierem in adulterio deprehendi. Vnde sequitur: *Adducunt autem Scribæ & Pharisei mulierem in adulterio deprehensam, & statuerunt eam in medio, & dixerunt ei: Magister, hæc mulier modò deprehensa est in adulterio.* Istud crimen est corā Deo & hominibus multum graue: quòd sine Dei offensa & proximi non committitur. Mulier enim quæ virum ad se concupiscendam adduxit, iam in corde suo moechata Deum offendit, & proximum cuius corpus nefario aspectu maculat. Vnde lex statuit, eam in crimine adulterij deprehensam lapidari. Hæc scientes amantissimi, vitiosos affectus animi concipere caueamus, ne in nobis mortiferos partus generent: ex quibus mereamur non solum lapidibus obrui, sed igne eterno comburi. Mulierem itaque in adulterii crimine deprehensam, ad
Christum

Leuit.

20.

Deu. 22

Christū adduxerūt dicētes: Magister. O captio
sa veneratio! O simulatum venenatę mētis ob
sequiū! Quā enim pręceptorē esse proficebātur
ad mortē captabant, sed versutia corū nihil ad
uersus dei sapientiam pręualuit, vt sequētia nos
docebūt. vocabulū (modò) astutē nimis ad di
derūt, timētes Christū velle opportunitatem
quærere mulierē liberādi, dicendo quòd spa
tium habuerit ex legis decreto, se purgandi. Ipsi
eam adducētes inuicem dixerunt: In medio
omnium ponatur, vt videant omnes & singuli,
quid de ea statuet. Si legis decretum seruare ius
serit, tanquam suę benignitatis, clementiæ &
commiserationis oblitus contemnetur à popu
lo. Ex aduerso si eam nō esse lapidandam pro
nunciarit crimen legis violatę in eum inten
demus, & populo inuisum faciemus. Porrò eā
in medio statuerunt & se legis obseruandę stu
diosos, & vehemētes in criminosos finxerunt,
qui tamen nihil minus prę oculis, quàm iusti
tię zelum habebant. Cur cum muliere rea, a
dulterum ipsum non apprehenderunt, Chri
stóque pręsentarunt? Dicitur possēt eos vel pecu
nia corruptos eum dimisisse, vel ex magna a
nimi malitia voluisse istud crimen in ali
quem discipulorum Christi transferre. Ne
Christus illam à mortis periculo ex ignoran
tia legis liberaret, nō solūm verba legis, sed au

thorem, scilicet Moysen citarunt dicentes: In lege nostra Moyses mandauit nobis hanc lapidare. Tu ergo qui misericordiam super omnia extollis, quid de ea faciendum esse dicis? Quod consilium ab eo suddolè quærent, euāgelista in sequentibus manifestauit dicens:

Hoc autem dicebant tentantes eum. Vt possent accusare, & ex suo responso criminis violatæ legis reum agere, exposita criminis infamia, & querela ad plenum audita. *Inclinans se Iesus deorsum digito scribebat in terra.* Fuerat diu multumq; à Pharisæis expectatum quid de muliere reafatuere vellet. Quibus nihil respondit: ne illis anam calumniæ subministraret. Sed virtute digiti quo fuerat lex Moysi scripta, eo in terram scripsit: vt eum crederent esse illum qui legem

Exo. 21. instituit, & Moysi dedit. A venerandis patribus referuntur variæ rationes cur digito in terram scripsit. Quarum aliæ videntur aliis firmiores. Sunt tamen omnes piæ ac venerabiles. Impiis iudices monuit, antèquàm sententias pronunciant, diu & multum prospicere quid reatum est. Porrò illud literis mandare ipse quem non latent opera hominum, priùsquam Sodomitas iudicaret ait: *Descendā, & videbo, si vera sunt quæ de illis audiui.* Itaque debent iudices partibus terminos sufficiētes assignare: vt actio rei intētatæ, legitimis mediis præparetur. Seruato

uato autem omni ordine iudiciario, & inquisitione veritatis ad plenum facta, quæq; dubia per eos examinentur, atq; scribantur, exemplo Christi digito in terram scribentis. Interea partibus spatium dimittant lites componendi: si perseverauerint vt iustitia illis administretur, sententia scriptis pronuncietur. Cur ante pronunciationem illius differre voluimus ad certū tempus, nisi quia stulto, vbi primū loquitur, aut aliquid inuestigat satisfaciendum non est: sed multò prudentiùs cum eo agitur, temporis opportunitatem expectando. Nobis exemplo sint scribæ & Pharisei operum Christi calūniatores. Ex eo insolentes erāt quòd Christus sententiam pronunciare distulerat. Tandem ex ea nunciata quasi mucrone percussi fuissent erubescens exierunt. Si homines recti cordis fuissent, se agnouissent multò sceleratiores ream muliere, quam ante conspectū Christi adduxerāt, & ab incœpto opere cessassent. Iterū Christus subindicauit magnū discrimen esse legis vtriusq; vel suæ vel Mosis. Sicut illa fuit hominibus duræ ceruicis ministrata, etiā in lapidibus duris descripta est. Lex autem Christi in cordibus humanis impressa est: quòd ipse per Hieremiam promiserat sub his verbis: Dabo legem meā in visceribus eorum, & in corde scribam eā. Sicut inquam nomina eorum qui legem seruabūt in

Hier 31

Luc. 10. cœlis scribentur, iuxta illud: Gaudete & exultate, quoniam nomina vestra in cœlis scripta sunt. Quid simile de impiis in inferno, de quibus in Hieremia legitur: Recedentes à te in terrâ scribentur. Christus in terram scribēs, eos latēter monuit, prius digito discretionis notare oportere, quàm proximos iudicare. Idcirco nos ad proximorum malefacta iudices constituti, prius quàm ad pœnas illis imponendas procedamus, ad nostræ mentis interiora veniamus. Prospiciētes si quid in illis est Deo creatori nostro displicens, ut primùm de nobis quàm de proximis iudiciũ faciamus, & iustitiã exerceamus. Alioqui de nobis appositè dicitur quod

Rom. 2. Paulus ait: In quo enim alterũ iudicas, te ipsum condemnas: eadē enim agis quę iudicas. Quod prospexerit benignissimus Iesus assistētes Scribas & Phariseos diu expectasse quid dicere vellet, tandem se erexit, & illos tacitè monuit legere quod scripserat. Istud facere parũ curarũ: ideo erexit se & dixit eis: *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidẽ mittat.* Hęc benignissimi Iesu sententia iugiter est memorãda. Quæ nos monuit prius proximorum errata non cõdemnare, quàm nostra iudicare. Iuxta illud Ciceronis venustè dicētis: Carere debet omni vitio, qui in alium paratus est dicere. Pœna legis malefactoribus imponenda est, sed per eos qui

eodem

eodem non laborant morbo. Erátq; mulier la-
 pidibus obrui digna, sed non decuit eá ab adul-
 teris hominibus & sacrilegis pœnam subire.
 Christus hæc proferens eos ad eò stupidos red-
 didit, vt prorsus nescirent, quò se vertèrent. Hac
 in re fuit apibus persimilis, quæ sibi aduersantes
 acerbè pungunt. Et per araneorum fila transeû-
 tes non læduntur. Similiter ipse Scribarum &
 Phariseorum malitiam confutauit, neque reti-
 bus eorum comprehensus fuit. Adulteram la-
 pidare non iussit, qui in mundum non venerat
 peccatores iudicare, sed seruare. Neque eam à
 pœna legis liberauit ne inimici eum iniustitiæ
 arguerent. Quod ait: *Qui sine peccato est, mittat*
in eam lapidem. Fuit ciuilis iustitiæ, etiam & di-
 uinæ æquitatis eam liberare: vnde apparuit &
 mitis & iustus. *Iterum se inclinans scribebat in terra.*
Et audientes hæc vnus post alium exhibant, incipien-
tes à senioribus. Quasi omnes seruato ordine de-
 centi notasset seu redarguisset dicens: Noluit
 Moyse legem per vos peccatores administra-
 ri: sed voluit quod iustum est iustè fieri. Itaque
 vt habeamini legis faciendæ capaces, legem
 in vobis seruate. Et quando eritis innocentes
 manibus & mundo corde, ad lapidandam cri-
 minis adulterij ream, voto vnanimi concur-
 rite. Sunt enim legis præcepta, quæ Deum &
 nos respiciunt, imprimis obseruãda, postremo

quæ proximos concernunt illis administranda. Sicut manus luto maculatæ, nisi munden-
 tur superinductas vestibus sordes tergere non
 valent: vel oculi quos puluis grauat, in vesti-
 mentis aliorum maculas non prospiciunt: si-
 militer qui variis sordidantur vitiis, aliena cor-
 rigere non possunt. Post quàm Christus istis
 quasi quodam aculeo animos Scribarum &
 Phariseorum percussit, iterum se inclinavit in
 terram, malitiam eorum quasi execratus, qui
 vitæ sanctimoniam simulabant, & erant in la-
 psus alienos vltro modum oculati. Neque suos
 affectus verè corruptos, atque vltro citroq; pu-
 gnantes emendare curabant. In terram scribēs
 liberam eis facultatē exeundi quo vellent con-
 cessit. Quos diuina increpatione percussos, de-
 cuit diligenter exire, & nihil vltra eum posthac
 interrogare. Sicut abierunt vnus post alium,
 quid interim in terrā scripserit Christus dicere
 non valeo: quia diuersi doctores diuersa loquū-
 tur. Vt cū que conicere possumus, eum fecisse
 quasdam literarū figuras externo intuitu appa-
 rētes esse eiusdē speciei quibus occultā in didit
 virtutem deprehēdendi hæc crimina aut alia in
 accusatoribus, vel illa istis representandi. Quo-
 rum reminiscetes rubore perfusi, simul atq; ea
 legere possent, illicò exirent. Quid rursus im-
 portant verba, incipientes à senioribus, nisi
 quòd

quòd delictorū reminiscētia, in animos eorū
 irrumpens illos confundebat, & qui primitus
 peccauerant, eos in fugam primos cōuertebat.
 Clementiam benignissimi Iesu satis collaudare
 non valeo: qui peccata eorum assistentibus
 conspicua esse noluit. Sciebat affectus homi-
 num ad malum quàm ad bonum procliuiores
 esse. Ideo reuelatione eorum ad similia prouo-
 cari potuissent. Quare eos internè monuit in-
 trospicere quales erant. Cùm primùm verò se
 reos inuenerunt sine mora hinc recesserunt.
 Quòd occulta peccatorum recordatio eos tan-
 tum terruerit, cogitemus quid in die nouissimi
 aduentus de nobis erit: quando corā omnibus
 manifestabuntur non modò mala opera, quæ
 fecimus, sed turpes cogitationes nostræ reuela-
 buntur. Neque à loco iudiciali recedere lice-
 bit, quod tunc Scribis & Pharisæis concessum
 fuit. Sicut infelicitissimi erunt, quorum iniqui-
 tates ad pœnam imputabuntur. Etiam ter qua-
 tēq; beati, quibus Deus remittet iniquitatem
 peccati. Iuxta illud: Beati quorum remissæ sunt *Psal. 31.*
 iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Mu-
 lier in medio omnium coram eo assistens, qua-
 si infernales cruciatus passa, peccatoris consciē-
 tiam adumbrabat, quæ inconstans huc & illuc
 discurret, quasi nescia quid agere debeat, nemi-
 ne eam persequente: & quieta non erit, donec

ad illum confugerit, & delictorum condonationem ab eo consequuta fuerit, qui solus potens est hominem reddere mundum de immundo semine conceptum. Interea omnes qui cum muliere venerat, vnus post alium exierunt, incipientes à senioribus. Cur inquã, seniores primi recesserunt, nisi quod precipui authores fuerant Iesum dolo seducendi. Igitur diuina dispensatione permissum fuit, vt qui alios in malitia precesserant, primi recederent. Non solum mulierem plebeiis manibus lapidandam ad Christum adduxerunt, verumetiam ad mortem eum captabant, qui est vita nostra & dominus vite & mortis, proximisque noster omnium amantissimus. Igitur ex concepto mortis illius desiderio homicidæ erant. Ait enim Ioannes: Qui odit fratrem suum homicida est. Et longe grauius muliere adultera peccauerunt. Ipsa coniugem suum occidere non attentauerat, sed per carnis infirmitatem, illegitimè quidem & fœdè, viro non suo corpus suum communicauerat. Ipsi verò ex paratis peruersè insidiis, Christum ecclesiæ sponsum occidere volebāt. Quod si apud semetipsos pensitassent, quantum infirmi & fragiles erant, & in quot vitia prolapsi fuerant, quodue in maiora prolabi potuissent, nisi diuinæ commiserationis valida manus eis auxilio fuisset, ream mulierem ex tam proteruo respectu

respectu non dixissent. Verùm recordati propria fragilitatis, in eam mansueti & lenes fuissent: neque ad delicti emendationem tam clamorose & sine præuia cogitatione humanæ fragilitatis processissent. Quòd recesserint omnes qui peccatricem adduxerant, *Remansit Iesus solus, & mulier in medio stans.* Mihi videtur vocabulum solus in amplissima significatione appositum non fuisse, sed tantùm vt esset exclusiuum præsentia Scribarum & Phariseorum, qui mulierem persecuti fuerat. Quoniam si Christus cum muliere peccatrice solus remansisset, inchoatum prædicandi munus non continuasset. Quòdque etiam hîc dicatur: *Erat mulier in medio stans* bifariam exponi solet. Primò fuerat media inter duos sui criminis testes: quibus cum Scribis & Phariseis recedentibus, coram Christo sola astitit. Iterum dicitur *in medio*, id est, in dubio. Multùm enim territa fuit quod à benignissimo Iesu audierat: *Qui sine peccato est primus in illam lapidem iaciat.* Se illi dimissam prospiciebat, qui peccatum nõ fecit, à quo iustè lapidari potuit. Quare *in medio*, id est, in dubio erat. Quicquid est opprobrij & dedecoris internè patiebatur: quòd sub momentaneæ voluptatis auctoramento, in seruitutem vitij carnis verè ærumnosam inciderat, eius naturæ vt hominem reddat non modò pecudibus si-

milem, verumetiam suis, hircis, canibus & aliis animantibus inferiorem. Innumera secum incommoda adferens. Primum famam hominis terrena possessione multo digniorem maculat, omne patrimonium eius exhaurit, corporis vires attenuat, & valetudinem vehementer lædit, morbos penè innumerabiles parit ac foedissime nutrit, eosque incurabiles reddit, iuventutis florem præmaturè desiccatur, mentem hominis hæberat, quem à studiis virtutum euocat, pecorinumque prorsus reddit. Sit homo quantumlibet magnus, ubi primum fuerit cœno huius vitij inuolutus, quicquid cogitabit sordidum, petulans, ac spurcum erit. In istud crimen mulier inciderat: Quare in conspectu Christi stans, in dubio erat: & à præsentia illius non recessit, ad criminis obliuionem latibula quaerens. Iesum enim pium consolatorem inuenit, quæ Phariseos & Scribas crudeliores sæuis carnificibus iudices habuisset. Quare prudenter elegit, illis fugam capientibus, ante oculos benignissimi Iesu stare tamdiu, donec ab eo criminis indulgentiam consequuta esset. Ad quid nobis proponitur quantum dedecoris passa est hæc mulier, nisi ut ab eo crimine abstineamus, quo qui laborat Deum offendit, pios parentes contristat, amicis non credit, & familiares negligit, sua prodigit, aliena rapit, ad corporis perniciem

perniciem & capitis dolorem præpotat, stomachum cibo immoderatè sumpto grauat, sui iuris definit esse: quamprimum mulieris capistro sese totum committit, multò plus aloës, quàm mellis imbibit. Et mulier tãdem animum eius agit transuersum. Quid fœdus audiri potest simplici vocabulo fornicationis? quid inquam insanius eo adolescente, qui ante fores domus mulierculæ nocturnis horis adstat, & se supplicem illi constituit? Pro ea pallefcit, maceratur, modò illi ipsa blanditur, modò irascitur: & omnibus non dico ridendum se & vestimentis spoliandum, verùm & in gratiam illius mutilandum offert. Vbi quæso viri nomen? vbi faciei barba: vbi generosæ mentis vigor? Cur non prospicit quòd petulans fœditas huius criminis, est iuncta multis incommodis, & periculis obnoxia? Cuius blanda facies, malorum illuuiem secum adfert, & tandem mortis aculeum infert. Cùm delectatio eius sit verè momentanea, fumo fugacior, & vmbra inanior, fugiamus, amantissimi. Ad fugam illius nobis multùm proderit cibi & potus temperata mediocritas, & hominum eo crimine correptorum disiuncta conuersatio. Et non modò otiũ fugere, verumetiã animi vires honestis rebus exercere, nos quoque totos benignissimo Iesu consecrare postulãtes ab eo, vt dignetur spiritualibus ar-

mis nos munire, & nostri pectoris penetralia illustrare: Ne fœda libido verè spurca & homine libero indigna dominetur in nobis. Donec enim huius vitij affectus in nobis consenuerint, mens nostra inquieta erit. Quamprimum verò emortui fuerint, orietur in nobis tràquilla iuuentus vitæ innocenti, omnibus votis expeten-

Gal. 5.

da. Cùm dicat scriptura, quòd caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus carni reluctatur. Nunquam consensus in nobis erit per omnia perfectus, sed atrox pugna carnalis concupiscentiæ, cõtra spiritum aliquoties renouabitur, illum ad mores suos attrahere concupiscens.

2. Cor.

12.

Quod Deus ob fidei meritum permittet: qui Paulo eum roganti stimulum carnis auferri ab eo, ne illum amplius colaphizaret, ait: Sufficit tibi Paule gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Vidésne Christi miles quid maximè nouum? Scilicet hominem infirmari, & stimulo carnis ad turpia sollicitari permitti, vt in Deo solidior fiat? Ideo enim à concupiscentia carnis angitur, ne ex operibus suis superbiat. Sicut Paulus semel iterum, ac tertio rogauit Deum, vt stimulum carnis ab eo auferret: ita nos decet eum iteratis vicibus rogare, & auxilium eius implorare, ne in tentationem carnis inducamur, sed à malo culpæ liberemur. Quandiu in nobis eam regnare permittet Deus, ad virtutum custodiam

stodiam arma capiamus: illi contradicentes, tandem effugiet à nobis. Sunt qui huius criminis seruare abstinentiam non credunt sibi possibile: verùm mihi dicant, quid minus gratiæ habent, quàm plurimi adolescentes castè viuētes. Sunt enim eodem baptismo regenerati quo illi, & sancti spiritus gratia iuuabuntur, modò eam deuotè implorent, & tentationibus carnis resistere studeāt. Quantò sese fragiliores sentient, tantò magis suspectum habeant omne quod eos ad vitiū carnis sollicitabit. Quem admodum mulieris interuētū callidus hostis, quasi coluber gliscens, in primi parentis interiora irrepfit, illumque subiugauit, etiam à muliere inuerecunda ad turpia sollicitabitur. Sed non iuuabit dicere quod primus parens domino ait: Mulier, quam mihi sociam dedisti me seduxit. Hac de causa, ille excusatus non fuit. Et ne homo se iterum excusaret, mulieri in criminis poenam dictum fuit: Sub potestate viri eris, & ipse dominabitur tui. Cum vir dominatum habeat, cur mulieris prætectu excusabitur, qui ad domandā carnis tentationem sufficiens est gratia Dei adiutus. Iuxta illud Pauli: Sufficit tibi gratia mea: virtus in infirmitate perficitur, & maiorem gradū meriti acquirit. Amantissimi vt carnis vitiū fugiamus recordemur quantum dedecoris & erubescentiæ mulier huius

Gene. 3.

2. Cor.

12.

criminis rea sustinuit . In medio populi coram Christo stās, postquàm Christus prospexit omnes qui mulierem adduxerant recessisse, erexit se, vt iustitiæ rigorem misericordiæ temperamento meliorem faceret ac dulciorem, Mulieri ait: *Vbi sunt qui te accusabant?* Sciebat quò illi iuerant: sed mulierem timore mortis stupefactam solabatur, vt animi vires reassumens, ad interrogata conuenientius responderet. Meo quidē iudicio valde pulchrum fuit videre præfens spectaculum, verè pium: scilicet duos adesse ex diametro pugnantes: Christum iudicem dico & mulierem ream colloquenteis. Hic misericors, hæc misera. Abundauerat in muliere rea delictum, in Christo superabundauit gratiæ donum. Ex quo conueniebat iterum illi dicere: *Nemo te condemnauit, mulier.* Præcesserat vox iustitiæ, qua Christus pronunciauit: *Qui sine peccato est primus lapidem iaciat.* Subsequuta est commiserationis & clementiæ, qua ait: *Nec ego te condemnabo.* Ne videar esse inclementior illis recedentibus, & te indemnatâ relinquentibus. Populi magistratus hanc Christi vocem audientes discant neminem citò condemnare: sed tam diu expectare, donec reus fuerit crimē volūtariè cōfessus, vel per testes omnium exceptione maiores cōuict⁹. Vbi verò criminis nunciatores & productos testes fugere, & cau-
fam

fam deferere prospexerint, in accusatum non
 sæuiant: sed eum de crimine intentato multò
 magis absoluât, quàm condemnent. Et recor-
 dentur in re graui testes aut pecunia corruptos,
 odio, rancore, aut inuidia commotos, aliquan-
 do falsa deposuisse, etiam si hæc iudicibus pa-
 teant. Quòd si testes fuerint in dictis constâtes,
 accusatis de crimine, pœnam legis iustè impo-
 nant, quã per testes meretur. Sciant velim qui
 falsa deposuerunt, quòd iudicium Dei non eua-
 dent. Eos maximè affligens, quos lex impuni-
 tos reliquit. Quod verò criminis nunciatores
 vel producti testes causam dereliquerint, Chri-
 stus mulieri ait: *Vade & iam amplius noli peccare.*
 Exhilarata fuit verbis dominicis, & securior fa-
 cta recessit. Verùm auditur quid mirabile: Sci-
 licet Christum fuisse ad criminis pœnam iudi-
 cem cõstitutum, & nouit illud ab ea commis-
 sum, quam dimisit impunitam. Nunquid hoc
 agēs fuit iustitiæ neglector, & criminis fautor?
 qui sciebat facilitatem veniæ incentiuum de-
 linquendi peccantibus subministrare. Ne cri-
 minis maculam benignissimo Iesu omniũ pu-
 rissimo imponas, te non lateat: quòd tanquam
 iudex crimen non nouit, & superioribus clau-
 sulam quæ sequitur adiunxit: *Noli amplius pec-
 care.* Et aduertas quòd in muliere rea duo erant:
 culpa, & natura. Sicut Christus culpã odio ha-

buit, similiter fragilis naturæ misertus fuit. Ut iustè iudicaret, eam externè absoluit, quam internè iustificauit. Illámque monuit in idipsum non recidere. Quod illis ut plurimum accidit, quibus facilis venia conceditur: quia à cordibus suis peccatorum radices non euellunt, neque residui occasiones proscindunt. Si Christus peccatorum fautor fuisset, mulieri utique dixisset: Vade, & sicut voluptuosè vixisti, in futurum viuere poteris. Quátumlibet enim peccaueris tibi indulgebitur. Verùm sicut illi crimen, tanquam pius remisit, ita iterum peccare interdicit tanquam iustus. Ex hominis natura mulieris misertus est, ex potentia diuinitatis peccatum condonauit. Vtrúmque prospiciant, & qui mansuetudinem eius collaudant, & iustitiam illius timeant. Quòd Christus pœnitentiam pro pœna criminis mulieri non imposuerit, qui peccantibus habenas laxant, ut licentiùs peccent, dicunt secretorum cordis auditores, non debere onera pœnitentiæ confidentibus imponere: quòd Christus mulierem ream non solùm à culpa, sed ab omni pœna absolutè liberarit. Cur non prospiciunt variis in locis scripturarum, nos moneri pœnitentiam agere, & bonis operibus, peccata redimere? Quales sunt: Pœnitentiam agite, & date eleemosynam, ut omnia munda sint vobis.

Matt 3.

Et iterum:

Et iterum : Sicut aqua extinguit ignem, ita elemosyna extinguit peccatum. Et : Iuxta delicti mensuram, erit & plagarum modus. Idem suadet nobis in Apocalypsi : Quantum se glorificauit & in delitiis fuit, tantum date illi tormentum. Rursus : In quo peccauerit homo, in eodem punietur. Itaque vt peccator æternam effugiat pœnam, pro qualitate criminis, temporalem subire non recuset. Ideo Christus in muliere fuit iustus & misericors, quam nec cõdemnauit, nec absoluit. Ita tanquam misericors est per nos diligendus, & tanquam iudex metuendus. Tanquam misericors ex multa benignitate nos peccantes ad tempus supportat. Iuxta illud Pauli : Diuitias bonitatis & patientiæ, & longanimitatis domini Dei non contemnatis : quoniam eius benignitas ad pœnitentiam nos vocat. Verùm in finem non supportabit : quandoquidem in die iræ, & reuelationis iusti iudicij, reddet vnicuique secundum opera sua. His qui secundum patientiam boni operis vixerunt vitam æternam : his autem qui non acquiescunt veritati, & credunt iniquitati, iram & indignationem. Cui pater omne iudicium dedit : & ipse iustitias diligit. Nunc tacet qui per prophetam ait : Nunquid semper tacebo : Ex misericordia abundantanti, promisit quacunque hora inge-

Eccles. 3.

Apo. 18.

Sap. 11.

Rom. 2.

Ioan. 1.

Esa. 65.

muerit peccator, amplius peccatorum nolle recordari. Amantissimi cum horam mortis nesciamus, poenitere de die in diem non differamus, ne interim pereamus. Vnde scriptum est:

Eccl. 5.

Non tardes conuerti ad dominum: & ne differas de die in diem, & dicas miseratio Dei magna est. Subito enim ira eius veniet, & in die qua non speras disperdet te.

Homelia

Homelia feria secunda, post quartam domi-
nicam quadragesima. Ioannis XXI.



Pascha erat Pascha Iudaeorum. Et ascendit
Iesus Hierosolimam. Benignissimus
Iesus negotium nostrae salutis actu-
rus, noluit matrem suam itineris co-
mitem habere: quam Capharnaum ad tempus
residere fecit. Cum autem in proximo esset Pa-
scha Iudaeorum Hierosolimam ascendit. Pas-
cha Hebraeum est, & transitum sonat. Dies il-
lius apud Iudaeos celebris erat, ob veteres histo-
rias, quibus patres eorum fuerant ab angelo le-
thaliter percussente praeservati. Qui primoge-
nita Aegyptiorum occidit, & Israelitas illaesos
dimisit. In typum, quod eramus per Christum,
qui est agnus omnis maculae nescius a potesta-
te principis tenebrarum & miserabili seruitute
vitiiorum liberandi, ut cum eo, in caeleste Hie-
rusalem ascendamus. Tempus miraculo quod
Christus edidit, valde opportunum erat. Quo-
niam omnes ad diem festum conveniebant.
Ideo verba salutis facturus, cum illis in tem-
plum ascendit. Cupiens eos relictis vitiiorum
tenebris, & misera seruitute eorum, in caele-
stem Hierusalem, spiritualium bonorum opu-
lencia praediuitem scandere. Rursus cum aliis le-
gem implevit, quam illis per Moysen dederat,

Exo. 12.

Deu. 25

ab Ægypti partibus eductis, qua à vitiis ad virtutes promouerentur. Quo dies festus Paschæ erat apud Iudæos tum celebrior tum religiosior, eò maior populi congregatio in templum affluebat, & sequens miraculum videre potuit. *Venit Christus in templum, & inuenit vendentes oves & boues, & columbas: & numularios sedentes. Et factò de funiculis flagello, omnes è templo eiecit. Oves quoque & boues. Insuper numulariorum as effudit, & mensas eorum subuertit.* Ideo flagellum de funiculis fecit, quòd sibi vltimò displicuerit videre aliquid terrenæ negotiationis in domo paterna exerceri, etiam si id decoris & honesti speciem aliquam haberet, vt oves & boues ad sacrificiorum vsus adducere, & venum exponere. Ideo in euentes & vendentes, tum verbo tum flagello comminatus est. Et sine mora à templo exierunt, atque suum æs effundi, & mensas vendètiùm columbas subueriti passi sunt: tantò lubentiùs, quantò reuerentiùs cum sicut prophetam susceperunt & habuerunt. Quid mirum, si cum in honore esset hoc potuit, qui ad mortem ducendus id ipsum repetiuit? Et paulò post, militum cohortem minacibus armis terribilem, furètes quoque sacerdotum ministros gladiis accinctos, retrorsum abire, & in terram cadere fecit. Ideo austerè nimis in eos commotus fuit: quòd paternæ domus de-

corem

corem multum diligeret. Qui per os prophetæ patri dixerat: Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Cuius exemplo monemur Dei templum reuereri, in quo Christi corpus seruatur, diuina celebrantur mysteria, nostræ salutis sacramenta administrantur, & populus de iustificationibus domini instruitur. Amantissimi, manentes in templo delectemur legem audire, & prophetias ac Dei laudes resonare: ex quibus contra hostiles insidias seruari poterimus. Ideo qua sollicitudine instamus, dum corpus Christi nobis ministratur, ne quid de eo è manu sacerdotis elapsum in terram cadat: eadem & maiori quod auditur in templo salutis verbum, tanquam legitimum semen conseruemus: vt in tempore opportuno, in cordibus nostris salutarem fructum pariat. Exhibet autem à nobis, si quamprimum fuerimus à templo reuersi, animi vires ad quædam inania, aut parum vtilia transferamus. *Et his qui columbas vendebant dixit: Auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei domum negotiationis.* Quid in causa fuit, vt cum iis qui columbas vendebant multò mitius egit, quàm cum illis, qui pecora venum exposuerant, quos à templo satis austerè eiecit? Nimirum legitur, *Deu. 25* quòd erit plagarum modus pro delicti mensura. Cùm non fuerit tam indecorum per lu-

fra templi, per turturum aut pullos columba-
 rum deferre quàm oues & boues in eo conti-
 nere: cuius pauimenta stercorebus eorum ma-
 culabantur, cum illis mitius egit. His adde il-
 lam esse primam increpationem. Quare tem-
 pli prophanatores modestè arguit, atque vsus
 est exhortatione non aspera sed blanda. In se-
 cunda verò, quòd suæ passionis tempus instaret
 se zelatorem paternæ domus satis vehementem
 declarauit. Fuit enim præsens historia tunc re-
 petita, quæ semel antea contigerat. Scilicet ini-
 tio operum eius, & quinto die mensis Aprilis,
 cum asino vectus Hierosolymam intraret. Ioã-
 nes vltimus euangelistarum sua scripsit opera, &
 in illis quæ à consortibus euangelistis omissa
 fuerāt, aut obiter dicta scribere aut repetere cu-
 rauit. Scire cupis cur Christus natua inclina-
 tione clemēs, mitis ac benignus, quasi subiratus
 flagellū composuit, & eis interminatus est: qui
 aliàs grauissimis affectus contumeliis, placido
 corde & benigno inimicis respondit, se dæmo-
 nium non habere, neq; fœdus cum beelzebub
 principe dæmoniorū pepigisse, aut crimē viola-
 tæ legis incurrisse? Impresensiarū istud fieri de-
 cebat: ne præsentis fallaci doctrina Scribarum
 & Phariseorū seducti, eum crederēt cor habere
 à lege diuina alienū. Igitur seruādo honori pa-
 ternæ domus, animi & corporis vires impēdit.

forſan dices. Superiores anni in quibus omnem deo patri reuerentiam exhibuerat ſufficientes erant, cum ab omni ſuſpicionē ſiniſtra liberum reddere. Ad iſta dicitur quòd multi vitã illius eſſe omni veneratione digniſſimam nesciebãt: quòd ue in annis adoleſcentiã cum in ſima plebe verſatus fuerat, & aliquoties per deſerta cõmoratus. De eo enim dixerunt: Hic eſt faber, & filius fabri. Nunc autem fermè in ianuis tempus ſuã paſſionis erat. Quare notum fieri voluit, quantum decorem paternę domus diligeret. Ne quid ſub eſſe ſimulationis in ſuis operibus exiſtimari poſſet, peccantes in templo non ſolũ ore tenus arguit verũ etiam illos ab eo expulit, menſas numulariorum euertit, atque æs eorum effudit, mortis periculo ſe exponens. Quod verũ in ſigne fuit, hominis pro diuino cultu nihil ſubire recusantis. Sicut ipſi vendentes & ementes in tẽplo illud prophanabant, ita hodie prophanant, qui in eo ſecularia negotia tractant, ſeu de illis vanè confabulãtur, in quò tantũ cœleſtibus officiis intendere deberent. Amantiſſimi ſi Deo placere velimus, Eccleſiã ingreſſi, ad totiũ honeſtatis formam noſiſpos componamus. Sint greſſus noſtri humiles, affectus mentis puri, oratio ſupplex, abſint procul à nobis rerum mũdanarum colloquia, incompoſiti mores, & vanæ confabulationes, quæ nõ

*Mat 13.**Mar. 6.*

secus in illo referuntur, quàm in foro ciuili, aut publico alio loco audirentur. Et quo festum est celebrius, maiorem Deo exhibeamus reuerentiam. Quantòque turba popularis erit copiosior, tantò diuini verbi concionator, vitia eorum detestetur & virtutes collaudet. Plurima sunt quæ in medium afferri possent: sed breuitatis causa prætermittuntur, quæ dum Matthæi euangelium tractarem, per nos exposita fuere. Ideo genus dicendi ad sensum moralem diuertamus, & paululum contemplemur, quid sub cortice eorum Christi operum adumbratum est. Et in primis quid signat Christum venisse in templum, & prophanatores illius & numularios eiecisse. Quod enim tunc semel egit ipse, nostrorum interiora cordium visitàs multoties repetit, & curiosè prospicit quid in illis agitur. Istud omnis qui Deum sapit internè sentit. Quid rursus oues repræsentant præter ignaros ecclesiæ ministros? Numerus eorù est non rarus, qui essent ad stiuam aut currus deducèdos aptiores, quàm ad tractanda sacramentorum ecclesiæ mysteria. Quid per boues, quorum iuuamine ager ad concipienda granorum semina disponitur & præparatur adumbrant præter illos, qui comparandis temporalibus bonis, omnem operam dant, sùntque toti negotiis secularibus dediti? Per columbas, illos
intellige

intellige, qui ecclesiarum sacramenta symoniace administrant, vel praefecturas earum emunt. Est enim columba, auis sua quidem natura simplex, modesta, felle amaritudinis carens, & spiritum sanctum dulcem ac mansuetum repraesentans. Qui sub specie illius super dominum paucis ante diebus baptizatum descendit. Hos omnes nomine illorum qui pecunias foenori dabant comprehensos crede. Et alios qui sua quaerunt, & non quaerunt Iesu Christi, per ecclesiae praepositos flagellum correctionis tenentes corrigi debent. Si inuenerint eos contumaces censura excommunicationis in signum aeternae maledictionis percutient, & a consortio fidelium expellent. Ut poena docente aliis exemplo sint, domum Dei non facere domum negotiationis. Neque sperent a poena suis redimi pecuniis, sed poenitentiae onus patienter sustineant. Iterum ex sententia Pauli, sumus templum Dei. *1 Cor. 13.* dicit enim: Si quis templum Dei violauerit, disperdet eum Deus. Amantissimi ne perdamur *2. Co. 6.* cum impiis in aduentu iudicis, conscientias nostras ab omni spurcitia peccatorum purgemus. Recolentes Christum e templo illos eiecisse, qui in templo ad usum sacrificij necessaria vendebant. Quanto magis eos disperdet qui sermonibus non modo fabulosis atque otiosis, verum etiam turpibus atque obscenis, in do-

mo Dei tempus terunt. Nisi mores suos in melius mutarint, & in templo cessarint lasciuientibus oculis mulieres huc & illuc prospicere, Deus à templo cœlesti eos expellet. Quos præstaret absentes esse quàm peccata committentes, alios ad mala inducere: quibus implicatur & quasi funibus longissimis innodantur, pœnitentes cum psalmista dicât: funes peccatorum nos circumplexi sunt, quia obliti sumus legem Dei nostri. Circa istos & similes, decet ecclesiæ præpositos inuigilare, & si quos illorum in templo inuenerint fastu inanis glorię tumidos, de tractionibus vacâtes, luxaria eneruatos, nimia ebrietate vacillantes, furore indignationis turbatos, aut aliis similibus vitiis maculatos, salubriter moneant, ne in futurum talia in domo Dei cômittât. Ideo Christus hæc agere debuit.

Psal. 68. Quòd de ipso scriptum sit, Zelus domus tuæ
Ioan. 2. comedit me, Id est, non secus me pungit, quàm aculeus bouem percuteret. Indignabatur videre quid indecorum, in domo paterna fieri. Ad diffinitionem zeli veniamus, quo literæ sensus magis pateat. Zelus commendabilis definitur esse vehemens animi feruor hominis mentem commouens, abiecto timore humano, se pro veritate tuenda periculo exponere. Illum autem comedit, & quadammodo absorbet & consumit facientem quicquid potest, ne quid indecorum

corum in domo Dei fiat. Si vires corporis & anima illi deficiant, ob rei indignitatem intra se gemit. Itaque zelus in duo genera diuiditur. Vnum est virtutis, & aliud vitij. De vtroq; exempla referamus. Fuit Phinees bono zelo commotus, qui Iudæos publicè scortantes gladio percussit, & eos occidit. Vndè furorem indignationis domini à populo Israël auertit. Psalmista dicente: Stetit Phinees & placuit, & cessauit irascens. Quod pia quadam stimulatōe, idololatrias simul congregatos, occidēdos curauerit. Neq; silentio prætermittendus est Mathathias ille qui zelo legis diuinæ accensus, idolis sacrificantes occidit. Quod psalmista nō videret decorem domus Dei reuerenter seruari dicebat: Tabescere me fecit zelus meus: quia oblitū sunt verba tua immici mei. Sed zelo omnium pessimo fratres patriarchæ Ioseph commoti fuere, quod à patre plus amaretur. Inquit enim scriptura: Oderant illum nec poterant ei quicquam pacificū loqui. Quem à cisterna extractum Ismaëlitis vendiderunt. Eodem commouebantur Nazareni, de quibus legitur, quòd repleti ira, Iesum extra ciuitatem eiecerunt, & ad supercilium montis duxerunt, vt cum præcipitarent. Contrà zelus quo fuit Christus in vendentes vel euentes in templo commotus commendatur, & nobis proponitur: vt eodem ad-

uersus illos qui templum Dei prophanant, & reddunt quasi speluncam latronum commo- ueamur. Simusque Dauidis imitatores, domi-
Psal. 118 no dicentis: Vidi in templo præuaricatores & tabescebam. Vel Helix, de quo legitur: Zelo
3. Reg. zelatus sum pro domino Deo exercituum, quia
 19. dereliquerunt filij Israël legem domini. Si zelus liuoris aut inuidiæ, aduersus fratrem nostrum cõmotus fuerit, quàm citissimè fieri poterit illum extinguiamus. Iuxta consilium *Psal.*
Psal. 36, mistæ dicentis: Noli æmulari in malignantibus, neq; zelaueris facientes iniquitatē. Quotquot eo commoti zelo Deum offendunt, in-
Ibidem. star sceni velociter arescēt, & quemadmodum holera herbarum citò decident. Quos increpat
1. Cor. 3. Paulus dicens: Cùm sit inter vos zelus & contentio nõnne carnales estis? nõnne homines estis? Iste zelus contentionis, in Christum non cadit, neque in membra sui corporis mystici cadere debet: quos Apostolus æmulari melio-
1. Co. 14 ra charismatum dona monuit. Verùm illos occupat totos, qui donaria templo oblata, in proprios vsus conuertunt, sacerdotes suis expilant bonis, ecclesiæ redditus & instrumenta eorum furantur, prophanis sacra commiscen- tes. Interrogati verò quo spiritu moti ista committunt, audacter respondent: Zelus domus Dei nos comedit: Prospicientes ecclesiæ mini-
 stros,

stros, decoré domus Dei non seruare. Ah, quid vos scelestissimi homines hæc referentes, Christi patrimonium non comeditis solùm, sed ipsimet vno morsu penè antè quàm metatur deuoratis. Confiteamur ingenuè ac plenè, disputationis gratia aliquot haberi tēpli ministros, iuxta status ecclesiæ decentiam non viuentes, an ideo sequitur eos decere sacerdotia eorum bonis spoliare, & in prophanos vsus conuertere, & diuina prophanis commiscere? Nihil certè minus. Quoniam hoc non esset flagitia à domo Dei propulsare, quin multò magis ea prouocare & augere. Hac itaque ratione, qui talia agunt excusari non possunt quòd Phinees gladio scortantes Iudæos percussit & occidit. Quoniam humana quidem temeritate commotus non fuit: sed diuina inspiratione impulsus. De quo dominus ait: Phinees zelo meo commotus est, ne filios Israël delerem. Videntes Scribæ & Pharisæi Christum à templo vendentes & ementes eiicere, dixerunt ei: *Quod signum ostendis nobis quia hæc facis?* Non priuati sed publici muneris est eos à tēplo eiicere, menfas eorum euertere. Cur propria autoritate facis, quod dominus ministris templi faciendum commisit? Crimen sanè committis, maximis ignibus dignum. Si te id facere diuina ordinatione nos credere velis, præsentaneum

ede aliquod miraculum, quo neminem fugiat
 Dei virtutem tuo operi adesse. Verum nun-
 quid opus admirabile viderant, quo Christus
 à templo vendentes & ementes eiecerat. De-
 nique carnifices sæuis assuetos, simplicibus mi-
 nis flagelli terruerat. Vt magis perpendas cun-
 ctationem eorum factam fuisse, non modò
 ex mente fraudulenta, verum etiam iniqui-
 tatis ac malitiæ plenam. Sed consydera, quæ-
 so, vndè conqueruntur, scilicet eum legem
 Zac. 14. non seruasse, in qua scriptum est: Non erit
 mercator in domo Dei. Ex ea ipsi vendentes
 in templo & ementes eiicere debuerunt. Hic
 Christus eorum vices supplet: sperans in fu-
 turum similia fieri prohiberi. Ipsi signum ab
 eo quesierant, tanquam parati essent si exhi-
 bere differret, manus violentas in eum iniice-
 re, vt populo qualitercúnque satisfacerent.
 Benignissimus Iesus qui in mundum venerat
 signa non edere, nisi ad diuinæ virtutis osten-
 sionem, vel ad subleuandas hominum neces-
 sitates: vel vt suum opus esset diuinæ virtutis
 augmentum, & humanæ necessitatis subsi-
 dium, noluit signum ab eis insidiosè qua-
 situm edere: sed aliud eis reuelauit dicens: *Sol-
 uite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.*
 Ex quo se diuinitatem & humanitatem habere
 declarauit. Quòd enim mortuus est, humani-
 tatis

ratis fuit: quòd die tertia resurrexit, diuinæ virtutis. Iuxta illud apostoli. Christus mortuus est ex infirmitate, surrexit autem ex virtute. Istud Paulus paucis absoluit inquiring. Qui prædestinatus est filius Dei, in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum. Ex quo enim resurrexit, & ei non crediderunt, planè constat, quòd si signum fecisset, quod ab eo quæsitum fuerat, quid vanum fuisset. Quid maius fecit omni signo quod postulauerant: quãdo propria virtute à mortuis resurrexit, inferni claustra fregit, & captiuam secum captiuitatem adduxit. Et adhuc increduli perstiterunt. Vocabulum soluite, est imperatiui modi. Ex eo tamen minimè credamus, cum illos ad cruentam sui corporis cædem induxisse. Hoc enim verbo tantum deprauatam eorum mentem detexit: & quod futurum erat prænuñciauit. Nam simile circa passionis articulum contigit, quando Iudæ proditori ait: Quod facis, fac citius. Nouerat eum in malitia induratū ne amplius sibi protraheret iniquitatem, hæc verba loquutus est. Erit ergo præsentis clausulæ sensus. Sicut templum istud stercorebus animalium stercoreari permittitis, mei corporis figuratiuum, quod decet sanctitudo in longitudinem dierum: ita templum corporis mei soluetis, quod est multo dignius, ob diuinitatis substantiã in eo

2. Cor. 13

Psal. 67.

Ephe. 4.

Ioan. 13.

manentem, non medio vulgari, scilicet tantum
 per gratiam, sicut in cæteris hominibus: sed per
 diuinæ personæ vnionē. Quæ fuit filio homi-
 nis tunc inseparabiliter facta, quando ipse in
 vtero virginali, operante spiritu sancto forma-
 tus fuit. Cuius corpus Iudæi, à naturalibus offi-
 ciis, nervis, venis & iuncturis passionis tempo-
 re dissoluerunt: quod tertia die à mortuis susci-
 tavit. Et fuerat præsens mysterium sub persona
 Ionæ prophetæ Dei adumbratum. Quem cete
 magnum deuorauit, & tertia die viuum reddi-
 dit, atque super ripas maris euomuit. Vndè le-
 gitur: *Sicut fuit Ionas in ventre ceti, tribus diebus &*
tribus noctibus: ita erit filius hominis in corde terra.
 Ideo aptè admodū ait: Soluetis templum hoc.
 Et dicebat de templo corporis sui. Et in tribus diebus
 excitabo illud: quoniā virtute propria die ter-
 tia resurrexit. At Iudæi istud non intellexerunt:
 qui de admirabili structura templi Hierusalem
 vltremodum gloriabantur. Et sicut in illo ster-
 cora animalium spe lucri emitti permittebant,
 ita soluere templum corporis Christi procura-
 runt. Sperantes hæreditatem illius ad eos perue-
 nire. Ideo maluit Christus per ænigma eis re-
 spondere, quàm verbis apertis mentem suā de-
 clarare. Ne ex variis argumentis, quæ ex aduer-
 so proponere potuissent, in varias quæstiones
 perplexas, & quasi sibi metipsis inexplicabiles
incide-

inciderent. Quo instruimur aliquando quædã illis, qui in sacris literis sensus exercitatos nõ habent subtrahenda. Multa enim sunt nostræ fidei secreta captu difficilia: quibus palàm & apertè reuelatis, potiùs idiotæ homines scādalizarentur, quàm ædificarentur. Igitur quoties rationẽ secretorum nostræ fidei inquirent, à nobis plus scire, quàm oporteat, cupientes, sobriè illis loquamur, & sub verborum inuolucris respódeamus. Ne ex vitio curiositatis in aliquos incidãt errores. Hoc nobis cõsuluit Euangelista dicẽs: Nolite sanctum dare canibus: neque margaritas proiciatis ante porcos. Christus item discipulis dicebat: Vobis datum est nosse mysteriũ regni Dei, cæteris autem nuntiatur in parabolis: vt videntes non videant, & intelligentes nõ intelligãt. Quicquid Christus de templo corporis sui pronunciauerat, per Iudæos consummatũ fuisse nouimus. Quia illud in varias partes dissiparunt. Primũ caro eius atque cutis (cutis figuram præ se ferebant materialis templi parietes) fuit non modò ictibus verberum seuerè saucia, verumetiam minutim dissipata. Quod futurum prænuiciauerat Esaias dicens de Christo: Visus est non habere speciem neq; decorem. A planta pedis, vsque ad verticem capitis, nulla corporis eiusdẽ portio inueniri potuit, non multiplici ac vario vulnere percussa

*Matt. 7**Matt. 13**Mar. 4.**Luc. 8.*

Pfal. 72 atque faucia. Qui per os *Pfalmistæ* ait: Fui flagellatus tota die: & præcipua castigatio mea in maturinis. Rursus quod officij habent lapides angulares in domo manu facta, id ipsum agebant in templo corporis Christi, manus & pedes eius. Erant enim quasi totius ædificij illius stabile fundamentum, & fuere obtusis perforati clavis. Iterum caput est superior pars ac præcipua operis: & Christus est mystici corporis ecclesiæ caput, quod tectum representat, & fuit diademate non gemmeo, non aureo, non argenteo, sed spineo à durissimis vepribus collecto, seu ex illis composito, transsossus. Ex istis in aperto est, Iudæos prophetiam consummasse, quam Christus dixerat: Soluite templū hoc, &c. Quod verba eius de templo Hierosolymis constructo intellexerint, ideo inuicē dixerunt: Quod loquitur ipse, non solū nobis videtur absurdè dictum, sed etiā impiè iussum. Ad quid enim, ad simplex verbum eius, operosam huius templi fabricam solueremus, sperantes eum illam semel dissolutam, vel subuersam, intra tres dies restauraturum? *Ideo responderunt & dixerunt ei: Quadraginta & sex annis ædificatum est templū, & in tribus diebus excitabis illud?* Meo quidem iudicio, de ea templi structura tempore Salomonis in maxima regni concordia, opere decentissimo consummata loquuti non sunt, quæ se-
 prem.

ptem annorum spatio perfecta fuit. Istud ergo ad restaurationē templi sub Zorobabel, & Iesu Iudæorum ducibus factam referamus. Quia Samaritanis Iudæi infesti erāt, eos hostiliter persequēbātur. Vndē decuit ēdificatores altera manu gladium, altera verò instrumentum tenere ædificatoriū. Hac de re, huius exempli restauratio, minori spatio, quàm quinquaginta sex annorū numerus corpori humano quod Christus nobis redimendis induit aptissimè conuenit: quod Iudæi (vt dictum est) tempore passionis soluerunt, & die tertia resurrexit. De compositione corporis humani aliquid dicamus, quod huic comparationi proprium est. Iob ait: Memento domine quòd sicut lac mulxisti me, & sicut caseum me coagulasti. Pelle & carnibus vestisti me, ossibus & neruis cōpegisti me. Hæc satis lucidè exponūt naturalium scriptores rerum: dicentes seminis humani materiam, in vas fœmineum effusam, sex primis diebus lactis similitudinem retinere. Sequentibus nouem, in sanguinis ruborem paulatim mutari. Per alios duodecim immediatè sequentes, corpus formari. Reliquis verò decem & octo, corporis membra perfici, ossa consolidari, omnia tandem compleri & absolui. Sex autem dies, nouem, duodecim, decem & octo, numerum quadraginta & sex dierum complent. Si illis

diem addideris, in quo corpus recenter formatum vegetatur, & per se cibum sumere incipit: in corpore hominis formando, tot dies erunt, quot in restauranda templi ruina euoluti fuere anni. Ideo istud rei adumbratae multum conueniebat. Quoniam Christus qui in principio cum patre fuerat componens omnia & hominem formauerat in mundum uenerat reformare illum, quem fraus diaboli insidiosa arte seduxerat. Nolens euangelista nos Christi uerba iuxta carnalem sensum capere instar Iudaeorum, illa nobis exposuit dicens: *Hoc autem dicebat de templo corporis sui.* Quod quidem corpus, à Deo patre formatum fuit. Sicut domino sapiens Salomon, in inclito monte Sion templum aedificauit: ita Deus pater, in utero uirginali, Christum formauit. Iuxta illud uirgini per archangelum Gabrielem nunciatum: Virtus altissimi obumbrabit tibi. Regina Saba, templum Salomonis admirabatur, & caelorum regina structuram corporis Christi admirata est. Angelo dicens: Quomodo fiet istud? quoniam uirum non cognosco. Ne admirantes simus vniciuque nostrum ait: Quid admiramini? Diuinum est mysterium, quod in me cernitis. Discipuli sententiam uerborum Christi planè non nouerunt, donec ipse à mortuis resurrexisset. Ideo euangelista post modum ait: *Cum autem resurre-*

Luc. I.

Ibidem.

resurre-

resurrexisset à mortuis, recordati sunt discipuli eius, quia hoc dicebat de templo corporis sui. Et nos quādiu tenebris vitiorum inuoluti, & mole corporum grauati erimus, Christi verba planè nō capiemus. Verumtamen sicut crediderūt scripturæ & sermoni quem dixerat eis Iesus, & nos euangelio credamus. Pōst quā fuit Christus à morte suscitatus, tot diebus est cum illis conuersatus, quot annorum circulis Iudæi structuram templi perfecerunt. Et aperuit eis sensum vt intelligerent scripturas, eratque loquens de regno Dei. Tandem super eos spiritum sapientiæ & intellectus, die sanctæ penthecostes infudit: qui eos cœlestibus donis prædiuites reddidit, ac fecit capaces nostræ fidei sacramenta capere. Tunc recordati sunt verborum pij præceptoris, & scripturæ firmiter crediderunt. Antea verò (vt dictum est) hæc ad plenum capere non potuerunt. Ideo cū Christus eis de sua morte loqueretur, respōdit ei Petrus: Absit hoc à te domine. Vbi verò spiritus domini mentes eorum repleuit, eas ad cœlestia attraxit, vt ea intelligerent quæ à præceptore audiuerant, & omnibus nunciarent. In orbem vniuersum missi prædicare euangeliū omni creaturæ, qui prius mortē timentes deserto præceptore effugerant, abiecto omni timore, imperterriti àte reges & præfides astiterunt, & veritatem euāgelij prædica-

Mat 16

uerunt, verbera carnificum non timētes. Quoniam recordati sunt sermonis, quo dixerat eis.

Matt. 5. Iesus: Beati qui persecutionē patiuntur propter iustitiam. Tametsi verba Christi planē non cōprehenderunt, substantiā eorum in confuso susceperunt: quæ eorū animis, instar seminis humo iactati, firmiter inhæsit. Et sicut in falsis testibus spinas & tribulos germinauit, dicētibus se audiuisse ab eo: Possū destruere templum Dei, & in triduo illud reedificare, illud ita in apostolis Christi optimos fructus p̄duxit: quos internē recondiderunt, & in corda hominū seminauerunt, q̄ spiritus domini in viam salutis attraxit, & capaces reddidit, vt intelligerēt scripturas. Commoratus autem est benignissimus Iesus Hierosolymis aliquot dies, virtutibus & signis pollens: & legis euangelicæ fundamēta, multiplici doctrina iaciens ac stabiliens. Quare sequitur: *Cū ergo esset Hierosolymis in Pascha, & die festo, multi crediderūt in nomine eius, vidētes signa, quæ faciebat.* Nonnulli sanē, ob signa quæ Christus faciebat, illi crediderunt: & ipsi crasso erāt ingenio, quoniā sine illis non credidissent. Alij verò istis præferuntur, qui vt crederent, salutari doctrina illius attracti fuere. Quæ enim in cōscientiis infirmorum faciebant signa, hæc eadem in animis istorum complantauit salutaris doctrina. Quos Christus beatificauit, iuxta illud:

Iud: Beati qui non viderunt & crediderunt. Sequitur in textu: *Iesus autem non credebat seipsum eis:* Ioan. 20
 Scilicet qui ob signa quæ faciebat, in nomine eius credebant. Auditur sanè res noua & multùm mira: scilicet homines maiorem habere cõfidentiam in filio Dei, quàm ipse in illis haberet. Quoniam credebant in nomine eius, & nõ credebat semetipsum eis. Verùm quisquis textus verba prudenter ponderabit, proculdubio inueniet sub cortice verborum, quid latès esse, & euangelistam prudenter dixisse, eos in nomine eius credidisse, videntes signa quæ fecerat. Quod non fuit illi simpliciter credere. Quotquot enim ob signa credunt modicè fidei sunt, & occurrète tètationis procella, à diuinis promissis facillimè recedunt. Et seminibus in agros iactatis similes sunt. Quod enim profundas radices in fide non habeant, instar seminum verno tempore & hyemali herbescunt: sed quamprimum incaluit sol, seu caloris extèsio eos vrget, instar fœni quod statim colligitur, & in clibanum mittitur arescunt. Quod ergo isti nondum essent in fide stabiles, Christus occulta nostræ fidei mysteria illis nõ credebat. Erant enim tâquam paruuli quibus lac administratur. Eos nouerat Christus planè incapaces, cui non erat monitore opus, vt qui testimoniũ perhibebat de homine. Ipse enim sciebat quid esset in ho-

mine. Irrumpens in humanas cogitationes, nō secus cordium interiora penetrat, quàm homo omnia quæ domi sunt inuertens nonnihil curiosè perquirat. Ideo sicut non multùm se credebat illis, qui ei nomina dederant, neque adhuc se credit istis qui signa quærunt: quoniam à fide præstita facillimè recedunt. Quasi fides nostra non fuerit supra firmam petram fundata, & martyrum sanguine sufficiēter probata. Cur signa videre cupiunt, quæ propter eos fieri non debent? Dicente Paulo signa infidelibus deberi. Hæc est caussa potior, cur Deus illis occulta fidei nostræ mysteria non reuelat. Sunt enim mari à vêtis huc & illuc commoto persimiles. Quòd Christus nō egeat vt quis ei testimoniū perhibeat de homine. Verūtamen se omnibus non credidit. Cur adolescentes qui audiunt Christum cunctis hominibus seipsum non credidisse (cui omnia in aperto erāt) qui, inquam, ex conuersatione hominum quantūlibet perniciofa maculari non potuisset, contubernia impiorum refugerit, & sunt ipsi ad malum, quàm ad bonū procliuiiores, & ad vitia, quàm ad virtutes promptiores? Ideo hominum peruersè viuentium sodalitia vitare debent, ne cū illis in foueam perditionis cadant. Teritur sanè vulgari prouerbio, quòd homo est aliquando homini lupus: ad insinuandum nobis in rebus

bus externis & ciuilibus, quod vnumquémque reuerenter suscipiamus. Sed in priuatis & peculiaribus, hominem ignotum in multis habeamus suspectum. Igitur omnes in locis publicis habeant sua conuersatione dignos, sed cū paucis in secreto conuersentur. Facti imitatores Christi, qui ex multis duodecim elegit, quos *Ioan. 15.* amicos vocauit, & illis secreta quæ à patre audierat nota fecit. Quod ipse multò intimiùs Iudæos nouerit, quàm seipsum nosse potuisset, nobis exemplo sit Petrus. Qui si seipsum (vt existimauerat) planè nouisset, nunquam Christi sententię reclamasset sibi dicentis: Antequàm galilus cantet, ter me negabis. Cui respódit: Si oportuerit me mori tecum, te non negabo. Verùm rei euentus nos docuit, quòd se non cognouerat: quoniam relicto præceptore cum aliis aufugit. Et postmodum Christo ait: Domine tu cognouisti sessionem meam & resurrectionem *Psal. 138* meam. Neq; mirum est si Christus Petro prædixit, quod in proximo futurum erat. Cui ea *Rom. 4.* presentia essent (ex sententia Pauli) quæ non sunt, tanquàm si præsentia essent. Cùm ergo quicquid futurum est sciret multo perfectiùs quàm dici vel cogitari posset, neque infidelibus Iudæis seipsum crediderit, cur adolescentes omnibus indiscriminatim animi secreta reuelabunt, quæ à multis traduci possent?

Homilia feriæ tertiæ, post quartam dominicam quadagesimæ. Ioannis septimo.



Am die festo mediante ascendit Iesus in templum & docebat. In superioribus narravit euangelista Christum in Galilæam profectum, in qua erat ob persecutionem in ea commotam, quasi delitescens: quòd dies festus scenophegiæ in proximo esset, fratres ei dixerunt: Transi hinc, & vade in Iudæam vt discipuli tui, opera quæ facis videant, ea admirentur & collaudent. Prospiciens benignissimus Iesus eos анги caduca & labili huius mundi gloria, & velle ibidem ex præsentia illius vanè gloriari, cum illis in templum non ascendit. Quibus respondit: Vos ad diem festum ascendite. Ego vobiscum non ascendā: tempus meum nondum aduenit. Iuxta Christi præceptum ascenderunt, & ipse solus mansit. Quando Iudæi eos Hierosolymis viderūt, Christi absentiam in die festo admirati sunt: quem totis tribus primis diebus festiuis, absentem quæsierant. Ad medium festi præsentem viderūt. Tota hebdomada celebris erat: ob memoriam quòd patres eorū, per deserti loca gradiētes sub tabernaculis frōdium vixerāt. Cū ergo tot dies huius festi præteriissent, quot adhuc restabāt, Iesus ascendit in templum & populum

pulū docebat. Ideo egregiè dictum est, die festo mediante eum ascendisse: Quid populum docuerit, me latet, quia euangelista non expressit: sed ex sequentibus satis colligitur eum vi suæ orationis populum commouisse, & furorem inimicorum compescuisse. Quem enim priùs seductorem nominauerant, doctrinam eius benignè audiebant: mirantes eū literas scire, quas non dedicerat. Quem decuit huiusmodi sacras ferias in templo celebrare, & populum erudire, qui paulò antè nescio quid clanculum murmurauerat: quasi doctrinam eius haberet de falso suspectam, & improbare vellet, tanquam ab ipso diabolo suggestam. Vt omnem fallacis doctrinæ suspicionem à se remoueret Christus in templum ascendit, & palàm docuit. Illos tacitò arguens, qui in occulto multa docent. Qui enim malè erudit, vt plurimum, doctrinam sui erroris inter fratres seminaturus latibula quærit. Ex aduerso qui veram salutis doctrinā nunciat, in publicum prodit, & in aperto loquitur. Amantissimi, cùm Christus in templo docuerit, quando erimus præcepta legis interpretaturi, in templum ascendamus: & coram cœtu hominum celeberrimo, salutis verba nunciemus: neque obscura quæramus diuerticula, ne populis scandalo simus. Non potuit Christus populum erudiens loqui, nisi quædam planè

diuina. Quibus mentes assistentium modo admirabili usque adeo commouit, ut qui prius erant aduersus eum penè in furiam versi, doctrinam illius obuiis (ut aiunt) manibus excipiebant & admirabantur quomodo aliis doctoribus longè præstaret. Quos modò prudenter interrogabat, modò ad obiecta eorum respondebat, in promptu legis sententias adducebat, & prophetarum inuolucra explicabat, omnes occultos scripturæ sensus tam veraciter & disertè exponens, ut nemo melius, nemo sapientius, id ipsum facere potuisset. Ideo intra se dicebant. Quis fieri potest ut literas sciat, quas nõ didicit? Non debebat illis esse mirum si literas sciret, cum eas non didicisset. Domino enim mittenti Moysen ad Pharaonem, respondit

Exod. 4

Moses obsecro domine, non sum eloquens, sed impeditioris & tardioris linguæ. Cui dominus: Quis fecit os hominis? aut quis fabricatus est mutum? aut surdum? videntem aut cæcū? Nonne ego? Cui tandem dominus ait: Ego docebo te quid loquaris. Apostoli quoque omnes literas edocti non fuere, eas tamen sciuerunt. Quare ergo Christus didasculo indiguisset, in quo sunt thesauri omnes sapientiæ & scientiæ reconditi. Nouerant ubi natus fuerat, & à tenebris (ut aiunt) unguiculis, ad id tēporis conuersatus, cum literas non didicisset. Quem audiebant

Coloss. 2

bant de apicibus legis disputare multò profundius cæteris omnibus, & conuenientia legis testimonia afferre: quæ nemo citare potuisset, nisi in sacris literis diu multùmque versatus fuisset. Si eum nouissent illum esse qui legem condidit, & præcepta illius suo scripsit digito, Mosique tradidit, non ita super doctrina eius mirati fuissent. Nobis utcùnque profuit illorum admiratio, & occasionem dedit aptissimam cognoscendi eum cum Beelzebub fœdus non pepigisse, aut scientiam arte humana assequutum fuisse. Tamen si nouerat illos non nihil sinistrè de se suspicari, nihil tamen commotus fuit: mansuetudinis & modestiæ exemplum nobis præbens. Veruntamen quo suspicionem de sua doctrina sinistrè conceptam, vera ratione amoueret, clanculario murmuri eorum, in hanc sententiam respondit: *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me patris.* In responsione eius planè diuina, & paucis quidem verbis facta, aliquid inclusum est valde implexum. Ait enim Christus, *Mea doctrina.* Et subsequitur, *Non est mea.* Hinc oritur non modica quæstio. Quâ fieri potest ut doctrina sit sua, que non est sua? Rursus cur suam esse negauit qui prædixerat mea est? Videtur satis difficile captu, quod eadem res sit alicuius, quòd que ad eum non pertineat. Huius dubiæ rei veritatem nobis elu-

Ioan. 1. cidavit Ioannes exordio sui operis dicens: In principio erat verbū, & verbū erat apud Deū, & Deus erat verbum. Inde constat Christum esse & Deum, & Dei patris verbum. Quod Deus sit, ex consequenti quam habet doctrinam, sua est: quod sit Dei filius, à quo omnia nascendo habuit. Doctrina quam nuntiabat Dei patris erat. Ideo dicere debuit, doctrinam non solū esse suam, sed illius etiam qui illum misit, & incarnari voluit. A quo ante secula habuit vt esset vnigenitus. Iuxta illud ante luciferum genui te. Quare rectissimè ait: Hæc doctrina est eius qui misit me patris: Quoniam vt prædiximus, quicquid in filio est, iuxta diuinitatis substantiam, est proprium genitori atque genito. Eadem doctrina erat sua & eius patris qui miserat eum. Non desunt qui ista ad humanitatem illius referre volunt: qui tantū in mundo ea loquebatur quæ à Deo audiuit. Sicut enim orator à principe missus, ea tantū loquitur quæ in mandatis loqui habuit, & tunc dicere potest: Non est meum quod loquor, sed eius qui misit me. Quemadmodum inquit Apostolus: Non loquor ego, sed loquitur in me spiritus sanctus. Similiter Dei filius, homo factus & à patre missus tantum quæ à patre audiuerat loquebatur. Ideo dicebat doctrinam non esse suam.

Psa 109

1. Cor. 13

Si Iudæi cognouissent eum è cœlo à patre missum, ad dandam scientiam salutis plebi eius, in remissionem peccatorum eorum, non quæsiuissent vndè illi tantà eruditio, tamque multiplex verborum copia. Nimirū omniscius erat, quædam rara, insolita, & homine maiora loquutus est, tâquam ille in quo Deus pater omnes thesauros cœlestis sapientiæ reposuit. Vndè cæteris omnibus quid lôge diuinum loqui potuit. Super quem quieuit spiritus almus, & omnia gratiarum dona infudit, quæ aliis ad mensuram confert. Sicut carnalis affectus, quòd credat omnia sensibus humanis subiecta esse, fallaci specie rerum seducitur: quòd suæ conditionis captum longè excedant. Ita Iudæi de Christo sensu humano iudicantes seducti fuere, & capere non valebant suam doctrinam non esse suam. Quibus consilium dedit, omnia Deo cõmittere, quæ ab illis erant incomprehensibilia. Quòd solus esset qui ea referare, aut illis intelligibilia reddere posset, ait illis: *Si quis voluntatem eius qui me misit facere voluerit, cognoscet de doctrina mea utrū ex Deo sit: an ego à meipso loquar.* Vt Deus istud arcanum nobis reuelare dignetur, voluntatem eius faciamus: qui in mundum venit nõ suam facere voluntatem: sed eius qui misit eū. Quid aliud est facere volūtatem eius, quàm legis opus nobis iniunctum operari? Id pulchrè

Apostoli authoritate cōfirmatur, dicētis: Hæc
1. The. 4. est enim volūtas Dei sanctificatio vestra. Istud
 alio loco planius explicuit Ioānes euangelista
Ioan. 6. inquit: Opus Dei est credere in illum, vel eius
 verba facere, quem Deus pater misit. Subinfe-
 ramus fidem esse totius salutis fundamentum,
 sine qua nemini salus. Ideo Christus est per ac-
 cusatiuū, & cum præpositione loquutus. Quod
 sit quid diuersum, vel eum credere vel in eum.
 Dæmones enim eum esse credunt quem ado-
 rant, & parēre voci eius necesse habent: ad cu-
 ius sonitum contremiscunt, sed tantū qui di-
 uina præuenti gratia, illi nomina dederunt, &
 legis præcepta seruant, in eum credunt. Aman-
 tissimi, vt per fidem ei incorporemur, volunta-
 tem eius ex lege notā faciamus: & capaces eri-
 mus cognoscendi doctrinam eius salutarē esse,
 quam nobis communicauit. Itaq; credere in eū
Esa. 7. quem Deus pater misit, est præcipuum opus:
 quod ab homine exigit. Meritò Esaias ait: Nisi
 credideritis, non intelligetis, scilicet eum esse
 æterni patris filium, pro omnium salute homi-
 nem factum. Téporis progressu ampliora scien-
 tiæ secreta, quæ non sensu humano, sed planè
 diuino reuelabit. Cū ergo infidelitas sit nō-
 bis impedimēto omnium maximo, ne creda-
 mus doctrinam Christi salutarem esse, & bo-
 norum operum feracē, à cordibus nostris infi-
 delitatis

delitatis vitium amoueamus: vt elucens veritas fidei, tenebras ignorantia à nobis depellat, & inter multiplices doctrinas discernamus, si à Deo vel ab homine prodeat. Sequitur in textu. *Qui à seipso loquitur, gloriam propriam querit: qui autem querit gloriam eius qui misit eum, hic verax est, & iniustitia in illo non est.* Ex istis iterum agnoscamus tale discrimen esse inter filium Dei & Sathanam, quale est inter hos vel illos, qui huius vel illius partes fouet. Sathanas à seipso mendaciū loquutus est, voluit assimilari altissimo: *Ioan. 8.* contra Christus, à folio glorię in miseras huius mundi descendit, & pro similitudine hominū sese exinaniuit. Ille hominē perdere, Christus seruare hominem venit. Nuncius prudēs & fidelis ea tantū loquitur, quæ per principem loqui iussus fuerat, & principis voluntatem pluris facit quàm suam: ita imprudens & indiscretus erit, qui ex abundantia cordis, quicquid sibi lubet loquutus fuerit. Quia Sathanam imitatur, qui ex proprio loquutus, primos parentes seduxit: quos contra Dei præceptum edere de *Gene. 2.* ligno vitę hortatus est. Quem imitantur, quotquot sensu proprio loquuntur & peregrinas anteponunt doctrinas, illis quas mater Ecclesia instituit, & huc vsque obseruauit. Sicut, inquā, qui à seipsis loquuntur mendaces sunt, etiam Christus verax, iniustitię notari non potest.

Psal. 115 querens gloriam eius qui misit eum. De quo in
Rom. 3. psalmis legitur: Deus verax. Et cui Ioannes ait:
Ioan. 17. Sermo tuus veritas est. Mūdo non loquitur ni-
Prou. 8. si quod à patre audierit, ideo in Prouerbiis ait:
 Veritatem meditatur guttur meum, iusti sunt
 sermones mei, & non est in eis quid prauū aut
 peruersum. Si aliqua notari iniustitia potuisset,
 Deus pater qui iustitias diligit & equitatem vi-
 det, eum totius mundi iudicem non cōstituis-
 set. Postquam Christus suspicionem iniustitiæ
2. mol à seipso modestè depulit & amouit, Iudæos
 monuit facere voluntatem eius qui misit eum,
 pariterque docuit illius gloriam quærere, sicut
 ipse illam quæsuit. Cur ergo nos homūciones
 velimus gloriosi videri, cū simus huius capi-
 tis membra qui propriā non quæsuit? sed con-
 tempnit? Proh dolor, quā ei dissimiles sumus.
 Si diuina largiente clemētia nos cōtingat quid
 præclarum agere vel effari, totam gloriam Deo
 non tribuimus: contrā nonnihil illius nostris
 meritis superbè deputamus & adscribimus. Ma-
 la autem quæ fecimus ea adulterino colore de-
 pingimus, vt alia quā sint appareant: & crea-
 tori omnium æquissimo iniuriam irrogamus,
 quòd ea, ex parte illi imputemus, eo tātūm præ-
 textu, quòd nos huius vel illius complexionis
 fecerit, ex qua ad malū sollicitamur. Quasi no-
 bis non sit liberum pro bene placito operari.
 Atque

Atque indignamur quòd precibus nostris piè
 inuocatus, subitaneum auxilium ad vitiorū vi-
 ctoriam non præstiterit. Hæc Deo maximè di-
 splicent: cui quicquid facimus boni operis tri-
 buendum est. Suafu psalmographi inquentis:
 Non nobis domine non nobis, sed nomini tuo
 da gloriam. Similiter ait Iacobus: Omne datum
 optimum & omne donum perfectū desursum
 est, descendens à patre luminum. Sciētes omne
 opus perfectum, procedere à patre luminum,
 & mala à nobis esse: quibus Lucas ait: Cū om-
 nia feceritis quæ vobis præcepta sunt dicite ser-
 uui inutiles sum⁹. Cur, inquam, superbis homo,
 prospiciens Dei filium pro te ad mortem crucis
 humiliatum? Ille creator, tu creatura, ille domi-
 nus, tu vile mancipium. Quem imitari necesse
 habes, si cœlestium bonorum hæres per eum
 institui velis. Cui pater omnem potestatem in
 cœlo & in terra dedit. Quòd Iudæi eum diuinę
 legis transgressorem instituire voluerint, non
 solum se ab omni culpa liberavit, verum & eos
 eiusdem legis reos esse manifestavit inquiens:
*Nonne Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis
 facit legem? Quid me queritis interficere?* Imprimis
 dices: Istud non videtur hæere superioribus:
 Immo se ipsum maximè communicat. Animo
 reuolue Iudæos benignissimo Iesu duo atrocis-
 sima imposuisse crimina: Scilicet sabbatū sol-

*Psal. 113
 Iacob. 1.*

Luc. 17.

Ioan. 10.

uisse, & blasphemiam commisisse, quòd sibi diuinitatem tribueret. Quibus respondit, omnia sibi propria esse, quæ sunt Dei patris, dicens, Ille & ego vnum sumus. Et alia afferens, quàm maxima, quæ inter patrem & filium æqualitatem constituunt. Vndè tantùm restabat ostendere se non legem soluisse, contrà ipsos esse legis transgressores. Qui eum ciuem bene meritù die sabbati ad mortem quærebant. A quibus causam rãtæ iniquitatis quæsiuit, cùr ve legem Mosi non seruabant. Et vnum disputationis gratia supposuit dicens: Esto quòd salus proximo, die sabbati collata, ut cùnque videri posset quædam Mosaicæ legis transgressio, tamen in bonum proximi cedere. Vndè esset quid multò minus, quàm illo die necem ciuis benemerētis moliri. Qui eam moliti fuerãt, accusantes eum legis violatæ: quod esset (vt dictum est) quid leuius peccato illorum. His sanè mediis audaces impetus Iudæorũ compescere Christus voluit inquiring: *Qua de causa me queritis interficere?* Ac si diceret: si occidendus esset qui in proximi commodum non nihil operatus est die sabbati, quibus affiendi sunt tormentis, qui eodem die, ex certa animi malitia proximum bene merentem interficere cupiunt? Ex hac benignissimi Iesu voce, fuere Iudæi penè in rabiem versi. Prospicientes clancularias machinationes suas illi apertas.

pertas esse, quibus vnanimi voto dixerant: Occidatur. Sperauerant sanè, eum multò faciliùs interfici posse, si quæ aduersus eum moliti fuerant, illi incognita essent. Quod autem nunc viderent eum noticiam illorum habere, crediderunt consilia sua vana esse, & quòd ea stabilire non possent. Hæc satis occultè eis prædixerat Christus, quæ nihil ad populum ibi stantem pertinebant, qui populus tamen respòdit Christo dicens: *Dæmonium habes, quis te querit interficere?* O scelus maximum, à populari turba commissum! O blasphemiam, neque in seculo præsentis, neque futuro remitti dignam! cui imponit dæmonium habere? Nimirum illi, qui in salutem omnium venerat dæmonium debellare, & à mundo expellere. Qui dictus est fortissimus leo de tribu Iuda, radix Dauid, & nos omnes à potestate principis tenebrarum eripuit. *Apo. 5.* Obturantur aures piorum hominum, ne scelus maximè inhumanum, abominabile, detestandum audiât. Quid aliud proferre potuisset turba populi, verè turbata, cæno nouissimè turbato persimilis, nihil aliud olèti, nisi fœtidum ac putridum? Fuerat hæc malitia huius turbæ latens & occulta. In apertum prodiès blasphemiam loquitur omnium maximã. Nec mirũ, cum ea sit criminũ natura, vt semel commissa, nisi fuerint pœnitentia salutaris, subito amota,

committentes suo pōdere ad alia flectunt atq;
 attrahunt: vt sequens peccatum videatur esse
 præcedentis quædā proles, plus quàm viperea.
 Istud in populari turba Iudæorū cernere licuit:
 quæ mendacio blasphemiam addidit. Cui rectius
 cōparabitur q̄ homini, vitio lippitudinis oculo-
 rum laborati: Ideo proximū sinistro aspectu
 respicit. Cū ergo Iudæi haberēt mētis oculos
 Christi odio obtenebratos, verba de eo profer-
 re non potuerūt nisi insana atq; contumeliosa.
 Audiamus q̄ benignissimus Iesus à suscepta sce-
 lesti contumelia prorsus vesana, iræ, furoris, &
 insipientiæ plena egerit. Potuisset sine Dei offen-
 sa, couitio cōuitium cōpensare, ac illis dicere:
 Dæmon me nō possidet, sed vos detinet suis cō-
 strictos catenis. Nisi enim dæmoniaco furore
 colligati fuissetis, istud conuitiū abominabile
 mihi non imposuissetis. Verū maledictū pro
 maledicto retaliare noluit: sed manens in se trā-
 quillus, rationē eorum quæ fecerat, & quæ ca-
 lumniabantur modestè reddidit. Nobis exem-
 plum parans, decere crimina nobis ab homini-
 bus mente conturbatis falsò obiecta patienter
 ferre. Esto quòd nouerimus eos alia commis-
 se, ea pro nostra defensione in medium nō de-
 bemus afferre: multò magis silere, & salutaria
 eis monita conferre, vt nos ament, & à ma-
 lè cœptis abstineant. Ideo Christus ait: *Vnum*

opus

opus feci, & omnes miramini. Propterea à Moyses vobis dedit circuncisionem: non quia ex Moysse sed ex patribus. Christus die sabbati hominem à natiuitate cæcum, reddiderat clarè videntem, qui paulò post omnibus coram dixerat: A seculo nō est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati. Nisi qui me saluū fecit, fuisset homo ex Deo, non potuisset istud facere. Præsentes istud audierunt, & mirabantur: præter quosdam operum Christi osores, indignatos, quòd die sabbati fecerat. Cuius sabbati religiosi obseruatores videri cupiebant. Nihilominus in eo multa fieri permittebant, salute proximi longè inferiora. Nimirum si aut bos, aut asinus eorū die sabbati in puteum collapsus fuisset, à submersio-
Luc. 14.
 nis periculo eum illico liberabant: facientes sabbati religionem, cedere saluti animalium. Et indignabantur Christum totū hominem die sabbati saluum fecisse. Propterea inquit: *Moy- ses in mandatis dedit vobis circuncisionem fieri die sabbati.* Ne nesciatis esse aliquot opera, ob sabbati religionem non intermittenda, quæ fuerunt ex traditione antiquorum patrum instituta, quòd essent sacramentorum plena. Exemplo sit circuncisio, in testimonium magnæ fidei Abrahamæ instituta, & per eum in ea parte corporis fieri iussa, in qua carnis concupiscentia maxime regnat. Quam eos extinctam habere oportet.

tet, qui suæ mentis puritatem diligunt. Eaque
Esa. 28. cultro fiebat petriño: quòd illum adumbraret,
Psal. 117 qui petra angularis dicitur, & venit homines
Mat. 21 circumcidere, non carnis præputij amputatio-
Ephe. 2. ne, sed vitiorum abdicatione. Vt ait Apostolus
Coloss. 2 ad Colossenses: Sitis circumcisi circumcissione
 non manu facta, in expoliatione corporis ear-
 nis, sed in circumcissione Christi. Neque cultro
 vititur, sed sancti spiritus gratiam confert, vt diè
 sabbati, in suauissimo gratiæ otio, feriásque sa-
 cras agant: non vno die sabbati, sed totius vitæ
 hebdomada, quo in opulentam foelicitatis æ-
 ternæ requiẽ perueniant. Ex istis Christus sub-
 inferre voluit, cum ob diem Sabbati circumci-
 sio non differatur, quòd salus proximi differi
 non debuit. Cum sit opus planè diuinum, &
 circumcissione multò maius. Quisenim potest
 totum hominem, id est, iuxta corpus & animã
 curare, nisi Deus? Sed circumcissionis obseruan-
 tia per homines fiebat: & ante illam vixerunt
 homines, non carne, sed spiritu circumcisi, qui
 erant Deo charissimi. Et hodie viuunt, aqua &
 spiritu sancto regenerati. Quæ vsque ad Christi
 aduētum obseruanda fuit: vt quemadmodum
 Iudæi erant simbriis palliorum ab hominibus
 æthnicis externè diuisi, pariter internè, præpu-
 tij incisione discreti essent. Itaque cum circum-
 cissionis obseruatio, tunc non fuerit Mosaicæ
 legis

legis transgressio, contrà visa fuerit sabbati solutio esse ipsius legis consummatio. Ex istis omnibus præmissis in vnum collectis, Christus subinferre voluit, opportunū fuisse ac decēs, totum hominem die sabbati saluum facere. Ideo in textu sequitur: *Si circumcisionem accipit homo in sabbato, vt non soluatur lex Moysi, cur mihi indignamini, quia totum hominem die sabbati saluum feci?* Cuius religio non impediēbat puerum circumcidere? Quod tamen erat quid sæuam: quia sine sanguinis effusione, tanta plerūq; vt mors sequeretur fieri non potuit. Vnde videtur totū hominem posse curari, absque offensa sabbati, sed ea manente firma & stabili. His adde quòd sacerdotes & Leuitæ, die sabbati holocausta & victimas ad rem diuinam ex indulto legis præparabant, & supplices erant pro salute corporum: multò tolerabilius erit, permittere totum hominem, die sabbati saluū reddere. Ideo Christus aptè admodum ait illis. Qui Moysi nō indignamini cruentum opus: circumcisionis, die sabbati facere: instituenti, me nepharij criminis reum constituere non debetis, quòd totum hominem die sabbati saluum feci. Rursus primum introspicite. Rogo quales vos estis, qui proximum bene merentem iudicatis? Nempe maximis criminibus inuoluti estis. Quos iterum monuit rectum proferre iudicium dicens:

Nolite iudicare secundum faciem, sed rectum iudiciū iudicate. Si in ferendis iudiciis non personæ, sed res ipsæ per vos prospicientur: esto quod Moysen habeatis (vt par est) tanquam dei eximium prophetam, & sim ego penes vos, instar vermis, & non homo, in causa præsentī, aut vtræque nostrūa damnabitur, aut vtræque à causa liberabitur. Nimirum si illi licuit otium sabbati propter opus circumcisionis soluere, & mihi licitum fuit totum hominem die sabbati saluum facere. Qui Moysen violatæ legis non arguitis, cur mihi pro crimine imponetur data salus proximo? Et hoc non esset iustè iudicare. Illos monens rectum perferre iudicium, nos admonuit, illos redarguens, nos hortatus est. Omnes enim lex alloquitur dicens: Rectè iudicate filij hominum: Absint ergo à cunctis fidelibus iudicibus timor, odium, fauor, personarum acceptio. Et ipsi rem in ius deductā debitè præparèt. Porrò quod iustum est de ea pronuncient, memores, hinc emigrandum esse. Et nos fructus Deo acceptiores non reportare, quàm opera iustitiæ, quòd ue ad consequendū æternæ beatitudinis brauium, nihil proderunt amici aut conferēt illustrium virorum gratuitæ voluntates, si fuerimus iustitiæ operibus vacui. Itaque iustè viuamus, & de operibus proximorum iustè iudicemus. Scientes qua mensu-

ra mensi fuerimus, quòd eadem remetiatur no- *Mat 7.*
 bis. Istitis omnibus interfuerunt quidam Hiero- *Mar. 4.*
 solymitæ: & hæc videntes mirabantur ac dice-
 bant: *Nonne hic est quem quærunt interficere? Ecce*
palam loquitur & nihil ei dicunt. Quòd diu con-
 uersati fuissent cum aduersariis benignissimi
 Iesu, exploratum habebant, eos mortem illius
 procurasse, & eam in optatis habere. Quare
 propter taciturnitatem illorum mirabantur: &
 eos illis persimiles esse iudicarunt, qui in insi-
 diis latitantes, incustoditum hominem expe-
 ctant, vt eum occidant. Cùm in sacris literis,
 nihil sit non inspiratũ à spiritu sancto, nec ver-
 bum sine mysterio appositum, inquiramus cur
 Euangelista ait ipsos ex Hierosolymis fuisse.
 Sub ista breui particula orationis sacramentum
 latet, ad Iudæorum confusionem reuelandum
 qui ex Hierosolymis erant: miracula Christi
 & signa per eum multipliciter edita, partim
 viderant, partim præ cæteris audierant. Et ad-
 huc de eo loquebanrur, tanquam dubij, an
 Messias esset, à lege promissus. Hactenus qui
 præsentem erant Christum hominem subtimi-
 dum iudicauerant, quòd in publicum prodire
 ausus non esset. Quem subitò viderunt liberè
 & palàm in conspectu inimicorum adesse, &
 verba proferre cui contradicere ausi non fue-
 rant. Tamen si sermonis libertas eos loqui pro-

uocaret. Ideo dixerunt: *Nunquid verè cognouerunt principes, quia hic est Christus? Sed hunc scimus vndè sit. Christ⁹ autè cū venerit nemo scit vndè sit.* Ipsi valde ancipites erant, quid de illo dicere deberent. Et nescio quid sinistrum de principibus suis loquebatur animis fluctuantes, & eodè penè momento huc & illuc ferebantur: querentes inuicem an fieri posset, quod nos plebei homines sciremus vndè sit, & principes nostri id ipsum nesciant. Parentes eius cognatos, fratres nouimus. Galilæa est suæ conceptionis regio, & vrbs Nazareth, locus natiuitatis, Bethleem. Admirantes inaduertentiam principum sententiam pronunciarunt non veracem: dicentes se scire vndè sit Christus, & nesciebant. Loquuti sunt instar hominum planè furentium, qui nullatenus sibi constant. Dicamus verò quid de Christo scire potuerunt quòdve de illo ignorare visi sunt. Ex prophetarum oraculis, tempus & locum suæ natiuitatis nosse potuerunt: sed æternam illius generationem non noverunt, vt qualis & quantus esset cognoscerent.

Clamabat Iesus in templo docens & dicens: & me scitis, & vndè sim scitis, & à meipso non veni: sed est verus qui misit me quem vos nescitis. Vt audiretur non solum à propinquis cathedrę verumetiam à multum remotis, se à Deo patre missum què nesciebant filium ab æterno genuisse. Nempe
 fi

si sciissent Christum esse filium consubstan-
 tialem Deo patri eum reueriti fuissent, atque
 dignanter suscepissent tanquam missum ad
 preces patriarcharum & prophetarum cla- *Exod. 4*
 clamantium: Mitte nobis domine quem mis-
 surus es, vt liberet populum tuum. Atque Dei
 filio dixerant: Festina domine, veni, amplius
 noli tardare & relaxa plebis tuæ facinora.
 Quod illum non nouerint, quem cognoscere
 dicebant mendaces erant. & ipse verax. Ideo ait
 illis. *Ego scio eum, & si dixerero quia nescio eum, ero si-*
milis vobis mendax. Tantò perfectiùs Deum pa-
 trem filius nouit, quantò ab æterno eum sibi
 consubstantialem genuit. Ideo si ipse notitiam
 Dei patris se habere negasset, mentitus fuisset.
 Mihi dices cùm sit Deus verax, mendaciũ pro-
 ferre non potuisset. Pro confesso habebis, quòd
 si mentitus fuisset, mendax constitui potuisset.
 Nihil enim propositionem conditionalem
 prohibet veram esse, cuius omnes & singulæ
 partes sunt falsæ, aut impossibiles. In sequen-
 tibus rationem adfert Christus vndè patrè per-
 fectè nouit dicens: Ipse & ego vnum sumus &
 eiusdem substantiæ. Testatur Ioannes Euange-
 lista quòd nemo nouit patrem nisi filius aut
 cui voluerit reuelare. Idcirco Amantissimi, si
 veram dei patris notitiam habere velimus ad
 Christum patri consubstantialem accedamus,

& sermonibus suis aures nostras accommodemus, qui à seipso nō venit, sed verus est qui illū misit. Ex istis non credamus esse inter patrē & filium substantiæ prioritatem, sed personarum differētiam cognoscamus. Ideo filius quicquid habet authoritatis, reuerētię, & dignitatis, patri tribuit, quod ab illo æternaliter exierit. Quod autem fieri possit aliquem Christum iuxta carnem nouisse, & ignorare Deum esse patrem il-

Ioan. 14 li^o, vndè alibi Apostolis dicebat: Si me cognouissetis, fortasse patrem cognouissetis. In istis & similibus omnia valde constant: modò vnum ad diuinitatem, aliud verò ad filij humanitatem referamus. Ob earum dissimilitudinem naturarum, Christus modò quid humile, modò quid sublime est de seipso loquutus. Et Iudæi aliqua de eo sciebant, & alia nesciebant. Quod omnia ad eandem referre naturam vellent. Et fuere verbis illius irritati. Ideo dentibus frementes, contra eum commouebantur: quem credebant plus authoritatis penes populum sibi vindicare, quàm æquum & conueniens esset. Sequitur: *Querebant ergo eum apprehendere, & nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora. In qua pro salute omnium mortem subire venerat. Sicut enim fuerat voluntariè natus, etiam voluntariè passus est. In cuius manu datum erat affectus animorum quamlibet*

libet feroces continere : ne ipsi aliquid vel minimum aduersus eum valerent , donec veniret hora vt pateretur , à patre definita . Quando venit, se manibus inimicorum vltro obtulit capiendum . Interim conuitia eorum patienter tulit, nobis patientiæ documentum tribuens, ne ob aduersa, quæ fortuitò nobis incident commoueamur, de diuina ope desperantes. Neque ad vana augurum cõsilia confugiamus , nihilque mali aduersus proximos intentemus, sed flagella Dei nostris emerita peccatis patienter feramus Dei auxilium inuocantes. Quod viderint præsentis Iudæi silentium ad Christi doctrinam per principes obseruatum fuisse, & neminem in eũ manus misisse , quem apprehendere voluerāt : Factum est vt de turba multi crederent in eum. Proh dolor , videmus plebeios homines , ex vera simplicitate cordis Christo credidisse, & salutis doctrinam amplexos fuisse: contrà sacerdotum principes, qui literas nouerant, & legis secreta didicerāt, in varios errores prolapsos esse Dixerunt se sapiētes, *Rom. 1.* & inuenti sunt omnium stultissimi.

Homilia serię quartæ post quartam dominicam quadragesimæ.

Ioan. 9.

OO iij



*E*t præteriens Iesus, vidit hominem cæcum à natiuitate. Quotquot sacras literas suis iuuerunt commentis, in hâc cõueniunt sententiam, Christum esse

- Luc. 2.* verum lumen, missum ad illuminationem gentium, & gloriam plebis Israëliticę, atq; in mundum venisse, vt suo splendore vitiorum tenebras à nobis amoueret. Ideo ait: Ego sum lux mundi. Et de eo inquit Ioannes: Est lux vera quę illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et discipulis iterum de se lo-
- Ioan. 1.* quutus inquit: Dum lucem habetis, credite in lucem, ne tenetis vitiorum vos comprehendant. Quòd Iudæi denegarint eum esse verum lumen, in templo, lapidibus eum obruere voluerunt, sed consultò recessit, furori illorum cedens, præteriens, argumentum inuenit, furori & errori eorum apprimè conueniens. Inter eos non corporum sed animorum oculis captos scisma de illo motum fuerat. Genus cæcitatibus eorum erat tantò infœlicius, quantò ipsi eo laborantes videri volebant oculatissimi. Mihi videtur iste cæcus multò minus miser fuisse quàm illi erant. Ipse tantum in corporis perniciem, oculorum lumine turbatus erat: illi autem ad animæ detrimentum cæcutiebant, quos Christus, quia peccatores erant, præteriit. Qui egregiè describitur præteriens, quòd in via peccatorum

torum sui itineris vestigium non fixerit, sed re-
 cta via ambulans cursum præsentis vitæ pertrã-
 sivit, oppressos variis infirmitatibus curans, qui
 perditam ouem quærere venerat. Præteriēs er-
 go, hominem cæcum ab utero matris aspexit,
 cui lumen restituit. Hic paululum contem-
 mur ad quæ spectacula præteriens, oculos di-
 uertere solitus erat. Nimirum super infirmos
 pauperes, vt illis cõmodaret, quorum misereri
 venerat. Cur nostros ad quædã ignavia, & ali-
 quando turpissima cõuertimus, & nihil minus
 quàm ad pauperes deflectimus, scientes scriptũ
 esse hominem beatum qui intelligit super ege-
 num & pauperem, quoniam in die mala libe-
 rabit eum dominus? Quod magis Deo displi-
 cet, occursum pauperum fugimus, & ab illis o-
 culos diuertimus, ne miseras, & infortunia eo-
 rum prospiciamus. Hoc non est Christum imi-
 tari, qui præteriēs in hominem à natiuitate cæ-
 cum data opera suos deflexit. Prospicientes di-
 scipuli præceptorem cum studiosa oculorũ de-
 flectione cæcum diu multũque intueri, inter-
 rogauerunt eum: *Rabbi quis peccauit hic aut paren-
 tes eius vt cæcus nasceretur?* Percunctatio per eos
 proposita, videri posset inter seculi homines,
 magno risu dignissima, dicentes fieri non po-
 tuisse, quòd cæcus antè quàm natus fuerit, pec-
 carit. Sciant velim, ipsi discipulos audiuisse fa-

Psal. 1.

Act. 10.

Luc. 15.

Psal. 40.

bulam philosophorum, satis eo temporis vulgarem, qua dicebatur eandem animam successiuis tēporibus diuersa inhabitare corpora pro operum varietate illi assignata, in quibus vel præmia iustorum operum haberet, vel tormenta pro maleficiis subiret. Quod autē huius cæci anima in priori corpore manēs, dominatorem illius ex sinistro aspectu seduxerit, & in peccatum induxerit, ipse in criminis pœnam cæcutiebat. Quid rursus fuit dicere aut parētes eius? Pariter audierant filios pro parentibus pœnas subire iuxta illud Hieremiæ: Patres nostri peccauerunt, & nō sunt: nos autem iniquitates eorum portauimus. Vndē deficit gaudium cordis nostri, versus est in luctum chorus noster.

Tren. i. Et Ezechiel inquit: Patres vram acerbam comederunt, & dentes filiorum adhuc obstupescunt. Rursus legitur, quòd à filiis vsque ad tertiam & quartam generationem peccata requiruntur. Mihi dices quid diuersum alibi habetur, scilicet, quòd filius non portabit iniquitatē patris: sed anima quæ peccauerit ipsa morietur. Ad eorum concordiam dicamus, quòd sicut homo ex corpore & anima consistit, ita illi iuxta corpus vel animam pœna aliquoties imponitur, quòd corpus hominis sentiatur esse portio quædam sui parentis, vndē ad ius hæreditatis vocatur, & in locum illius subrogatur. Similiter in

liter in grauioribus delictis, in quibus primas tenet crimen læsæ maiestatis, cum illis infamia notatur, & aliquot temporalibus bonis ad tertiam & quartam generationem priuatur, omnium maximè si crimen nouerit, neque reuelarit: quòd ei còsentire videatur, Hac de causa, Diuinæ vltionis animaduersio Iudæos à generatione in generationem percussit, quòd delictis parentum suorum consentientes essent, quibus dictũ fuit: *Profectò testificamini quòd consentitis operibus patrum vestrorum. Luc. II.* Ideo requiretur à vobis sanguis iustorum, qui effusus est super terram à sanguine iusti Abel, vsque ad sanguinem Zachariæ. Anima verò hominis ex parentum substantia non procreatur, sed corpori formato diuinitus infunditur. Cùm ergo non sit quædam portio substantiæ eorum filius iuxta animam, portare non debet iniquitatem patris. Ideo egregiè dictum est: *Anima Ezec. 18* quæ peccauerit, ipsa morietur. Quod discipuli Iesu dubij essent, cui certò culpam orbitatis oculorum assignare deberent, aut cæco homini aut parentibus suis, manentes vtróque cornu pressi, à Christo percunctati sunt: *Quis peccauit hic, aut parentes eius? Iterum audierant Dominum paralytico dixisse: Noli amplius peccare, ne quid deterius tibi contingat. Ioan. 5.* Vndè credebant nullã hominibus pœnam nisi

fuis promeritam flagitiis imponi. Benigniffimus Iesus errorem illorum corrigere concupiscens, manifestauit corporales defectus non semper esse delictorum comites, sed Deo permittente, ad virtutis patientiæ probationem vel custodiam illius aliquoties incidere. Quibus respondit: *Neque hic peccauit, neque parentes eius, sed vt manifestarentur opera Dei in illo.* Cùm dicat scriptura: Omnes declinauerunt: non est qui faciat bonum vsque ad vnum, scilicet benignissimum Iesum, videretur Christum dicere non debuisse & cæcum & parentes non peccasse. Cur ergo eos ab omni peccato liberauit dicens: *Neque hic peccauit neq; parentes eius?* Istis adiunge quod sequitur scilicet, vt cæcus nasceretur, & nihil dubij inuenies. Itaque ad eorum interrogata respondens, eos à labe peccati originis non absoluit, quo infecta fuit tota Adam posteritas præter illum qui operante Spiritu sancto, & virtute altissimi adumbrante in vtero virginali conceptus fuit, & matrem ab illo præseruauit: quòd eum non deceret æterni patris filium corpus habere ex matris substantia vitio culpæ originis infectæ. Ratio sequens scilicet, vt manifestentur opera Dei in illo, multis admirationem contulit, cum dicat Paulus mala non esse facienda vt eueniant bona. Ad quid ergo luminis oculorum priuato huic

Psal. 13.

Rom. 3.

Luc. 1.

Rom. 3.

huic calamitoso homini ad gloriam operum Dei contigit? An gloriam Dei patris filius sine proximi incommodo manifestare non valuit? quòd dictum sit istum cæcum nasci vt opera Dei in illo manifestentur. Prisci doctores vnà conueniunt, vocabulum, vt, non fuisse casualiter appositum, sed consequutiue. Et hæc dicendi methodus frequens est in sacris literis, præcipuè apud Paulum legitur: Lex subintravit vt abundaret delictum. Etiam fortuito cõtiguit hominem nasci cæcum quem Christus curauit: in quo gloria Dei patris manifestata fuit, cui laus omnium bonorum operum tribuenda est: & se Dei filium Christus apertis demonstrauit argumentis. Iterum ex priuatione luminis oculorum cæco fuit leue damnum in gloriam Dei passus, atque pro eo beneficium non mediocre assequutus: quia interioribus oculis vidit quod Iudæi videre non potuerunt, scilicet Christum ad illuminationem gentium, & gloriam plebis Israël missum. Ideo prædicari potuit verè fortunata quæ parum illi obfuit, & multum profuit. His adde, quòd Christus in mundum venerat, vt non videntes viderent: qua re lumen cæco contulit, operatus opera illius qui eum misit. Ideo in sequentibus ait: *Me oportet operari opera eius qui me misit, donec dies est.* Præcipua illius opera quorum me-

Rom. 3.

1. Tim. 1.

Luc. 2.

Ioan. 9.

mus: ne grauis somnus mortis nos subripiat. Sicut enim dum dies se abscondit, & in noctem tenebrescit, à cunctis operibus cessant operarij, similiter post vitæ terminum nemo meritorie operari poterit. Rursus operarij summo manè surgunt, vt opus diei prius quàm sol occidat, absoluant: & nos bonum diligenter operemur, seclusa etiam omni excusatione circa omnes, maximè autem domesticos fidei, certiores facti vitam hominis velociter transire, & dies recta operandi esse fugaciores. vmbra prætereunte. Vt Christus suum opus operaretur, expuit in terram, & lutum ex sputo fecit, & liniuit lutum super oculos cæci. Ad eorum intelligentiam recolamus primum parentem nostrum ex limo terræ formatum fuisse, & per peccatum originis lumen diuini vultus perdidisse, atque ignorantia tenebras incurrisse. Cæco dominus ait: *Quid vis vt tibi faciam? Et respondit: Domine vt videam.* Ideo filius Dei qui est lux vera illuminans omnem hominem, in mundum venit, vt quem formauerat, reformaret. Et materia luti vsus est: nempe ex limo terræ, hominem formauerat, & ex luto salua temperato, illum reformauit. Cur vel ad hominis compositionem, vel illius restaurationem est luto vsus, nisi quòd velit nos semper reminisci ex quo facti fuimus, quidve in finem erimus, scilicet cinis, puluis,

Ioan. i.

esca, & vermium putredo. Insuper eramus in æ-
 ternum perditum, nisi qui nos creauit, idem nos
 restaurasset, perditum lumen Diuini luminis re-
 stituens. Ideo lutum ob oculos nostros posuit,
 quando cæcum curauit, cui ait: *Vade ad natato-*
ria Siloë, quod interpretatur missus. In quo est Eli-
 4. Reg. 5 scæum prophetam imitatus, qui Naaman Syru
 lepra infectum curaturus, eum ad ripas Iorda-
 nis misit. Quod prophetæ voci paruerit Na-
 aman mundatus fuit, in typum quod Christus
 aquas baptismi sanctificaret, ad quas omne ge-
 nus hominum mitteret, qui salutem consequi
 vellent. Quotquot enim baptisantur credentes
 in eum quem pater misit, à lepra vitiorum cu-
 rantur, & perditum lumen diuini vultus reci-
 piunt. Exemplo sit cæcus iste, qui ad natatoria
 Siloë abiit, se lauit, & venit videns. Pergens ad
 illud, vt erat luto oblitus, nihil murmurauit, ta-
 met si sciret lutum oculis linitum esse eius na-
 turæ, quod hominem excæcare potius quàm
 illuminare posset. Sicut Christo oculos illius
 linenti prius paruerat, ita nunc se morigerum
 prebuit, parum curans quod ad fontem Siloë
 properans ex lutatis oculis derideri posset. Ne-
 que itineris lógitudo eum luto oblitum remo-
 rari potuit, quin ad aquas Siloë nullo antea mi-
 raculo celebres, & multum remotas propera-
 ret. Quod ipse esset vulgo notus, multi eum se-
 queban-

quebantur, fortassis non sine maximo risu, & cachinno, qui dicere potuerunt, opus non fuisse hominem facere bis cæcum, & mittere ad aquas nullo celebres miraculo: sed erubuerunt quòd reuersus est clarè videns. Quærun nonnulli in quo vase Christus lutum fecit, an in còcaui suæ manus, quasi in quodam vaseculo composuit. Huius compositionis luti & saliuæ modum dicere non valeo, quòd nemo Euangelistarum explicuerit, nec iste cæcus manifestarit. Tametsi à plebe, pharisæis & iudicibus fuerit super re gesta multoties interrogatus, illis simpliciter respondit: Lutum fecit dominus, oculis meis imposuit, eos lauare iussit, laui & veni videns. Alij quærun cur Christus Dei filius in principio cum patre componens omnia sine aliquot cæremoniis ad suum esse omnes rerum substantias produxit, nunc verò admirabilibus utitur. In primis lutum sua temperauit saliuæ, & eo oculos cæci liniuit, atque omnibus coram eum ad aquas properare, & lutum abluere iussit. Hæc maiorem miraculi fidem faciebant. Ultrà nos informare voluit. Christus cæremonias ad rerum decorem à maioribus institutas non esse intermittendas, verum diligenter conseruandas. Ex præmissis multa occurunt notatū dignissima, vobis in præsentiarum commemoranda. In primis mihi consydera Christi miles.

mirabilem Christi in hunc pauperem cæcum
 animi propensionem: qua motus vt eum cura-
 ret tantum se demisit, quòd ex arido puluere sa-
 liua sua temperato lutum fecerit: oculis cæci im-
 posuit: huius seculi superbos cõfundit, qui ocu-
 los ad pauperes deflectere dedignantur, neque
 eos suis beneficiis dignos iudicant. Eadem ra-
 tione discipulos arte piscatoria vitam quæren-
 tes elegit, & ampliora suæ largitatis beneficia
 in pauperes infirmos, quàm in diuites contu-
 lit, probè sciens diuites aliam salutis recuperan-
 dæ viam habere satis commodam, scilicet ex di-
 uitiarum copia medicorum artem emere. Ideo
 saliuam sui oris luto immiscuit, quòd nos scire
 oportuerit virtutem huius curationis non fuisse
 à terrestri substantia egressam, sed à spiritu
 oris eius emanatam. Rursus magno non caret
 sacramento quòd in terram spuerit, & vtrun-
 que scilicet sputum & saliuã miscuerit. A sum-
 mitate capitis sputum profluit, & Dei filio ma-
 ximè congruit, qui à Deo patre rerum omniũ
Eccl. 24 viuo fonte ceu capite exiuit iuxta illud: Ex ore
 altissimi prodij ante omnem creaturam. Ideo
 alibi dicitur vapor virtutis Dei, & sincera ema-
 natio Diuinæ maiestatis. Tunc fuit luto huma-
 ni corporis immixtus, quando formam ho-
 minis in vtero virginali accepit, vt inhabitaret
Ioan. 1. in nobis, & videremus gloriam eius. Quid vn-
 ctio

ctio inde facta aliud signat, nisi quòd morbide
 oues dominici gregis eramus, & oleo misera-
 tionis diuinæ indiguimus? Deus pater filium
 vnxit, vt nos vngeret, Huius rei cæremonia in
 Ecclesiæ sacramentis religiosè seruatur, Vndè
 fidei nostræ nouitius vocatur cathecuminus,
 idem est ac si dicas vnctus, cui vnctio diuini
 Spiritus proderit, si iuxta Christi præceptum in
 aqua baptismi lotus fuerit, & in eo fonte gra-
 tiarum lutum peccati originis, & quorumcùn-
 que actualium peccatorum proluerit, tunc à
 cæcitate oculorum non dico corporalium, sed
 spiritualium gratia Dei liberabitur, quas fidei
 robur ei præstabit. Vt antiquo serpenti viriliter
 resistat in gremium matris Ecclesiæ susceptus,
 omnia quæ à præpositis illius iubentur, sine dif-
 fidentia aut animi hæsitatione perficiat. Et
 quemadmodum iste cæcus diuino contactui
 sese totum accommodauit, quem Christus qui
 in mundum venit illuminare eos qui erant in *Luc. 11.*
 tenebris & in vmbra mortis purificauit, & eum
 purificabit iuxta illud Ezechielis: Effundam su *Ezec. 36.*
 per vos aquam mūdā, & mundabimini ab om-
 nibus inquinamentis vestris: & ab eo cor la-
 pideum auferet, & carnem subministrabit, &
 ponet spiritum nouum in medio cordis illius.
 Aquas baptismi credat à Christo sanctificatus,
 virtutem habere peccatorū curatricē: & quot-

QQ

quot hoc nō credunt, renouari in filios Dei nō posse. Quid enim aliud est ad eas non venire,
Ioan. 3. quàm vocē Christi non audire clamantis: Qui non fuerit regeneratus ex aqua & Spiritu sancto, non potest videre regnum Dei. Huic sententiæ inseruit prophetia Esaia dicētis: Pro eo quod populus aquas Siloe ex obscuris terræ cauernis profluentes abiecit, & puteos effoderit (sequuntur occulta legis mysteria, & circa textus finē habetur) Ecce ibi tribulatio, tenebræ, & caligo. Cur fuit Iudæus à Deo reprobatus, nisi quod gratiam baptismi reiecerit, neq; Christo obsequutus est? Inde tribulatio omniū maxima eum iuuasit. Ideo lutum fecit Dominus, & ante oculos nostros posuit, quod velit nos recordari quales ante baptismi sacramentum fuimus, quidve, & in vindictam peccati originis in finem erimus. Nimirū pulueribus quos proiicit ventus à facie terræ, & paleis longè inferiores. Vnde Iob dicebat: Putredini dixi. Pater meus es, & soror mea vermibus. Idcirco nobis multum salutare erit, huius nostræ compositionis meminisse vt cristas animi arrogantis deprimamus, recolentes quod vermium esca & putredo erimus. Nos ergo præstaret cū cordis amaritudine effluentem peccatorum sanie à cordibus nostris amouere, & quasi testula eam eradere, quàm pro mūdi gloria torques aureas
 nostro

nostro circumferre collo, & vestitu deaurato nimia varietate intexto indui. In huius rei memoriam Christus lutū fecit, & ante oculos nostros posuit. Dicere restat cur potius in oculo quàm in alio corporis membro salutarem huiusmodi cęrimoniam obseruauit. Non fuerat quiuis de populo culpam originis contrahens, sed omnium pręses ac parens Adamus lumen amisit, quod oculo cernitur. Insuper oculus est inter omnia corporis membra primas tenens, sua portione paruus, sed omnium nobilissimus totum corpus circuducens, estque illi apprimę necessarius. Dignitatem oculi Paulus describens inquit: Si dixerit, quia non sum oculus, non sum de corpore. Iterum quod sol in mundo agit, hoc ipsum in corpore humano exercet oculus. Vbi sol absconditur, omnia tenebrę occupant, deficiente oculorum lumine, pręcipuę corporis partes manus & pedes torpescunt. Ob suę dignitatis reuerentiam est in altissima sede capitis collocatus, vt rāquā rex in solio sedens cunctis sensibus pręsideat. Ideo Christus nostrę humilitatis corpus reformans, oculo visum restituit. Hęc audientes (mantissimi) nos pudeat criminū nostrorum, quibus abolendis oportuit vnicum Dei filiū luto fragilis naturę inuolui, vt nos homines lutosos, vel peccatores Deo reconciliaret, & populum acceptabilē &

1. Cor. 12.

gratum ei redderet sectatorem bonorum operum. Ad sensum literæ redeamus. Itaque vicini & qui viderant cæcū prius, quia mendicus erat, dicebant: *Nonne hic est qui sedebat, & mendicabat?* Qui eius ad aquas Siloe properantis toto itinere sequaces fuerant diligentissimi, dicebant: *Quia hic est.* Alij verò: non, sed similis eius est. Quia oculi clarè videntes faciem illius immutauerant, ideo alium sibi similem videre credebant. Cæcus propter præsentiam inimicorum Christi, collatum sibi à Christo beneficiū prædicare nõ distulit dicēs: *Ego sum, Cui sol antea non luxit, donec luminis beneficiū mihi contulit.* Dicebāt ergo illi: *Quo modo aperti sunt tibi oculi?* Respondit. *Ille homo qui dicitur Christus lutum fecit, & vnxit oculos meos, & dixit mihi: vade ad natatoria Siloe, & laua. abij, & laui, & video.* Qui miraculo presentes non fuerant, & erāt curiosi ultra modum incomprehensibilia Dei opera capere cupientes hæc quærebant, quasi nescirent sanctū Iob dixisse: *Memento homo quòd ignores opus Dei.* Nimirum humanæ mentis captū longissimè excedunt opera Domini. Cæcus (vt dictum est) quæ nouerat illis recitauit, & prudēter siluit quo modo Christus lutū fecerat. Cū adhuc orbatus esset, modum scire non potuit, tantū ergo expressit quod senserat sibi externè factum: & Christum esse illuminatorem, a-

pertò

Iob. 36.

pertò euangelisauit. Vndè Iudæi dixerunt ei.
*Vbi est ille? Et ait: Nescio. Adducunt eum ad
 Phariseos qui cæcus fuerat. Erat autem sabbatum
 quando lutum fecit Iesus, & aperuit oculos eius.*
 Istud ex industria nobis narrauit Euangelista,
 ne nesciamus qua ratione Iudæi Christum cri-
 minis arguere, quòve prætextu miraculum cu-
 rationis cæci obscurare voluerunt. Quòd ergo
 sabbatum esset, cæcum consilio Scribarum &
 Phariseorum astare fecerunt, quo abundantiùs
 super modo curationis intrerogaretur. Iterum
 ergo interrogauerunt eum Pharisei quomodo vidisset.
*Ille autem dixit eis: Lutum mihi super oculos posuit: &
 laui & video.* Hæc referens nihil substantiæ eo-
 rum immutauit quæ priùs dixerat, sed multò
 breuiùs quàm antea loquutus est. Sciebat sanè
 eos totius rei veritatem à multis audiuisse, &
 quòd veraciùs loqueretur, eò tenaciùs veritatem
 impugnarèt ipsi, suis verbis laqueos nectentes,
 quòd eū seducerent, quia lumen salutis in corde
 non habebant, quòd cæcus in facie recupera-
 uerat. Dicebant ergo ex Phariseis quidam: *Non est
 hic homo à Deo, qui sabbatum non custodit. Alij au-
 tem dicebant: Quo modo potest homo peccator hæc
 signa facere? Quid audiri potest sceleratius ma-
 ledicentia eorum? cui crimè sabbati violati im-
 posuerunt? Nempe illi qui sabbati religionem
 longè reuerentiùs aliis omnibus semper obser-*

uauit, atque propinquius iuxta legislatoris mē-
 tem. Quid enim aliud sonat sabbatizare, quàm
 animum ab omnibus vitiis feriatum habere?
 Christus verò nunquam peccatum fecit, ergo
 semper sabbatum custodiuit. Quòd eos totos
 principatus amor occuparet, Christo indigna-
 bantur, erantque eius humilitate multum of-
 fensi. Qui inter illos fuere sanabiliore & ipsi
 dicebant: Res ipsa loquitur istud opus præsi-
 dio Dei factum fuisse, quoniam peccator idip-
 sum facere non posset. Ex variatis inter eos sen-
 tentiis scisma (Christo permittente) inter eos
 ortum est, qui in terris non venit inter pecca-
 tores pacem mittere, sed gladium. Et ait: Expe-
 dit vt veniant scādala. Etiam scisma enasci per-
 misit, quòd veritas huius miraculi esset manife-
 stior, quòd varias in partes diuisi essent. *Iterum*
interrogabant eum dicentes: Tu quid dicis de illo
qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit: Quia prophe-
ta est. Ex interrogatoriis multoties repetitis
 sperauerunt eum nonnihil de Christo incon-
 sideratè loquuturum, ex quo ansam calumniæ
 haberent, & alios mediocriter Christum co-
 gnoscentes subornarent, ne in gratiam illius
 quid in futurum splendidè loquerentur. Quòd
 autem cæcus responderit: *Propheta est. Non cre-*
diderunt verbis eius, donec vocauerunt parentes, &
interrogauerunt dicentes: Hic est filius vester, quem

vos dicitis quia cæcus natus est? *Quomodo ergo nunc videt?* Fuit percunctatio eorum insidiosè proposita, & intentioni eorum multò plus nocuit quàm profuit. Neque sine causa dixerunt: *Què dicitis quia cæcus natus est, illos fanè volebant inducere eum denegare illum esse qui nascèdo cæcus fuerat. Sed parentes responderunt: Scimus quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est. Mihi consydera veritatem esse eius naturæ, vndè insidias patitur, inde fortior euadat: cui mendacium opponitur quod veritatem non lædit, sed eam longè clariorem reddit. Istud ex partum huius cæci responsis cernere licuit dicentium: Scimus, & quia natus est cæcus, & quia est filius noster. Verùm cur mentiuntur dicentes: *Quomodo nunc videat, nescimus, aut quis oculos eius aperuit?* Ratio mendacij eorum sub his verbis inclusa est: *Ideo dixerunt, quia timebant Indæos qui conspirauerant, si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret. Vndè malebant ipsi illum vnum periculo exponi, quàm cum eo expositos esse, & notam dedecoris aut quid incommodi incurrere. Non minus erat extra synagogam fieri, quàm nunc indecorum esset, si quis nostrum ob graue crimen esset à consortio aliorum semotus. Quare ipsi ne notam infamię incurrerent, dixerunt: Est filius noster, ad ferendum huius rei testimonium maximè ido-**

neus: *Ipsam interrogate. Vocauerunt ergo rursus hominem qui cæcus fuerat, & dixerunt ei: Da gloriam Deo, nos scimus quia hic homo peccator est.* Miseri nunc istos nunc illos apponere arietes. ad arcem veritatis impugnandam non cessabant, Dæmoniaco furore agitati, quò cum fraudulentiùs deciperent, aiunt: Da gloriam Deo, scimus quia peccator est. O sceleratas mentes furètium hominum! O conscientias malignitatis cauterio perustas! Christum peccatorem esse dicunt, qui nunquam peccatum fecit, & in mundum venit, contritos peccatores ab omnibus peccatis liberare. An excogitari mendacium posset nequiùs isto malignè prolato, ut cæcum in suas partes adducerent, sed prudentibus respõsis eos tandem confutauit. *Dixit ergo eis: Si peccator est nescio, vnum scio quia cum cæcus essem nunc video.* Ac si planiùs diceret: Quòd sim legis & prophetarum nescius partium mearum non est super re tanta vobiscum concertare, sed apertio oculorum manifestat eum esse Deo charissimũ. Videntes quòd ex prudētibus respõsis huius cæci occasionem non haberent vel sæuiendi in hominem cæcũ, vel Christi opera calumniandi, sese ad alias percunctationes diuenterunt querentes ab eo ut ex re ipsa sæpiùs repetita, & aliter quàm priùs enarrata Iesum spoliare sua gloria possent. *Quid fecit tibi, Quomodo aperuit tibi oculos.*

oculos? *Quibus respondit: Quorsum tēdit percun-
ctatio ista nimis curiosè, & multoties reperita?
Rem omnem (vt est) dixi vobis, & eam audi-
stis. Si syncero animo id scire voluistis, vestris
abundè satisfactum est votis: si autem insynce-
ro, eadem repetere mihi superuacaneum esset,
& vobis eadem audire molestum, nisi discipu-
li eius fieri velletis, qui istud opus admirādum
operatus est in me. Ex verbis cæci magis irrita-
tiores facti quàm antea, ei omnem legis maledi-
ctionem imprecati sunt. Sequitur enim: *Ma-
ledixerunt ergo ei, & dixerunt: Tu discipulus illius
sis. Nos autem Moyse discipuli sumus. Si voluntas
maledicendi consideretur, esset grande conui-
tium iuxta imprecantium vota: verùm ex re ip-
sa est optabile bonum omnibus aliis præferen-
dum. Quid enim gratiosius Christiano homi-
ni atque digniùs contingere posset, quàm nu-
merari inter discipulos benignissimi Iesu? Tale
maledictum nō modò veniat super nos domi-
ne, sed super omnes filios hominum. Utinam
sub disciplina Christi viuerent omnes, vt vni-
cum esset ouile, sicut ipse est vnicus pastor bo-
nus. Si veri Moyse discipuli fuissent, vt esse glo-
riabantur, Christum esse peccatorem nō dixif-
sent dicentem illis: Si Moyse crederetis & mihi.
Rursus aiunt: *Nos scimus quia Moyse loquutus est
Deus, hunc autem nescimus vnde sit.* Nisi tempus**

vob

RR

& locum natiuitatis illius cognouissent, inter-
Mat. 2. rogati ab Herode vbi Christus nasceretur non
 respondissent: In Bethleem Iudæ. Vndè ergo
 tanta sermonis varietas? Nempe cæcum indu-
 cere omnibus modis cupiebant quid impudēs
 loqui de Christo. Sed metum illi incutere non
 potuerunt, quin confidentiùs quàm antea de
 eo loqueretur. Quibus respondens ait: *In hoc*
enim mirabile est, quòd vos nescitis vndè sit, & appe-
ruiit oculos meos. Scimus autem quia Deus peccatores
non audit. Sed si quis Dei cultor est, & voluntatem
eius facit hunc exaudit. Si vera essent quæ cæcus
Luc. 18. in confuso loquutus est, publicanus in templo
 orans, oculos in terram demittens, & pectus
 suum iteratis vicibus percutiens à domino ex-
 auditus non fuisset: verùm legitur quòd ab il-
 lo iustificatus recessit. Neque scriptum esset:
Eze. 18. qua hora ingemuerit peccator, peccatorum il-
 lius obliuiscetur Deus. Ad præcedentium con-
 cordiam dici solet, Deum peccatorem, cui pec-
 cata quæ commisit, non displicent, ex con-
 digno non exaudire, sed inter illos numeran-
 dum esse de quibus in prouerbiis habetur: *In-*
uocabunt me, & non exaudiam illos. Et domi-
Pro. 1. nus per Esaiam ait illis: *Cùm multiplicaueri-*
Esa. 1. tis preces vestras, non exaudiam. Alius autem
 dicitur peccator, tametsi gratia Dei adiutus à
 peccatis resipuit, quòd de numero peccatorum
 diu

ЯЯ

diu fuit, adhuc inter illos numeratur. Ipse voluntatem Dei faciens, & in statu gratiæ manens à Deo exauditur. Nobis exemplo fit Gentium apostolus. Dei misericordiam assequutus se peccatorem nominauit dicens: Venit Iesus peccatores saluos facere, quorum primus ego sum. Nos ergo qui non solum peccauimus, verum & iniquitates nostras in multos dies prolongauimus, quò Deus nos exaudiat, penetralia cordium nostrorum, quæ fuerint peccatorum receptacula, effluentibus lachrymis pœnitentiæ salutaris mundemus, & Deum qui nos exaudiuit collaudemus instar cæci dicentis:

A seculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati. Ac si planius illis diceret: Memorantur multa prodigia, quæ per maiores nostros Deus olim gessit, & sunt quidem admiranda, verum si omnia essent in vnum congesta, præsentis miraculo conferri non possent. Cùm ergo vires humanas excedat, nõ potuit nisi Deo authore fieri. *Responderunt, & dixerunt ei: In peccatis natus es totus, & tu doces nos? Et eiecerunt eum foras.* O magna peruersitas omnium pessimè excogitata! Ancipites fuerant super modo apertionis oculorum, & cæcum quasi iudicem constituerant, quem de re gesta toties interrogauerant, & semper veracem inuenerant. Mercedis loco sagittam turpis infamiæ in illū

vibrarint dicentes ei: *Totus in peccatis natus es, eam non secus quàm telum clementis sæuitiæ in fauorem Christi patienter excepit, & se expelli à synagoga illorum parum curauit, quæ iam erat perfidiæ locus. Nimirum fœlices erât, quos propter Christum ab ea repellebant, quoniam ipse illos in suam recipiebat clientelam. Quid enim ab illis reprobari (qui suam stabilire iustitiam cupiunt, & diuinam destruunt, & suæ laudi studentes gloriam Dei obscurant) aliud est quàm à Deo approbari? *Audiuit Iesus quia eiecerunt eum foras, & cum inuenisset eum dixit ei: Tu credis in filium Dei? Respondit: Quis est domine, vt credam in eum? Ista inquisitio, Quis est? insigne fuit maximè euidens hominis suum benefactorem nosse cupientis, quò ei gratias referret. Quare se Christus illi manifestauit dicens: *Et vidisti eum, & qui tecum loquitur ille est, in quem credere oportet. Cui respondit: Credo Domine, & prociens adorauit eum: re ipsa declarans Christum esse hominem & Deum, aliàs coram eo genua non flexisset, neque illum adorasset, nisi Deum esse credidisset.***

Homelia feria quinta post quartam dominicam quadragesima.

Luca 7.

Ibat



*I*bat Iesus in ciuitatem qua vocatur Nayn,
 & ibant cum illo discipuli eius, & turba
 copiosa. Ex textu superiori nouimus
 benignissimū Iesum salutem contulit *Mar. 8.*
 se seruo Centurionis. Properās ex miraculo in
 miraculum, ipse qui præsenti vitæ cursum per- *Act. 10.*
 transiuit mortuos suscitans, & infirmos ab om-
 ni genere morborum liberans, ibat in ciuitatē.
 Et ecce offertur ei occasio noua miraculum fa-
 ciendi: & quò magis ac magis notum esset, non
 modò ibant cum eo discipuli eius, totius itine-
 ris comites fidelissimi, & miraculorum suorum
 testes legitimi, laborum quoque & afflictionū
 participes, vt essent cœlestis regni cohæredes,
 verumetiā copiosa populi multitudo eū seque-
 batur. Causam alicubi affert Euangelista dicēs: *Ioan. 6.*
 Ideo sequebantur, quia videbant signa quæ fa-
 ciebat super his qui infirmabantur. *Cum autem*
appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus effereba-
tur filius vnicus matris suæ. Et hæc vidua erat. Cuius
 & filij eius meminit regius psalter dicens: *Psa. 145.*
Pu-
pillum & viduam suscipiet. Et turba ciuitatis mul-
ta cum illa. Quia auditum est filium viduæ vita
 functum ad sepulchrū efferri, opportunū esse
 videtur, non nihil de utròque genere mortis di-
 cere. Alterum est corporis, alterum autem ani-
 mæ: & utrūque ob culpam originis nos om-
 nes filios Adami inuasit. Cui Deus inhibuerat

de ligno scientiæ boni & mali edere, cum obstatione maxima si qua hora comederet, quòd in ea mortem incurreret. Suggestum suæ vxoris dei præcepto præposuit, se & nos omnes perdidit, ideo factum est quòd iuxta corp^o & animam morimur ex sententia apostoli dicentis: Per vnum hominem peccatum intrauit in mūdum, & per illud mors in omnes regnauit.

Heb. 9 Et idem Apostolus: Omnes in Adam moriuntur. Vndè Paulus testatur statutum esse hominibus semel mori. Eius sententiæ est Ecclesiastes dicēs: Moritur doctus pariter & indoctus, quare illum vitæ suæ tæduit. Eadem in libro Sapiētiæ leguntur, & de se loquutus Sapiens ait: Sum homo mortalis ex genere terreno formatus. Est communis ingressus hominum ad vitam, & exitus. Vndè Psalmista: Quis est homo qui viuēt, & nō videbit mortem? Ac si diceret: Nullus. Nimirū vrgente nos Dei decreto, velimus, nolimus ad mortem tēdimus omnes. Hæc nos frequēter meminisse iuuabit, vt rectè viuamus,

Eccle. 7. quoniam qui nouissima meminit, in æternum non peribit. Sicut infelices eramus filij Adæ, vt pulchrè apostolus inquit, natura sumus filij iræ, ita fœlices quos ex aqua & Spiritu sancto regenerauit filius Mariæ, Si legis eius mandata seruarint, diem mortis cū gaudio & lætitia excipient tanquam doloris terminum: quibus dicetur

cetur: Leuate capita vestra, quoniam appropin- *Luc. 21.*
 quat redemptio vestra. Amantissimi, præsentis
 vitæ cursum tam prudenter instituamus, quòd
 appropinquante hora mortis, nihil in corpore
 sentiamus, quod nos à vita fœlicis, & verè beata
 impediatur. Turbæ vitiorum sunt quæ infœlicè
 animum, ne à corporis ergastulo exire velit, re-
 morantur. Eum vndiquaque circumdant, &
 mortis dolorem congeminant, faciuntque vt
 fit homo instar mulieris fœtum suum emitten-
 tis. Tãdem ad portas inferi suos deferunt ope-
 rarios, ideo per corporis huius adolescentis ba-
 iulos adumbrantur. Quædam ex illis ob vitiũ
 originis nobiscum quodam modo nascuntur,
 & bonum facere cupientibus, vsque in finem *Iob. 7.*
 vitæ præsentis insidiantur. Vndè vita hominis
 dicitur militia super terram. Aduenit mors ho-
 spes nimis seuera animam à corpore disjungēs,
 quòd vermibus rodendum, & in stercus & pul-
 uerem reducendũ exponit: in qua die pereunt
 omnes cogitatus humani. Idcirco quoties vel
 proximos animas efflare, vel eorũ corpora ad
 sepulchrũ efferri viderimus, ad nos ipsos reuersi
 animo reuoluamus, quod talem mortis aculeũ
 sustinebimus qualem sustinuerunt qui ad sepul-
 chra efferuntur. Vndè Ecclesiasticus vnicuique
 nostrũ ait: Fili memor esto iudicij mei. Qua- *Eccle. 38.*
 le fuit meum, tale tuum erit. Mihi heri, tibi for-

Litam cras. Meas voluptates abunde compleui:
 in vase vel aureo vel argenteo vel gemmeo bibi
 delicatè, nimis comedi: indumentis nimia va-
 rietate preciosissimis ornatus fui. Incedebā mul-
 to milite stipatus, & mira grauitate vsus: eram
 animo astutus, corpore robustus: omnes coëta-
 neos antecellui auctoritate, & iuxta hominum
 opinionem ex varietate rerum illos omnes su-
 perauī. Vndè me fœlicem & beatum prædica-
 bant omnes, congratulabatur mihi vxor, arri-
 debant nati meo appendentes collo. Proh dol-
 lor facta est subita, & nimis diuersa rerum mu-
 tatio! En morior, & nemo est qui vicem mor-
 tis verè miseram sufferre meo nomine vel pos-
 sit vel velit. Nihil in posterum mihi proderunt
 generis claritas, animi vires, recta membrorum
 cõpositio cum robore corporis maximo. Hæc
 omnia animam à laqueo mortis non eripient.
 Necessarium est cedere fati & legibus nature
 & corpus meum ad sepulchrū deferri ne alios
 suo fœtore inficiat, sicut corpus adolescentis
 hac de causa ad sepulchrum efferebatur. *Et erat
 filius vnicus matris viduæ.* Breuibus verbis molè
 erumnarum verè maximam complexus est E-
 uangelista. Quòd enim esset vnicus, nomen to-
 tius familiæ cum eo interiit: à morte coniugis
 fuerat domi relictus quasi delitiæ: lusus & vo-
 luptas suæ matris, vel senectutis baculus ac ful-
 cumentum,

cimentum, in quo omnem mater spem futuræ
 prolis collocauerat. Si alios superstites habuif-
 set, mortem illius non tam ægro sustinuisset a-
 nimo. Quòd autem fuerit, vt dictũ est, vnicus à
 coniuge relictus, & esset vtróq; tam viro quàm
 filio orbata, commiseratione dignissima, quòd
 mors filium in medio ætatis à flore corripuerat,
 dolores illius congeminabantur. Iterum ex sen-
 tētia apostoli, vir est caput mulieris: Quid ergo *Ephe. 5.*
 est mulier vidua, nisi corpus sine capite, & quid
 simile trunco arboris absciso: Erat ergo mulier
 vtróq; carens semimortua. Nihil enim illi acci-
 dere potuisset calamitosius morte huius adole-
 scentis vnicè chari. Si paulò pòst quàm genuit,
 fuisset vita functus, vitæ breuitas dolorem tem-
 perasset. Sed, vt prædiximus, iam erat admodũ
 grandiusculus, ideo adolescens dictus. *Quam*
cum vidisset Dominus filium flentem, misericordia
motus dicit illi: Noli flere. Iudæis solenne erat de-
 functos nimis acerbè lamentari, & ad commo-
 uendos ad lachrymas animos amicorum tibi-
 cines cõducere, qui cadauera mortuorum ex-
 tra vrbes sepelienda comitabantur, ne vrbiũ
 habitatores ex aère corrupto putredine illorũ
 inficerentur. Iuxta hunc morem consuetudi- *Ioan. 19.*
 narium, fuit Christus extra vrbem sepultus in
 monumento nouiter in petra inciso, in quo
 nondum quisquam positus fuerat. Amantissi-

mi, in istis neque Iudæos neque pseudocuan-
gelistas imitemur, sed mediocritatem tenen-
tes superflua reiiciamus. Homines rerū noua-
rum maximè cupidi dicunt nihil homini mor-
tuo prodesse si corpus fuerit sine solennibus
cæremoniis humo reconditum, in flumen aut
mare proiectum, aut igne consumptum. Ideo
cæremonias funeralium derident, & doctrinā

1 Thef. 4 Pauli afferunt dicentis: Nolo vos contristari fra-
tres de dormientibus, vt non contristemini si-
cut cæteri qui spem resurrectionis non habent.
Quòd sunt fallaci interpretatione textus sedu-
cti, qui priùs fuerāt in funeribus defunctorum
lugubribus caputiis obtecti, nūc funeralia ob-
seruare nolunt, suæ mentis inconstantiam non
obscurè declarantes. Sepulchra maiorum piis
officiis mortuorum decorauerant, quæ ex con-
temptu floribus ornant. Nihil quondam ha-
buerunt reuerentiùs pia inhumatione cor-
porum, nihil hodie penes eos est derisibiliùs.
Quid sibi vult tanta ac talis inconstantia ani-
mi? Esto quòd quid superfluum in funeralibus
defunctorum diuitum obseruetur, an conse-
quens est quòd vera pietas in alios obseruata,
risui & opprobrio haberi debeat? Nihil minus.

Act. 5. Nōne legitur quòd viri timorati Stephanū
prothomartyrem honorificè sepeliuerunt, &
super eum fecerunt planctum magnum. Amā-
tissimi

mantissimi, in istis declinare nimis ad dextrum
 latus vel ad sinistrum caueamus. Si regia via cū
 antiquis patribus ambulemus, in tuto cri-
 mus credentes cum illis defunctorum corpora
 honorificè sepelienda esse, & ad sepulchra eo-
 rum cum honesto comitatu veniendum esse,
 vt publica significatione declarem, qualia
 cū viuerent inter nos & illos fuere charitatis
 viscera, & proximis exempla veræ pietatis & a-
 micitiæ præstemus, pium Tobiam imitantes *Tob. 2.*
 qui defunctos honorificè sepeliuit. Ad sepul-
 chra defunctorū properantes recordemur nostræ
 fragilis nature, & ex ea cōmemoratione vitā no-
 strā in meliùs componamus, nobisque in men-
 tē veniat Ecclesiastē dixisse, meliùs esse in do-
 mū luctus quàm in domū conuiuij ire: quoniā
 in illa reminiscemur quales erimus, & naturam
 nostram esse caducam, atque aliam quàm iu-
 mentorum. Verum est quòd vtriùsque corpo-
 ra moriuntur, sed homines quos Deus ad ima-
 ginem suam formauit, resurgent: ideo corpora
 eorum ob creatoris honorem & resurrectionis
 spem honorificè sepelienda sunt, & sepulchra
 eorum esse debent quasi quædam dormitoria
 ab omni prophano vsu separata. Itaque illos
 non audiamus, defunctorum corpora non alio
 habentes loco quàm haberent suorum iumen-
 torum. Sicut mulieri viduæ nihil tristiùs acci-

dere potuisset morte filij sui, ita nihil iucundius illi fuit aduentu Christi, qui solita vsus clementia, vniuersos dolores illius abstulit, seu in gaudia conuertit. Vndè sequitur: *Quam cum vidisset Dominus misericordia motus dixit: Noli flere. Et accessit, & tetigit loculum. Hi autem qui portabant steterunt.* Christus egregiè describitur misericordia motus, qui humanos affectus sine macula peccati natura nostra assumpsit. Quid mirum si clemens, misericors ac benignus fuit, qui iuxta Diuinitatis naturam à parte misericordiarum & Deo totius consolationis exiuit,

Mat. 1. & pro carnis conditione à filia Dauidis genus duxit: qui in populo Dei mitissimus fuit, iuxta

Psa. 131. illud: Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius. Euangelista referens eum misericordia motum, & viduæ filium suscitasse, duplicem eius naturam ob oculos nostros depinxit. Iuxta humanam fuit misericordia

Ioan. 11. motus: secundum Diuinam est vita & resurrectio omniū. Nempe parum nobis profuisset eū

Ibidem. dixisse: Qui credit in me, etiā si mortuus fuerit, viuet, nisi defunctorum resurrectionem re ipsa manifestasset, prout filium viduæ suscitans manifestauit. Ne circa illam vtcūque dubitarem, ab inferioribus inceptit, scilicet à

Mat. 8 seruo Centurionis, quòd fidem nostram ad maiora præpararet, & paulatim eam sursum

affurgere faceret. Quispiam dicere potuisset fi-
 lium Centurionis mortuum non fuisse, ideo
 quòd eum à morte non resuscitarit. Vt temera-
 riam huius hominis indiscretè loquentis lin-
 guam compesceret, & obstrueret os loquētium
 iniqua, Evangelista de eo industriose ait: *Mat 8.*
 Incipiebat mori. Idem est ac si dicas: iam semimor-
 tuus erat. Iterum vt cessaret omnis disceptatio,
 in præsentia mortem filij viduæ descripsit, de
 quo nullus dubitare posset, quoniam nisi in-
 dubiè mortuus fuisset, mater eū vnicè diligens,
 corpus illius deferre ad sepulchrū passa nō fui-
 set. Multò minus præsentē copiosa populi mul-
 titudine eam comitante, & corpus defuncti se-
 quente, cum fletu animi dolorem testificante:
 quem impotens animi dolor commouerat.
 Adèd vehemens erat, quòd assistentes, & cada-
 uer defuncti comitantes ad lachrymas maxi-
 mè commouerit. Hoc prospiciens benignissi-
 mus Iesus, qui est desolatorum consolator, &
 piè inuocatus nunquàm deserit sperantes in se, *Psal. 9.*
 fuit tum viduæ, flentis, tum populi astantis mi-
 sertus: & mulieri dixit: Noli mortuum flere,
 quem sum ad vitam reuocaturus, sicut illū vi-
 uificauit. Hæc audiant, qui vel corporum re-
 surrectionem non credunt, vel funeralia defun-
 ctorum spernunt, ac deridēt. Si nulla esset cor-
 porum resurrectio, hunc puerum Christus nō

fuscitasset, neq; loqui fecisset, aut suæ matri re-
stituisset. Nisi (inquam) sepulturam defunctorū
esse pium opus iudicasset, ex ea ad misericordiā
commotus non fuisset. Quòd illa Deo placeat,
ex variis sacrarum scripturarum sententiis col-
ligitur, quæ ad lamenta propter defunctos nos
Eccl. 38. vocāt. In primis Ecclesiasticus ait: Fili in mor-
tuum lachrymas produc, & quasi dira passus
incipere plorare. Et rursus: Ne despicias sepulturā
proximi, sed corpus eius tege. Itaque de interi-
tu amicorum dolcamus, & mortuos honorifi-
cè sepeliamus. Tam abest quòd Gentium apo-
stolus istud fieri prohibuerit dicens: Nolite cō-
tristari, quod alibi maximè approbarit. Nimi-
rum de infirmitate Apaphroditi multum do-
luit dicens: Deus non tantum illius quàm mei
1 Thes. 4 misertus est, quantò magis de morte illius do-
luisset? Itaque dicens: Nolite contristari sicut
contristantur qui spem non habent, non inter-
dicit luctum, sed luctū temperavit iuxta illud
Eccl. 22 Ecclesiastici: Modicum plorabitis super mor-
tuum. Sicut enim charitas præcepit nos flere cū
flētibus, ita vim doloris temperare monet. Nisi
Gen. 49 (inquam) funeralia defunctorum iuxta perso-
narum decentiam fieri liceret, Fratres Ioseph
qui mortem illius planxerunt, & exequias fu-
nerales cum summa religione celebrarunt, nō
commendarentur, neque Christus in gloriè vi-
uens,

uens, corpus suum lintheaminibus myrrha & aloës aromaticis inuolui, & in monumēto nouiter in petra inciso illud reponi permisisset. Itaque amantissimi, & corporum mortuorum resurrectionem speremus, & parentum, & amicorum nostrorum mortem moderatè fleamus, neque cadauera instar animalium insepulta relinquamus. Hic dicendum occurrit, Cur Christus adolescentem suscitaturus sequentes ceremonias obseruauit. In primis loculum tetigit, qui illum portabant, astare fecit, & altissimè clamauit: *Tibi dico: Surge adolescens.* qui non in pedes se erexit, sed tantum in loculo resedit, quem loqui fecit, & matri suæ donauit. Nos scire oportuit humanitatē illius, diuino vnità verbo, esse mortis expulsiuam ratione istius vnionis. Sicut enim ferrum igni adhibitum incalescit, & naturam ignis ad se trahit eumque retinet, ita humanitas Christi iuncta Diuinitati fuit mortis expulsiua, & huius mortui adolescentis viuificatiua. Rursus nisi ad vocem eius baiuli stetissent immoti, populus viduam comitatus, aut Christi vestigia sequutus ad loculum non confluxisset, neque miraculū vidissent. Quandiu enim baiuli inambulassent, illos sequutus fuisset, ideo Christus adolescentem mortuū suscitaturus, est imperiosè loquutus dicens: *Adolescens tibi dico: Surge. Et resedit qui erat mortuus.*

Quòd matrem illius maximè desolatam, pri-
 mum verbis dicendo: Noli flere. Rursus factò
 filium suscitando còsolari, & omnibus notum
 fieri vellet quàm benigno erga homines affli-
 ctos commouetur affectu. Rursus se Deū esse
 declarauit, quia mors ad vocem eius effugit: at-
 que verificatum fuit quod prædixerat: Sicut pa-
 ter suscitatur mortuos & viuificat, ita filius quos
 vult viuificat. Quòd sub literè sensu in spiritua-
 li intelligentia sit non nihil occultum, forman-
 dis moribus nostris apprimè commodum, vt
 sicut adolescens externè resurrexit, internè re-
 surgamus. Illud dicamus in primis: ciuitas in
 quam Christus venit, adumbrat vnumquémq;
 nostrum & repræsentat quem internè Deus vi-
 sitat. Homo enim ciuitas Dei dicitur, iuxta il-
 lud quod Deiparæ virgini potissimum tribui-
 tur: Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. Men-
 tes nostras non rarò inuenit lethiferis criminū
 vulneribus saucias, quæ à Sathana modò huc
 modò illuc, modò sursum, modò deorsum com-
 mouètur. Ideo ciuitas Naya commotio inter-
 pretatur. Christus in illam veniens, qui solus
 potest hominem de immundo conceptum se-
 mine mundum reddere, fuit misericordia mo-
 tus, & loculos cordium nostrorū tangit, vt nos
 à malis resipiscentes resurgamus. Et loquelam
 tribuit, vt peccata Ecclesiæ ministro cognita
 faciamus.

Ioan. 5.

Psal. 96

Iob. 14.

faciamus. Quid adūbrat quòd discipuli Christi multò viciniùs cæteris eum sequebantur, nisi quod Ecclesiæ ministros repræsentabant, qui alios in sanctis operibus præcellere debent: eosque ad Christum adducere, qui morbo peccati internè laborant. Quid videri potest fœtidius cadauere mortui? & quid miserius peccatore Dei gratia priuato? Nimirū dignius est foras expelli, & à consortio sanctorum segregari instar putridi cadaueris. Viuit enim iuxta corpus, sed internè mortuus est, quia Dei spiritu caret, iustos modo ineffabili viuificante. Hæc mors spiritū Dei ab homine auferens est omnium pessima, quia eum reddit pecoribus, truncis, & lapidibus longè inferiorem: ideo dicitur tyrannus in perditionem hominum missus. Ipsa ex tribus in nobis enascitur, scilicet maligni spiritus suggestione, carnis delectatione, & animi cōsensu. Ex pessima suggestione per portas nostri corporis in animam mors intrat. Per aduentum illius inter spiritū & carnem pugna valde atrox commouetur, quoniā illa in pessimis delectari cupit, cui ratio dolorem concipiens reluctatur. Si desyderiis carnalibus tandem succubuerit, foueam æternæ damnationis effodit, in quam deueniet pro qualitate delicti pœnam luitura: quoniam ex prauo cōsensu iniquitatem peperit. Sunt enim varij gradus peccatorum, non

modò re ipsa, verum etiam ex circumstantiis. Nimirum ille qui prauo operi consensum præstat, grauius offendit, sed iniquitas peccati eò faciliùs remittitur illi, quòd illæ non sit extra portas ciuitatis sui corporis egressus. Qui verò per animi malitiam proximis scandalo fuerit, ratione externi operis grauiùs offendit: estq; per adolescentem istum adumbratus, qui fuit cunctis expositus, & extra portas ciuitatis ad sepulchrum efferebatur mortuus. Qui verò consuetudinem peccandi ex iteratis vicibus multùm familiarem habebit, omnium grauiùs peccabit, eritque Lazaro in monumento iacenti persimilis. Vt huiusmodi triplicem peccandi varietatem Christus ob nostræ mentis oculos depingeret, inter plures mortuos, quos diuersi generis suscitauit, ex multis tres in mediũ adferamus. Sit vnus Archisynagogi filius in domo paterna, priùs exclusa omni turba occultò suscitatus. Sit secundus hìc viduæ flentis filius omnibus coram vitæ restitutus. Eorum vltimus est Lazarus, qui triduo iacuit in monumento fœtidus. Cur nullus istorum trium fuit sine maximo fletu assistentium à morte suscitatus? Nimirum Dei filius omnia in cœlo, & in terra condidit, nihil laboris sustinens, sed pœnam peccatorum soluens scœua passus est. Vndè gemit, & multùm indoluit, qui per prophetam

Mar. 5.

Ioan. II.

pheram dixerat: Laboravi sustinens: & vult nos *Esa. i.*
 crucem peccatorum post illum ferre, ideo de il-
 lis condoleamus. Verum in suscitatione Lazari
 lachrymarum effusio fuit copiosissima. Legi-
 tur enim Marthã, Mariam, & Iudæos fleuisse,
 & Christum non modò lachrymas emisisse, sed
 infremuisse, & conturbatum fuisse: quia susci-
 tatio Lazari illos adumbrabat, qui in suis ini-
 quitatibus inueterauerunt, & diu computruerunt.
 Ut ab illis suscitantur, Domino dicere de-
 bent: Miser factus sum à facie insipientiæ meæ: *Psal. 37.*
 inueteraui inter omnes inimicos meos, in quo
 computruerunt, & corruptæ sunt cicatrices pec-
 catorum meorum. Sicut facilius venia illi con-
 donatur, qui inter occultas mentis suæ late-
 bras ex fragili conditione carnis Deum offen-
 dit, ita illi difficillimè peccatum remittitur, qui
 iniquitates suas pluribus communicauit, & ex
 altero quinque sensuum, quasi vel ex porta seu
 fenestra suæ ciuitatis egressus fuit. Nimirum per
 eas quæ sunt quædam suæ domus ostia, diabo-
 lus intrat. Vndè Hieremias de peccatoribus di-
 cebat: Mors intrauit per fenestras vestras. Sicut *Hier. 9.*
 qui hostiles occursum timent, domorum ostia
 & fenestras claudunt, ne per illa ipsi iacula vi-
 brent, & manentes intus vulnerent. Similiter,
 Amantissimi, nostra diabolo pectora clauda-
 mus, ne nos telo mortalis peccati percutiat. Illi

quinque sensuum corporis portas diabolo aperiunt, qui oculos ad concupiscendas mulieres flectunt: aures mendacii accommodant: iniquitatem in excelsa loquuntur: discordias inter fratres seminant: promptas ad rapinam manus habent: & pedes ad effundendum sanguinem nimis veloces. Ne mors irrupens eos occidat, diuinum implorare auxilium, debent illa depellere, & aduersus hostiles incursus suæ commiserationis machinas apponere, vt sub suo protectionis scuto tuti quiescant, cum nos omnes simus vnum, qui de sanguine Christi bibimus, & de cibo sui corporis participamus. Quoties viderimus quemuis ex confratribus peccato mortuum à cœtu fidelium per censuram excommunicationis expelli, & quasi ad sepulchrum efferri, cum matre Ecclesia lachrymas vberes profundamus. Per eam viduam ipsa adumbrata est, quæ mortuum filium amarè fleuit. Quandiu ille Dei spiritu animam viuificante carebit, tandiu internè mortuus erit, sed precibus matris Ecclesiæ & fidelium, per Christum viuificari, & viuificatū in virū perfectū euadere poterit. Qui tunc non minori dilectione tractandus erit, quàm si vnicus esset, quoniam Ecclesia illū non morti sed Deo immortaliter regenerauit. Quæ describitur vidua, quia

Osea. 2. Christus, qui sibi illā ex fide desponsauit, morte deuicta

te deuicta se in cœlum recepit. Quotquot sacramento baptismatis regenerantur, non minus diligit Ecclesia, quàm mater diligeret filium. Ideo quoties quis eorum culpam lethalem incurrit, ipsa inconsolabiliter plorat, & gemit: cui aptè admodum congruit pronuntiatum à propheta: Nunquid lachrymæ viduæ ad maxillas eius descendunt, & fit exclamatio ad deducendum eas? Christus ad preces illius misericordia motus loculum conscientie peccatricis animæ tanget, & mortuum suscitabit. Est ergo occursum Christi peccatori multum opportunus, sed salubrior obtutus, quo ad misericordiam commouebitur. Tactus autem omnium opportunissimus, quoniam nisi tactu suæ commiserationis loculum conscientie peccatoris tetigerit, nunquam ipse ad salutarem commouebitur pœnitentiam: sine qua spiritus ad vitam non reuocabitur. Quid est baiulos corpus adolescentis ad sepulchrum efferentes ad vocem Christi constitisse? Per eos homines vitiis corruptos intellige, qui peccatorẽ fallacibus promissis & vanis fauoribus rerum mundanarum seducunt. Ne in futurum seducant, Christus non modò loculum conscientie peccatoris interna inspiratione tetigit, & ad pœnitentiæ lachrymas commouit, verumetiam baiulos sistere fecit, vt qui prius vitiis sepultus iacuit, ad Christi

vocem reuiuifcat. Quare vt viuificetur, in cor
Ioan. 6. illius verba immittet, quæ spiritus & vita sunt:
 cui non folùm gratias agere, verùm falutari ex-
 emplo, alios ad meliora hortari & prouocare
 debet. Quòd fuerit matri Ecclefiæ reftitutus, &
 per facerdotale minifterium fidelibus reconci-
 liatus, quòd hæc omnia fint cœleftibus myfte-
 riis pleniffima, in confpectu totius turbæ acta
 funt, vt ex vifione miraculi, & rei adumbratæ
 Deo gratias ageret. *Accepit autem omnes timor,*
& magnificabant Deum dicentes: Propheta magnus
furrexit in nobis: & quia Deus vifitauit plebem fuam.
 Mihi non videtur Euangelifta loqui de timore
 feruili mentem hominis affligente, & non rarò
 eam in desperationem inducente, fed de alio
 reuerentiali ex miraculofo opere, & fuper natu-
 rali admirationem afferente, & eos impellente
 Deum magnificare, qui Chriflum prophetam
 magnum mifit, vt vifitaret, & confoletur ple-
 bem fuã. Quòd ipfi oculos mentis haberēt ne-
 bula ignorantia obtenebratos, Diuinitatē ma-
 nere in Chrifto non nouerunt, fed eum tanquã
 eximiũ prophetam reueriti funt, per quem ex
 virgine natum & factum fub lege, Deus genus
 humanũ in vitiis torpescens, non folùm vifita-
 uit, verumetiam fibi fidentes à morte æterna li-
 berauit, & ad fœlicem vitam euocauit.

*Homelia feria sextæ post quartam Domini-
cam quadragesimæ. Ioan. II.*



*R*at quidam languens Lazarus à Bethania, de castello Marthæ & Mariæ sororum eius. Solus Ioannes Euangelista huius historiæ meminit, qui omnium vltimus Euangelium scripsit, vt quæ alij vel omiserant, vel breuius quàm oportuit scripserât suppleret. Christus paulò antè iuxta porticum Salomonis prædicans, quædam suæ Diuinitatis archana subapperit: ea nõ ferentes Iudæi aures suas ad verba illius vltra non continuerunt, verùm ad lapides cucurrerunt, vt illis eũ obruerent. Quia nondum venerat hora suæ passionis, à manibus illorum eum lapidare volentiũ exiuit, & trans Iordanem abiit. Dum illic commoraretur, Lazarus in Bethania in castello Mariæ, & Marthæ sororũ eius Hierosolymis proximo infirmabatur. Quòd fuerint plurimæ mulieres eiusdem nominis Mariæ, ne nesciremus de qua sermo haberetur, Euangelista accuratè scripsit. *Maria autem erat, quæ vnxit Dominum vnguento, & extersit pedes eius capillis suis, cuius frater Lazarus infirmabatur.* Eum febris multum edax, suæ salutis inimica inuaserat, & vsque ad ossa depascebat. Lateribus suis aderant ambæ sorores, grauem esse infirmitatem illius flebili

voce testificantes. Sciebant Christum potentē cum curare, quare nuncium ad eum miserunt? Cur verò ad illum non accesserunt, quemadmodum vel Cēturio vel Regulus qui ex causa simili ad eum venerūt? Dicitur quòd ex nimia familiaritate inter eas & benignissimum Iesum contracta, sufficere nuncium mittere crediderunt. Neque eas per vicos & plateas inambulare infirmo fratre decuit, & mortem illius ipsis absentibus intercedere timebant. Cupientes ergo & fratrem à morbo longè periculoso, & se ipsas à dolore nimis acerbo liberari, nuncium miserunt nomine communi Christo dicere:

Domine ecce quem amas infirmatur. Testatur Euāgelista Christum delexisse Lazarum, & teritur vulgari prouerbio: Qui perfectè diligit, nunquam amicum in necessitate deserit. Sicut infirmitatem Lazari Christo intimauerunt, etiam illi modum curationis non perscripserunt, sed totum suæ dispositioni remiserunt, nos informantes infirmitate afflictos ad Christum accedere, mala quæ patimur illi nunciare, auxilium eius implorare, & omnia ab beneplacitum eius remittere. Scit enim quid nobis necesse est, i-

Mat. 14 deo opportuna cōcedet remedia, & pari modo
Mar. 14 quò semel iterum, ac tertio patrem inuocauit,
Luc. 22. eum precemur dicentes: Si possibile est, trāseat
Ioan. 14 à nobis calix iste, verumtamen non nostra sed
 tua.

tua voluntas fiat. Ipse cui à patre data est omnis potestas in cœlo & in terra, nobis faciet quod opportunū erit. Quid autem est eum nūcio respondisse infirmitatem nō esse ad mortem, sed vt glorificetur filius Dei per eam? Nōne Lazarus ex ea paulò pōst ab humanis recessit? Iterum an Dei filius aliunde glorificari non potuit, q̄ interuentu mortis hominis amici? Ne quid in his tibi videatur absurdū, sacrarum litrearū interpretes eruditi conueniunt, vocabulū, vt, nō appositum fuisse, vt esset causæ significatiuum, sed rei fortuitò contingētis expressiuū. Nempe ex Lazari resurrectione gloria filij Dei manifestata fuit, qui eum quadriduo mortuum suscitauit. Hæc enim eū esse declarauit, qui quos vult viuificat: deducit ad inferos & reducit. Nō solum Christus Lazarum diligebat, verū & sorores eius Martham & Mariam, quas ex infirmitate fratris contristari permisit. Neque precibus illarum subitò annuit, quibus eum rogauerant salutem fratri donare, sed nūcium remisit, & suis responsis eas vtcūque elusit, atque duos dies vbi erat perstitit, nos informans patienti ferre animo, si Deus per nos inuocatus semper preces non exaudiat, quas pro fratribus infirmis, vel abunde angustiatis offeremus. Quos enim diligit, variis agitari tentationibus permittit, vt ex bona animi tolerantia amplio.

1. Reg. 2.

ri mercede donentur. Videmus enim multos iustè viuentes, quasi Deo dissimulante variis inuolui infortuniis: contrà alios improbam ducentes vitam diuitiis, & rerum temporalium prosperis successibus abundare. De quibus ait Psalmista: In labore hominum nō sunt, & obtinuerunt diuitias. Dixi ergo: Sine causa iustificauit cor meum, & laui inter innocentes manus meas. Sicut enim ad illustrandam nominis sui gloriam super bonos & malos solem suū oriri, & pluuiā cadere facit, similiter istos & illos quasi aurum in fornace tentat, atque probat, nō quòd de infortuniis hominum deleatetur, vel ex illis sui nominis gloriam augeri velit, sed pro conditione carnis & morum huius seculi multa tum istis tum illis aut prospera aut aduersa accidunt, quæ in salutem piorum & gloriam nominis sui inuertit. Christus audita infirmitate Lazari, ibidem duos dies mansit, qui paulò antè discipulis coram è manibus Iudæorum eum lapidare volentium elapsus fuerat, & in desertum recesserat, vt eos paululum recrearet, credentes ei multò tutius esse vitam ad tempus in deserto agere, quàm vsquam locorum progredi. Pòst quàm animos eorum conturbatos pacificauit, redire in Iudæam opportunum esse declarauit dicens: *Eamus in Iudæam.* Ipsi audito nomine regionis Iudæorum

memo-

memores quàm altiori inuidia Iesum persequerentur principes sacerdotum, Scribæ & Pharisæi, nihil cupidius in optatis habentes quàm manus in illum iniicere, tum dilectissimo præceptori, tum sibiipsis multùm metuentes dixerunt ei: *Rabbi Nonne Iudæi querebant te lapidare, & rursus illuc ire proponis? Quid aliud esset quàm se manifesto vitæ periculo exponere? Eum modis omnibus à repetenda Iudæa dehortari cupiebant, & sibi videbantur illo prudentiores. Quibus respondit: Nonne duodecim sunt horæ diei? Si quis ambulauerit in die, non offendit, quia lucem huius mundi videt. Si autem ambulauerit in nocte, offendit, quia lux non est cum eo.* Hæc loquutus est in æquinoctio verno quando est æqualitas dierum & noctium. Vtraque duodecim horis perficitur: ideo Christus tempori alludēs ait: Sunt duodecim horæ diei, Et subinferre voluit: Si homo lumen huius mūdi videns securè ambulet, multò securiùs ambulare poteritis, quādiu eritis itinerū meorū sequaces, à quibus tūc deficietis quādo veniet nox, tēpus suæ passionis adūbrās, in quo eū sequuti non sunt, sed illo in manus inimicorū deserto transfugæ fuerūt. Et verificatum fuit, quòd sicut horæ diei variantur, ita mutabiles fuere voluntates eorum. Amantissimi, si cum eo constiterimus, peccatorum offendicula non incuremus. Quisquis enim il-

lum sequitur, quoniam ambulat in die non offendit. Ideo Christus est ea discipulos alloquutus, quòd illos in Iudæam reducere improuisos noluerit, causam sui reditus eis manifestauit dicens: *Lazarus amicus noster dormit, vado vt à somno excitem eum.* Ideo illum dormire declarauit, quem in proximo suscitare proposuerat. Mors enim penes eum est somno similis, cui multò facilius est mortuum suscitare, quàm nobis esset dormientem euigilare. Quanta enim facilitate somnolentum hominem excitamus, tanta & longè maiori Lazarum à morte suscitauit Christus. Quo loquēdi genere hīc vsus est Christus, eodem Gentium apostolus alibi vtitur dicens: Nolo vos ignorare fratres de dormientibus, vt non contristemini sicut contristantur qui spem resurrectionis non habent. Vbi mortuos dormiētes appellat, quos in die vltimi aduentus resurrecturos non dubitabat. Prospiciēs benignissimus Iesus discipulos fortasse sibi dicturos opus non esse tantum laboris tedij & itinervis sustinere vt homo dormiēs excitetur, qui fortassis prius quàm illic erim⁹ excitari poterit, atq; somnus in egrotis vt plurimùm esse salutis consequuturæ argumentum maximè patens solet. Quò omnē ab illis prætextum excusationis auferret, manifestò loquutus est dicēs: *Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos, quia non eram ibi.*

Vt

Vt concepta de me filio Dei & hominis fides maneat in vobis & augeatur, atque aucta conseruetur: an maius videre possetis meæ Diuinitatis argumentum, quàm me absente nõ secus scire absentia, quàm præsentia essent? Igitur *gaudeo propter vos*, quòd abfuerim, quoniam si Lazarus me præsentem conualuisset, cura suæ infirmitatis suspicari posset esse casus contingens. Esto quòd animam efflasset, & per me intercedentibus amicis suscitatus fuisset, qui opera mea calumniari solent, causari possent eum non verè mortuum fuisse, sed tantùm omnibus membris ex febre vehementi soporatum, & ab illorum exercitio alienatum se vidisse, & quædam infirmorum corporum fuisse multis horis cõsopita, quæ tandem conualuerunt. Quòd hæc me vobiscum absente contigerint, mors est illius omnium certissima. Vt suscitetur, eamus in Iudæam. Cùm adhuc starent ob loci formidati viciniam solliciti & tristes (Christus enim se nõ dixerat Hierosolymam iturum, sed Bethaniã). Thomas qui dicitur Didimus ad discipulos ait: *Eamus nos, & moriamur cum eo*. Hæc referens visus est homo modicæ fidei, & suis fratribus longè infirmior: sed postmodum Dei gratia adiutus tantùm conualuit, quòd in mediis hostibus sibi mortem minantibus, ob nomen benignissimi Iesu, constans & intrepidus fuerit. Summa

exhortationis ad discipulos habitæ, hanc habere sententiam mihi videtur: Commilitones communi iudicio hominũ haberi poterimus imprudẽtes, quòd tum nos tum præceptorem manifestum vitæ periculum comitamur. Cùm tamen id velit, sine quo nihil quàm minimùm valemus, vel à cuius nutu pendet omnis actio nostra cum eo eamus: & si opus fuerit vnà moriamur. Præstat enim nos cum eo mori, quàm diu incòsolatos viuere. Ad vocem huius discipuli omnes se itinere exposuerunt. *Venit itaq; Iesus in Bethaniã, & inuenit Lazarum quatuor dies in monumento habentem.* Vt numerum quatuor dierum planè concipias, dies in quo nuncius ad Christum accessit, & vltimus in quo in Galilæam reuersus est Christus computandi sunt, effluerũt duo dies intermedij. Igitur in quarto ipse in Bethaniam venit, vbi Lazarum inuenit quatuor dies in monumento habentem. *Erat autem Bethania iuxta Hierosolymam quasi stadiis quindecim.* Propter viciniam vrbs Hierusalem, enata fuit in animis discipulorum formido maxima, & occasio data quòd miraculum plurimos testes habuerit. Enimuero Maria & Martha, Lazari sorores erant, ex spectabili genere & virtutibus insignes. Ideo multi ab Hierosolymis in Bethaniam venerant, ob mortem fratris. *Vt consolarentur eas de fratre suo.* Quod officij

genus huius seculi homines diuitibus impendunt. Ideo istud Euangelista narrare curauit, vt ex testium multitudine celebrius redderet miraculū resurrectionis Lazari. *Martha ergo vt audiuit quia Iesus venit, occurrit illi. Maria autē domi sedebat.* Quòd Marthæ in mētē venerit Christū nūcio respōdisse infirmitatē Lazari esse eius naturæ, vt per eā glorificaretur Dei fili⁹. Ex eo nō nihil bone spei concepit, & ipsa procedēs obuiā Christo cum mœsta voce ait: *Domine si fuisses hic, frater meus non esset mortuus.* Quādiu enim nobiscum fuistis, neminem nostrum infirmitas afflixit, multò minus mors fratrem occidisset te præsente, qui es vita & salus nostra: *Sed nunc scio, quia quacūque poposceris à Deo, dabit tibi Deus.* Mihi cōsydera vacillantem huius mulieris animum, sicut Christo planè nō fidebat. Ita de sua virtute prorsus non diffidebat, ad quem velocius sorore accessit. Nimirum totam domum cum nimia sedulitate perlustrabat, multū sollicita circa frequens ministerium: vnde prior fuit de aduētū Christi certior facta. Christus vt in spem resurrectionis mentem illius erigeret, respondit ei: *Resurget frater tuus.* Eum frequenter audierat de futura, & generali corporū resurrectione prædicantē, ideo ait illi: *Scio quòd frater in nouissimo die resurget.* Quod Christus sub verborum inuolucro fuerat nunciū alloquutus

dicens infirmitatem non esse ad mortem, sed ut manifestetur gloria Dei, suspicata est sub cortice verborum, quæ nuper à Christo audierat quid secretioris mysterij latens esse. Ut intelligeret an Christus de resurrectione generali vel de aliqua speciali loqueretur, se nõ dubitare declarauit fratrem in nouissimo die resurrecturum. Hinc Christus occasionem arripuit manifestandi qualis & quantus est dicens: *Ego sum resurrectio, & vita. Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit uiuet.* Nemo rectiùs eo dici potest mortuorum resurrectio, quia quos vult viuificat. Ideo mulieri ait: Fateris generalem mortuorũ resurrectionem, verum me vnicum illius agnosce authorem. Quisquis enim ex fide cœlesti dono formata in me credit, pro corporis conditione morietur, sed resurgens viuet in æternum, & anima corpori iterũ sociabitur. Istud non modò fratrem tuum, sed quemuis aliũ respicit. Et ab illa quæsiuit: *Credis hoc?* Erat tantum de resurrectione fratris defuncti sollicita, & tali dolore compressa, quòd dominicis verbis parum intenta fuerit. Ideo illi aptè admodum non respondit. Cùm enim de vno interrogaretur, aliud loquuta est: veruntamen in genere professa quàm magnificè de Christo sentiret, dicens: *Vtique Domine. Ego credidi quia tu es Christus filius Dei viui.* Erat etiam ex verbis Christi

Christi multum exhilarata, & bonæ spei plena, ideo ad domum properans, vocare sororem in medio hominum stantem curavit dicens illi suppressa voce: *Magister te vocat.* Cur clam sorori loquuta est? Nempe propter Iudæos astantes, qui recessissent, si Christum venisse intellexissent, neque miraculi resurrectionis testes fuissent. Audias velim amplitudinem dilectionis huius Mariæ. Erat funeralibus detenta, quod in talibus decorum est parum servare curavit. Verum citò surrexit ad Christum properans, illum eo loci invenit in quo Martham alloquutus fuerat. Neque Iudæorum malevolentiam de operibus Christi murmurantiū incurreret timuit dicentium: Cur infirmitatē Lazari non esse ad mortem dixit, ex qua eodem die mortuus est? Quam primū illa corā Christo astitit, ad pedes illius pronoluta planctus non mediocres effudit: quod mulieribus contristatis vsu venit omnium maximè, quādo per familiares & amicos visitantur. Cui ait: *Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.* Ex acerbō & veloci funere fratris ultra modum tristes sumus. Et rursus vbertim fleuit, ac si Christo diceret: Auribus percipelachrymas meas. *Psal. 38.* Tuisset cum psalmographo dicere illi: *Effundo Psal. 141* in conspectu tuo orationem meam, & tribulationem meam ante te ipsum pronuncio. In cæ-

teris modestiam animi seruauit, quam nō imi-
tatur in senatae mulieres. Ex morte amicorum
cum magna animi inconstantia planctus mul-
tiplicant, & suis aliquoties dentibus brachia
cruentant, capillos euellunt, genas difformant
per urbium compita discurrentes, multò magis
ad inanis gloriae ostentationem quàm ad leniē-
dum animi dolorem hæc agunt: verum quid
videri potest talibus cæremoniis turpius? Quid
rursus magis indecens quàm eas videre sua de-
turbare brachia, capillos euellere, per urbium
compita discurrere? Quænam est hæc insania
pro mortuis tot lachrymas emittere, inconstā-
tiæ, animi veras indices? Flendi quidem sunt
mortui, sed per Christianos longè modestiùs
quàm per illos qui spem futuræ resurrectionis
non habent. Feruor dilectionis huius Mariæ
ad Christum citò properantis meritò commen-
datur, quoniam certò indicat, quòd si Christi
aduentum eodem nouisset momento quo fuit
sorori nunciatus, illa eam in exhibendis Chri-
sto obsequiis non præuenisset. Verum decuit
istud per momentanea temporis interualla fie-
ri propter Iudæos cum ea stantes, quòd (vt di-
ctum est) essent huius miraculi testes. Sicut illi
collaterales erant, pariter illam sequuti sunt cre-
dentes eam ad sepulchrum properare, vt mul-
tis lachrymis suo dolori satisfaceret: cum qua

coram Christo astiterunt. *Vt Christus Mariam vidit plorantem, & Iudæos qui venerant cum ea plorantes, infremuit spiritu, & conturbavit seipsum & dixit: Vbi posuistis eum?* Hæc omnia fieri oportuit, ne vlla ex parte de resurrectionis Lazari miraculo dubitarent. Neque est Christus cum Maria multis verbis loquutus sicut cum sorore, nihilque de suscitando fratre fassus est, probè sciens quòd si quædam sublimia subaperuisset, interea Iudæi alio atque alio iuissent, neque miraculo resurrectionis præsentibus fuissent: & tempus erat non verborum, sed exhibitionis operum. Est quoque quid multò magnificentius rem ipsam præstare, quàm pluribus eam commemorare. Ideo fremuit, quòd sui animi decretum vellet ipsis esse re ipsa testificatum. Videns ergo tum Mariam, tum Iudæos flentes, ad miraculum resurrectionis properans, spiritu infremuit, & propria virtute seipsum commouit, quem nemo alius commouere potuisset. Ideo enim commotus fuit, quia sibi placuit, sicut aliàs esuriuit, sitiuit, incaluit, friguit, sæua passus est, mortem subiit quia voluit. Quemadmodum iste fremitus fuit suæ commiserationis index, ita sui corporis turbatio, turbatorum hominum vera consolatio. Ipse ex eo fremitu agnitus fuit nostræ fragilis naturæ amictu verè indutus, aliàs commoueri

Luc. 22. non potuisset. Lucas Euangelista eum hominem esse per sanguinis riuulos in terram decurrentes descripsit, & Ioannes ex lamento & fremitu eum naturam hominis habere manifestauit. Sed in istis fremitu & lachrymis Christus diu non stetit, nos informans dolorem affectibus breui tempore detineri, & eos rationis freno submittere, ipse ab assistentibus perquisiuit. *Vbi posuistis eum? Dicant ei: Domine veni & vide.* Valuit percunctatio, vt omni suspitione careret, & sibi indulset quod est fragilis naturæ scilicet, lachrymari. Cùm ipse ob mortem corporis amici tantùm indoluerit, quòd lachrymas emisserit, quanto dolore ob mortem animæ peccatricis cõtristatur? Erant cum eo & Maria ludæi flêtes. Proh dolor! ipsi mortem Lazari acerbè lamentabantur, & se in vitio infidelitatis mortuos esse non plorabant, neq; à maledictis sese abstinebant. Rursus dicentes: *Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati facere vt non moreretur Lazarus?* pro quo lachrymatus est. Extra controuersiam est quòd Christus à morte Lazarum præseruare potuisset, quia difficilius est mortuum suscitare quàm ab eo mortis periculum diuertere. Nobis exemplo sit medicus qui hominem infirmum non rarò in vita retinet, què semel mortuũ suscitare nescit. Cùm Christus Lazarum quatrìduò mortuum suscitauit,

sicut

sicut priùs cæcum illuminauerat, facere potuisset ne moreretur. Pro utrôque, & illuminatione oculorum cæci, & suscitatione Lazari multò magis nos delectari, quàm diu mirari decet. Quid enim mirum si Christus cæco lumen, & *Ioan. 9.* mortuo vitam restituit, cùm sit lux mundi homines illuminans, & vita cunctos viuificans? Fremens in semetipso ad monumentum venit. *Erat autem spelunca, & lapis superpositus* ne ex putido foetore è monumento exhalate præsentis infici possent. Lapidem ad domini iussu iudæi amouerunt. Hic auspicatur resurrectionis Lazari miraculum, ab humilibus initiis: quod prima facie visum fuit multum humile & pusillum, sed temporis progressu omnibus innotuit verè excellens, & longè magnificum. Christus ad illud procedens Lazarum dormire, & se in Iudæam ire ut eum à somno excitaret dicit. Discipulos quoque consolatus ait: *Gaudeo propter vos quia non eram ibi.* Tandem infremuit, & lachrymatus est: lapidem monumento superpositum alienis manibus auferri voluit, quasi eo non amato Lazarum suscitare non posset. Hæc omnia miraculi complementum præcesserunt. Martha verò ne lapidem reuoluerent dicit: domine iam foetet, quattriduanus est. Timebat ipsa ne cadaueris foetor circumstantium nares offenderet. Fortassis credebat mortuorū

corpora in putredinem versa nouissimè susci-
 tata foetore retinere, vel verborum Christi obli-
 ta erat. Cui iterum ait: An à tua excidit memo-
 ria quod nuper audisti, si credideris te nō nihil
 ad gloriam Dei visuram. Cur ergo non credis,
 vt illud videre merearis? Ex ea leni obiurgati-
 cula Christus tum Mariam, tum Iudæos astan-
 tes, ad miraculum reddidit attentiores, & ele-
 uatis sursum oculis dicit: *Pater gratias tibi ago,*
quia semper me audis. Tandem Lazarum suscita-
 uit, nobis exemplum parans, quoties aliquid
 magnificum agere intendimus, toties oculos
 ad omnium bonorum authorem leuamus: ne-
 que arduum opus patrare, alio quàm Dei auxi-
 lio speremus. Deo gratias agens, ipse iuxta cor-
 poris substantiam, loquutus est, ex qua est patre
 minor. Propterea non sequitur quòd in omni-
 bus sit illo inferior, vt causantur hæretici dicen-
 tes: Minor est qui postulat, quàm qui postula-
 tur. Aliquoties enim illis preces interponimus
 qui nobis sunt æquales, quòd illis non nihil re-
 uerentiæ debeamus. Ita Christus operum suo-
 rum laudem Deo patri tribuit, quoniam ab illo
 exiuit, quem pro carnis conditione, & Lazari
 suscitatione precatus est. Si ipse Dei filius precū
 adminiculo indiguisset, pari modo pro aliis o-
 peribus non minus prodigiosis quæ fecit, pre-
 cum indigens fuisset, quæ tamen multis preci-
 bus

bus fufis cōfummavit. Si quæfierint à nobis qui
 funt eius fentētiæ, quòd pro fufcitatione Lazari
 preces Deo patri offerre neceffarium habuerit,
 quæ fūt illa quæ Chriftus fine precibus geffit, il-
 lis hiftorias quæ fequūtur referamus. Primū fine
 precibus dēmonio iperavit exire ab homine, &
 ftatim exiuit. Leprofo dixit: volo. Mundare, &
 mundatus eft. Paralyticum circa pifcinam cu-
 ravit, & lectum ferre iuffit: illico fuit potens le-
 ctum ferre, & tulit. Mari imperavit & ventis,
 illico ceffavit tempeftas, & facta eft tranquilli-
 tas magna. Cū in iltis omnibus orationis fuf-
 fragio non indiguerit, palàm eft quòd Lazarū
 fine precibus fufcitare potuiffet. Nifi res ita fe
 haberet, nihil virtutis plus in eò quàm in apo-
 ftolis effer, qui ex precibus ad Deum fufis po-
 tuerunt prodigia facere magna in plebe. Vt no-
 bis liquidius confter Chriftum precibus non
 indiguiffe, formulam fuæ orationis paululum
 contemplemur. Ait enim: *Sciebam pater, quòd
 femper me audis, fed propter populum qui circumftat
 dixi, vt credant quia tu me miffi.* Non iudicares
 hominem fanè mētis, fed oratorem verè teme-
 rarium, fi orationis adminiculo indigeret, &
 his verbis vſus effer, dicēdo audacter fe fcire fe-
 curò impetraturum quicquid postularet. His
 adde fequentia verba, fcilicet, fe propter popu-
 lum qui circunſtat, oraffe, vt eum credat à Deo

*Mat. 17**Mat. 8.**Ioan. 5.**Mar. 4.*

patre missum. Hæc autē cū dixisset Christus voce magna clamauit dicens: *Lazare veni foras*, subindicans hominem vitiiis inueteratum procul distare à Deo, & magnis precibus opus esse, vt à peccatis suscitetur. Ideo nomē Lazari Christus expressit, ne nescirent præsentēs quem ex mortuis suscitare vellet. *Et statim prodiit qui mortuus fuerat ligatus manus & pedes institis, & facies eius sudario ligata erat.* Ad Christi vocem vermes qui corpus corrodebant, subitò euauerunt, & quasi ad nihilum redacti sunt. Et corpus quod fuerat fœtidum atq; à vermibus corrosū, apparuit venustum & elegans. Ex quo insigni miraculo Christus se manifestauit omnibus Patriarchis, & venerabilibus apostolis

Heb. 1. maiorem, iuxta illud Pauli: Est excelsior cunctis factus. Verum est quòd illi dæmonia eiecerunt, mortuos suscitauerunt, omnifaria morborum genera curarunt, sed auxilio Dei indiguerunt. Quod appositè, & eleganter regij prophete

Psa. 120 tæ authoritate confirmatur dicentis: Leuaui oculos meos in mōtes, idest sanctos, vt doctores sacri interpretantur, vndè veniet auxilium mihi? Sequitur statim: Auxilium meum à Domino. Idem confirmat Diuus Iacobus inquitens:

Iaco. 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à patre luminum. At Christus cū sit Deus, propria virtu-

te vsus, quod verbis pollicitus fuerat mulieri di-
 cens: *Resurget frater tuus* re ipsa præstitit, quia
 Lazarum suscitauit. Ipse à fouea sepulchrali e-
 gressus, ligatos pedes & manus habuit, vt præ-
 sentes ex isto ornatu sepulchrali cognoscerent
 ipsum esse illum, qui cum eodem cultu, ante tri-
 duum sepeliuerant. Ad pleniorẽ eius rei eui-
 dentiam discipulis ait: *Soluite eum, & finite abire.*
 Ne quis eorum suscitationem illius crederet
 imaginatiuam esse, ex alacri incessu notum
 fuit eum non modò viuere, verumetiam pluri-
 mùm valere. Christus facere potuisset quòd
 vincula, quibus erat inuolutus, subitò solueren-
 tur, sed maluit omnem fuci suspitionem Iudæis
 coram amouere. Qui ad Mariam & Martham
 venerant videntes quæ fecit Iesus, quidã credi-
 derunt in eum: alij autem abierunt ad Phari-
 sæos nunciare signum quod viderant. Ex quo
 Christum tanquã Dei filiũ suscipere debuerũt,
 quem interficere procurarũt: qui sicut est salus
 & vita piè viuentibus iuxta illud Pauli inqui-
 entis: Christus bonus est odor his certè qui sal-
 ui fiunt, & his qui pereunt. Aliis quidem odor
 mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vi-
 tam. Etiam permittit sua miracula esse iustis
 profutura, quæ sunt reprobis in lapidem offen-
 diculi, & ruina.

8. mo.

2. Cor. 2

Pal. 8.

YY

Mois

Homelia Sabbati post quartam Dominicam
 quadragesimæ. Ioannis Octauo.

Ioan. 8.



Ego sum lux mundi. Benignissimus Iesus mulierem in adulterio deprehensam è manibus inimicorum eam impotentium liberauit, quærens ab ea:

Nemo te condemnauit? Et adiecit: Nec ego te condemnabo. Vade: noli amplius peccare. His auditis qui præsentibus erant dixerunt: Quis est iste tantus, tamque magnus, qui peccatricem à pœna legis liberauit, & illi peccata dimisit?

Quibus subaperuit quous & quantus iuxta diuinitatis essentiam erat, dicens: *Ego sum lux mundi.* Ipse Soli rectè comparatur, cuius splendor per totum orbem diffunditur. Videamus quomodo huius, & illius comparatio aptissimè fieri potest. Sol mundi tenebras quantumuis densissimas suo lumine depellit: quibus submotis, quæ priùs obscura & caliginosa erant, fiunt lucida & resplendunt. Christus tenebras vitiorum, quibus mentes nostræ excæcantur, suæ lucis coruscatione remouet, & purgat. Vnde præceptum eius, ore prophetico dictum est

Psal. 18. lucidam conuertens animas. Nimirum, si quis legis gratiæ testimonia institutis Mosaicæ legis conferre vellet, ista vltimè prædicata deprehen-

Heb. 10 det tenebris fermè similia. Vnde Paulus legem
 Mosis

Mosis habere umbram futurorum bonorum scripsit, & testatur quemadmodum umbræ luminis cedunt, quòd illa coruscante Euangelio Christi antiquata fuit. Sol substantias rerum transformat, quod in ferro, lapide & ligno nõnunquam cernitur, & Christus mentes hominum quantumlibet faxeas, & (vt ita loquar) visas prius infrangibiles, ceræ instar emollit, placidas ac mites reddit, easque qua parte vult inuertit. Et videntur qui prius erant ferro, & lapidibus duriores, esse dono Diuini luminis molles & placidi. Sol peregrinantibus rectam itineris viam demonstrat, ne tenebris perfusi in foueam cadant, & Christus pedes nostros in

Luc. 11

viam pacis dirigit, ne per Sirenes, dico tenebrarũ rectores, in Syllam & Charybdin æternæ damnationis precipitia adumbrantes deducemur. Sol rebus cunctis deperditos colores restituit, & Christus virtutes vitiis deformes restaurat. Ad solis ortum feræ syluestres ad sua regrediuntur latibula, in quibus sese latitant quando splendor solis micat. Christus in mundum veniens à corporibus humanis dæmonia expulit, & ire in loca deserti, vel ad inferni nouissima descendere iussit. Ipsi suo præcepto paruerunt clamâtes. Quid nobis & tibi Christe? Venisti ante tempus torquere nos. His de causis Christus aptè admodũ dicit: Ego sum lux mû-

Mat. 8

di. Agite Amātissimi, nos qui per paludes & lacus vitiorum quasi per itinera sentibus, dumis & vepribus impedita, spinis oblita, latronibus peruia, & nimis aspera, hucusque incedimus, Christum itineris ducem habeamus supplices, vt gressus nostros in viam pacis dirigere dignetur. Idcirco vnusquísq; nostrum dicat illi: Dirige Domine in conspectu tuo viã meã, vt ambulem in semitis mandatorũ tuorũ quæ dilexi nimis. Et concede vt inter varia rerũ discrimina non moueantur vestigia mea. Emitte lucem tuam, vt inter mille hiatus me in montem sanctũ tuum, & in tabernacula tua deducat, quoniam suę lucis splendor, tam mirus est, quòd fragilitas humana eum capere non potuisset. Ideo humani corporis vmbra sibi adaptauit, vt illi esset quasi nubes per quã velut speculũ elucēs, hominum oculos vera fide purgatos illuminaret: quòd eũ cernerent. Quẽ omnes sequi hortatur propheta dicēs: Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non cõfundentur. Parũ esset per fidẽ ad eũ accedere, sed multũ est in ea semel suscepta permanere. Ideo discipulis dicebat. Manete in me, ne tenebræ vitiorum vos cõprehendant. Quid sit in illo manere, planiũs a libi explicuit dicens: Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis sitis. In illum autem credit, qui mandata eius perficit: & diuinæ lucis splendor illi proderit, in quo si vsque in

Psal. 5.

Psal. 33.

Ioan. 15.

Ioan. 12.

finem permanserit, ad Deum qui est vera lux perueniet, atque apud eum mansionem faciet. Ideo Iudæi eum credere noluerunt esse lucem mundi, quòd crederent eum sibi aliquid attribuisse multò dignius sua maiestate. Verùm si rationem illius, vt decens erat, habuissent, proculdubio id quod de se dixerat iudicassent ló- gè minimum, habito respectu illius quod suæ dignitati competit. Quia in tenebris ambula- bant, nunc nimis ad dexteram pergebant, mo- dò nimis ad sinistram ferebantur, medium non tenentes. Quò illum tenerent, & cum sequerè- tur in lumine ambulantes, iterum ait illis: *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Illum sequitur, qui animum ab omnibus vitiorum tenebris purum seruat, & sanctissimis operibus illum ornat. Hæc faciens, quia non ambulabit in tenebris, lumē vitæ consequetur. Mihi vide, quomodo Christus in istis est sapiē- tissimè loquutus. Non enim ait: *Qui me præce- dit, aut comitatur, sed ex industria, qui me se- quitur.* Sapientes huius mundi, ex dono natu- ræ scintillam diuini luminis, ab illo nacti sunt, & illa in Iudæis ex lege & prophetis creuit. Quòd ipsi Christum sequuti non sint adhuc in tenebris ambulant, sūntque illis persimiles, qui lumen à tergo habent, quod eis palàm lucet, & minimè illuminātur. De quibus propheta ait: *Psal. 81.*

Nescierunt, in tenebris ambulant, & semper ambulabunt donec moueatur fundamēta terræ, nisi Christum sequantur. Sunt enim multiplices tenebræ vitiorum, & omnes multū metuendæ, ideo timeamus ne dominantur in nobis. Ipsæ ex causâ multiplici generantur: quædã ex ignorantia sed culpabili, aliæ ex certa animi malitia, maximè ex vitio originis. De quibus

Ephē. 5. Paulus ait: Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino. Quotquot ab humanis recedunt, huiusmodi vitiorum tenebris inuoluti, cum seruo inutili in tenebras exteriores, quod habuerint interiores mittentur, ubi erit fletus, & stridor dentium. Ab istis omnibus ex dono

Mat. 22.
Luc. 13. gratiæ liberabuntur Christum sequentes, quibus ducatum præbebit, ad verum glorię lumen perueniendi: & illi gratias referentes dicēt: Domine in lumine tuo lumen nostræ salutis vidi-

Psal. 35.
Ioan. 4. mus, & cognouimus quoniam apud te est fons vitæ, seu salutaris aquæ, aut gratiæ salietis in vitam æternā. Cùm verò lumen & fons sint quædam lógè diuersa, & ad varios sensus referri debeant, quia fontem aridæ fauces quærūt: oculi autem tenebris operti lumen inuenire gaudēt. Mirum est cùm propheta hæc duo lumen & fontem coniunxit. Mirari desine animo reuoluēs eum de Deo loqui, in quo omnia sunt simplicia. Quod enim illi lumen est, & idipsum
fons:

fons, cui ad salutem lucet, illi gratiarum fluenta impartit ut ea operetur, quibus lumen æternum videat. Vndè Christus qui in præsentia dicit: Ego sum lux mundi, est fons indeficiens aquæ salutaris: de qua qui biberit, non sitiet in æternum. Iudæi eum moderato animo audire nõ potuerunt dicente se esse lumen mudi, quod qui sequitur non ambulat in tenebris: quoniã gloriæ cupidi erãt, & quicquid de Christo prædicari audiebant, id ipsum ab inani gloria eorũ detractum esse credebant. Itaque responderunt ei: *Tu de teipso testimonium perhibes, & testimonium tuum non est verum.* Ac si planiùs dicerent: verba quæ profers, sonant tui itineris sequaces non ambulare in tenebris, quòdve tu sis lumen vite. Ex istis videretur eos qui te non sequuntur manere in tenebris: quod facile non credimus. Ex quo enim natura hominis est laudum cupida, homini seipsum magnificanti credendum nõ est. Cui ait Sapiens: Laudet te alienus, & non os tuum. Neque approbatur qui seipsum commendat. Esne ab omnibus vel amicis, vel familiaribus tuis adeò desertus, quòd neminem habeas qui tuas laudes resonare velit, ideo tibi necesse sit de teipso testimonium ferre? Hæc Christo loquuti sunt Iudæi, quasi ipse solus esset qui de seipso testimonium perhiberet. Verum ex scriptis eorum plenissimè colligitur an-

Pro. 27.

ti quos patres & prophetas, multis retrò seculis
 antè quàm nasceretur, de eo testimonia perhi-
 buisse, & suę tum natiuitatis, tum passionis my-
 steria prædixisse. Nobis vice omnium loqua-
 tur Esaias. Nonne de diuini verbi incarnatio-
Esa. 7. ne ait: Ecce virgo concipiet, & pariet filium, &
 vocabitur Emanuel? Et de calice passionis: In
Esa. 53. humilitate erit iudicium eius, cuius liuore sa-
 nati sumus. Breuitatis gratia sententias aliorum
 omittamus, & ad Ioannis Christi Baptistæ hi-
 storiam veniamus, quò fuerit prophetarũ Chri-
Ioan. 5. sti vltimus, cuius Euangelista meminit dicens:
 Erat lucerna ardens & lucens, & Iudæi in lu-
Luce 3. mine eius ad horam exultare voluerunt, quæ-
 rentes ab eo an esset Christus, Tam abest quòd
Ioan. 1. nomen tantæ dignitatis sibi vëdicare voluerit,
 quod responderit: Non sum dignus soluere
 corrigiam calceamentorum eius. Et Christum
 demonstrans digito ait: Ecce agnus Dei, ecce
 qui tollit peccata mundi. Post tot & tanta de
 Christo testimonia, luce meridiana lucidiùs te-
 stificantia eum esse Dei filium, Iudæi negant ac
 dicunt eius testimonium non esse verum. Si in
 vno mentitus fuisset, quid simile de aliis omni-
Psal. 118 bus quæ loquutus est dici posset: neque David
 asseruisset testimonia eius esse nimis credibilia.
 An tali conuitio prouocatus siluit? Minimè o-
 mnium: sed respondens ait illis: *Et si ego testimo-*
nium

nium perhibeo de meipso, verum est testimoniū meum, quia scio vndè venio, & quò vado. Prophetæ testimonia non modò in his quæ promissiones Dei respiciebant, verumetiam de seipsis dederunt dicentes: Dicit dominus ad me. In istis & similibus Iudæi testimonia illorum tanquam verissima dignanter susceperunt: cur ergo testimonium Christi tanquam esset inualidum, ea ratione sola reprobare voluerunt, quòd de seipso testificaretur? Omnium maximè reprobanda non erant, quòd dicta sua consolidauit, & sequentibus signis vera esse confirmauit. Vndè illis dicebat: Habeo testimonium Ioanne ma- *Ioan. 5.*
 ius. Opera quæ ego facio in nomine patris mei testimonium perhibent de me. Ipsi scripturas sursum deorsumque reuoluerāt, & eas testimonium de eo perhibere nouerant iuxta illud: Scrutamini scripturas, ipsæ testimonium per- *Ioan. 5.*
 hibent de me. Post hæc præmemorata, testimoniū illius arguere falsitatis voluerunt, dissimulantes se nescire aliud in eo esse præter id quod externè apparebat. Ad tollendam omnem falsitatis suspensionem de suo testimonio Christus ait: Scio vndè venio, & quò vado. Nimirum exiuit à patre, & in mundum venit, ad quem erat in proximo rediturus. Cùm omnia quæ loquutus est essent inter hæc duo conclusa, & nihil operatus sit quod à patre non audierat, il-

lis dicere debuit testimonium suum esse verū. Prædicatur vera lux omnia illuminans. Est autem proprium lucis, seipsam, & quæq; alia demonstrare. Exempli gratia vnum dicatur: Accende lucernam, tunicam, caligas, aut alia quæque quæsiturus: ipsa seipsam, & alia tenebris operta denudabit. Pari ratione Christus de se & aliis testimonium perhibere debuit. Ideo quod illum falsitatis arguerint, eos increpauit dicens: *Vos secundum carnem iudicatis: ego non iudico quenquam, Et si iudico*, scilicet in carne assumpta, vel secundum hominis naturam, iudicium meum verum est. Ex istis se veracem declarare voluit, ea potissimum ratione quod à patre exiuit, qui est veritas indeficiens. Ex sententia scripturæ, omnes perdet qui loquuntur mendacium. Tam abest patrem perdidisse filium, vt eum à manibus inimicorum eum perdere volentium liberarit, & super cœlos cœlorum eleuarit, noménque illi excelsum, & super omnia gloriosum dederit: ex quibus ostenditur eos nequiter de illo iudicasse. Sicut enim homo iuxta carnem viuere dicitur, qui concupiscentiis illius inordinatè obsequitur, similiter Iudæi iniustè iudicabant dicentes Christi testimonium non esse verum. Totus enim progressus vitæ illius inter duo hæc extrema fuit exire à Deo patre, & ad eum redire, intere à facere

cere voluntatem eius qui eum misit. Ideo testimonium eius non potuit non verum esse. Ipsi ad humanitatem illius solum respiciebant, quæ simplex indumentum erat diuinitatis in occulto manentis, quare testimonium eius non sine magna cæcitate animi falsum esse dixerunt. Quòd cæcitas ista ex nimio animi liuore aduersus eum concepto eos occuparit, excusabiles non fuere: quoniam si sublata fuisset, nouissent testimonium eius esse verum, neq; eum iuxta carnem iudicassent. Sed non animaduertebant vndè venerat, & quò ibat. Ideo quòd purgatos animi affectus habere non curarint, sinistrè de eo iudicarunt, sicut est eadem lux probos homines, & improbos illuminans. Verùm quòd probi Dei voluntatem faciant clarè vident, improbi verò eam non facientes cæcutiunt, & in tenebris ambulāt. Rursus iusti probè iudicant, & improbi quia obicem ponunt, ne lumen veritatis videant, iuxta carnem, & impiè iudicant. Tales erant Iudæi Christum ex multa animi malitia iudicantes, se indignos scire dona Dei fecerant, Ideo Christus eis secreta suæ diuinitatis non reuelauit, & qualis & quantus erat nesciuerunt. Idcirco testimonium eius non esse verum & fidele dixerant. Quibus assimilari rectiùs potuerunt, quàm illis qui oculos puluere imbecilles gestant. Vndè

nihil aut parum respiciunt. Quòd autē Christus non venerat mundum iudicare, sed procurare ut per eum saluus fieret, ait illis: *Non iudico quenquam.* Verum est quòd Deus pater omne iudicium filio dedit, quod in ultimo aduentu

Psal. 95. exercebit, atq; omnes in iudicio & iustitia iudicabit. Ideo ait: *Et si iudico,* iudicium meum non erit secundum carnem, sed manifestabitur

1. Cor. 4 verum, quando illuminabuntur abscondita tenebrarum, & manifestabuntur consilia cordium. Iudæi nihil externè in Christo viderant, nisi æquum & rectum. Ideo dicentes illi testimonium eius non esse verum, de occultis iudicare erat, de quibus iudicare illis prohibitum

Ibidem. fuerat, dicente scriptura: Nolite iudicare, quoad usque veniat Dominus qui reuelabit abscondita tenebrarum. Ne ista duo: non iudico quæquam, &, Si iudico, inuicem pugnare videantur, ea ad duos Christi aduentus referre antiqui patres sanxerunt. Sicut in primo venit misericordiarum plenus, ita in ultimo veniet orbem terræ in iustitia & æquitate iudicaturus.

Matt. 24. Sicut inquam, venit mansuetus, veniet metuentus. Vnde Matthæus: Sicut fulgur exit ab oriente, & patet usque in occidentem, ita erit aduentus filij hominis. Et pro terrore erit ignis in conspectu eius, & in circuitu eius tempestas valida.

Psal. 49 Primùm veniens præclarè nobiscum egit misericordiam

ricordiam suam manifestans. Pendens enim in
 cruce pro inimicis Deum patrem precatus est
 dicens: Ignosce illis pater, quia nesciūt quid fa-
 ciunt. Nimirum istud facere nobis perquam
 necessarium erat, quoniam peccatores eramus
 omnes, & nisi nobis peccatorum indulgentiā
 poscentibus misericordiæ ianuam aperuisset,
 nos omnes æternæ damnationis pœna dignos
 reperisset, eamque imposuisset. Prius ergo erat
 misericordia eius exhibenda, quam iustitia ex-
 ercenda. Admirabilem qua in nos vsus est pro-
 uidentiam collaudabat Psalmista dicens: *Mise-*
ricordiam & iudicium cantabo tibi Domine.
 Mihi vide quòd misericordiam iudicio præpo-
 suit, quia prius misericors venit, qui iudex no-
 ster erit. Propterea enim homo fieri dignatus
 est, opprobria, irrisiões sputa, postremum mor-
 tē omniū exprobrosissimam patienter tulit, ne
 quemquam iudicaret & quandiu potuit, iudi-
 cium distulit, ne opus manuum suarū ex mul-
 ta animi malitia periret. Hæc audientes Aman-
 tissimi, misericordias Domini quasi super nu-
 merum multiplicatas amplectemur à malis resi-
 piscentes: atque ad illum cōuertamur qui mul-
 tus est in misericordia, & in miserationib⁹ suis,
 ne in finali iudicio cum reprobis damnemur.
 Cur iudicium eius tunc manifestabitur verum
 esse, rationem affert Euangelista dicens: *Quia*

LUC. 23.

Psa. 100

John 1

India

ZZ iij

non sum solus, sed mecum est qui misit me pater. Christus hæc referens, se solum non esse in diuina substantia manifestauit, sed plures personas in ea esse. Nimirum si in Diuinis esset vnica persona, ineptè admodum dixisset se solum non esse, quia sociũ habere nesciret. Estò enim quòd in conspectu suæ Diuinitatis astarent millium millia angelorum, propter præsentiam illorum quòd sint naturæ differentis, singularitas illius nõ tolleretur. Aliquid exempli gratia dicatur, homo in sua domo manens solus esse dicitur: quamuis in ea domo cum eo sint varia animalium genera ratione carentia. Modò fermè pari, stantes in conspectu Dei omnes angelorum chori suæ Diuinitatis singularitatem non tollunt. Vt istud planiùs demonstraret, iterum ait: *Mecum est qui misit me pater.* Subinferamus patrem in filio, & filium in patre esse iuxta illud: Nõ credis, quia ego in patre & pater in me est? Et iterum dicebat: filius hominis qui est in cælo, scilicet apud patrem, ad quem pro carnis cõditione reuersus nos nõ reliquit inconsolatos, cum quibus vsque ad seculi consummationem manet & manebit. Hæc omnia solus capit, qui ex fide viua testimonium Christi esse verũ credit. Ipse est qui hæc archana nobis reuelauit, scilicet in Diuinis tres personas esse, & eas vnus & eiusdem substantiæ, quòdve sua missio nihil

Luce 22

Joan. 14

Ioan. 14.

nihil aliud sit quàm in vtero virginali facta
 ipsius filij hominis incarnatio. Ideo enim dici-
 tur à patre missus, quoniam ex voluntate patris
 fuit incarnatus, sed ab eo non desertus. Quare
 ait: Non sum solus. Hæc dicens Iudæos eum cõ-
 tumeliis afficientes cõvincebat Deum patrem
 nõ diligere, neque reuereri vt decet, quia illum
 quem miserat, nostræ salutis nuncium non re-
 uerebantur. Eadem variis in locis multoties re-
 petiuit, quò eorũ animis tenaciùs impressa ma-
 nerent, & eum veracem esse crederent. Ideo in-
 sequentibus statutum legis ob oculos eorum
 posuit dicens: *In lege vestra scriptum est, quia duorũ
 hominum testimonium verum est. Ego sum qui testimo-
 nium perhibeo de meipso, & testimonium perhibet de
 me, qui me misit.* Cũ Deus in excessu suæ men-
 tis iuxta sententiam Psalmistæ dixerit: *Omnis* *Psal. 15:*
homo mendax, & experientia nos docuerit te-
stes falsa deponere. Nobis exemplo sit historia
castæ coniugis Susannæ ex testibus falsa testi- *Dan. 13:*
cantibus adiudicata, & lapidibus obruta inte-
riisset, nisi Deus ex occulto spiritum Danielis
vt testes falsitatis conuinceret, excitasset. Iterũ *Mat 26:*
in passionis mysterio legitur duos testes falsos,
nouissimè inuentos dicentes à Christo audiuis-
se, quòd templum destrueret, & in triduo rea-
dificaret. Vt paucis multos comprehendam, le-
gitur quòd populus Israël qui de Christo rectifi-

Mat. 12. simè dixerat: Hic est verus propheta, qui venturus erat in mundum, paulò post vocem suã mutavit mentitus dicens Pilato: Reus est mortis.

Ioan. 19. Crucifige eum. Verumtamen ne controuersia immortales essent, sed commodius componerentur, statutum fuit duorum hominum testimonium haberi constans, non quod semper sit omni ex parte verum, sed pro dubiis rebus componendis ita fieri necessarium. Ergo testibus fidem adhibeamus qui aliquoties mentiuntur, sed multò magis Deo patri, & vnico eius filio qui mentiri nesciunt credere debemus. Ideo Christus ait: In lege vestra scriptum est duorũ hominum testimonium esse verũ. Forsan obiciet legem non esse de illis intelligendam, qui in re propria deponũt. Vndè Christus de seipso ferre testimoniũ non debuit. Cur ergo ait: Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso. Recole Christi miles, eũ esse duplicis naturæ, & nihil implicare quin ipse Deus tum verbo, tũ operibus testimoniũ de homine assumpto perhibeat. Rursus quòd multò magis similitudinariè, & per modum exhortationis, quàm pro rei veritate hæc proposita fuerunt. Secundus testis

Ioan. 1. est Deus pater. Ipse dum Christus in Iordane

Matt 3. baptisaretur ait: hic est filius mihi charissimus,

Mat. 17 ipsum audite: Quod coram tribus discipulis

2. Pet. 1. in monte Thabor deductis repetiuit. Sunt ergo duo

go duo testes, omni exceptione maiores, testimonium de Christo homine ferentes. Aman-
tissimi, quoties falsò accusati fuerimus, aduer-
sus insanas criminationes inimicorum ad eos
confugiamus, quos pro parte nostra produca-
mus. Veritatem planè noscunt, quia rerum om-
nium notitiam habent, & eos rogemus di-
gredientur per communem vtrique spiritum iu-
dices nostros informare & veritatē illis ex oc-
culto inspirare vt iuste iudicent. Fortasse eue-
niet falsos testes pœnā legis luere, & nos à cau-
sa verè iniqua liberari. Ex præcedentibus Chri-
stus inferre intēdebat, cū lege cautum sit te-
stimonia hominum numero duorū (estò quòd
mentiri possint) pro veris habenda esse. Multò
magis testimonium, quod Deus tum pater, tū
filius de homine assumpto perhibuerunt, cū
sit suprema veritate stabilitum improbari non
posse. Itaque Iudæis dicebat, illud cū sit verif-
simum dignanter suscipite, & obseruate, ne si
illud improbaueritis in finali iudicio mortis æ-
ternæ iudicium sentiatis. Quòd animis essent
verè corruptis, ipsa capere non potuerunt, ideo
dicebant ei: *Vbi est pater tuus?* scilicet vt nobis
omnibus coram testimonium de teipso perhi-
beat. Ipsi de Christo non secus quàm si fuisset
de cōmuni sorte hominū ex Iosepho & Maria
procreatus loquebantur, ac si illi planiùs dice-

rent: Tuus pater Iosephus, homo est villicus ræ authoritatis. Cur ergo crebra appellatione nominis illius aures nostras obtundis? Forsitan ab eo expiscari cupiebant, an diceret se ab alio homine quàm à Iosepho procreatum fuisse, vt nota infamiæ virginem eius matrem macularent. Quibus respondit: *Neque me scitis, neque patrem meum. Si me sciretis, forsitan & patrem meum sciretis.* Quandiu enim vos latebit, quotus & quantus ego sum, patrem meum nõ cognoscetis, qui est inuisibilis: de quo scriptura ait: Deum nemo vidit vnquam. Ego autem homo factus sum visibilis, vt inuisibilia Dei per ea quæ in me facta sunt intelligere valeatis. Idcirco me primùm quem oculis corporalibus cernitis, cognoscite, vt ad Dei patris notitiam perueniatis: qui sensibus humanis non capitur, sed modo supernaturali piis mentibus insinuat. Quisquis ergo Deũ patrem nosse cupit, necesse habet ad Christũ accedere hominẽ factũ. Sicut enim ex eo quod quis genera animalium cognosceret hominẽ esse rationis capacem nõ intelligeret. Similiter ex quo plures ex lumine naturali in cõfuso nouerunt vnum Deũ, ex eo nesciunt illũ esse patrẽ domini nostri Iesu Christi, quòd solus ille nouit, cui filius reuelauit. Iudæi domũ Dauidis parentes eius, & Christum ab eo genus duxisse nouerunt, verũ hoc scire fuit

Ioan. 4.
Rom. 1.

fuit iuxta carnem Christū nosse: quod illis parū profuit. Ideo illis ait: *Neque me scitis, neque patrem meum.* Cur verò adiecit: Si me sciretis, forsitā & patrem meū cognosceretis: Cū enim sit scrutans corda, & renes hominū, & intelligēs à longè cogitationes eorū, videretur quod vocabulū, Forsitā, interponere nō debuerit. Mihi crede quòd appositū nō fuerit, vt huius rei dubietatē importaret, sed multò magis increpationē. Quid simile de rebus notissimis aliquoties dicitur, scilicet si forsitā seruo meo indigueris, opera illi⁹ p̄ animi libito vtere: vel si sermones meos seruare nolueris, quid ad me? non admodum curo. Hæc non rarò illis referimus, quos indigere serui opera nouimus, vel sermones nostros spreuisse, quos increpare intendimus, nisi seruorū opera vtantur, aut sermonibus nostris credant. Quo dicendi genere vsus fuerat Christus. Eodem vtitur apostolus dicens: Puto quòd spiritum Dei habeam. Se Dei habere spiritum sciebat, qui prius dixerat: gratia Dei semper in me manet. Quibus verbis dubitantes de eo arguebat. *Hæc loquutus est Iesus in gazophilatiū docens in templo, & nemo apprehendit eum, quia nondum venerat hora eius.* In medio plebis stabat, inimicorū cuneis circumdatus quos nihil veritus est. Quid enim erat gazophilatiū, nisi arca ad recōdēdos ecclesiæ thesauros instituta, & Chri-

Psal. 7.

1. Cor. 7.

stus est, in quo Deus pater omnes thesauros cœ-
 lestis sapiētiae & militantis ecclesiæ reposuit, di-
 cente apostolo: Omnes thesauri sapiētiae & sciē-
 tię in domino sunt reconditi. Quòd docens in
 tēplo quædā suæ diuinitatis archana reuelarit,
 quæ Iudæi non capiebant, quoniā de omnibus
 disputātes ad rei veritatē non perueniebāt, fue-
 re maximo furore succensi, & eū capere volue-
 rūt, sed nemo apprehendit eū, quia nondū ve-
 nerat hora eius. Si quid simile in nobis contin-
 gat, quādo cū illis erimus verba facturi, qui va-
 rias quæstiones mouēt, & rei veritatē scire no-
 lunt, mentes nostras aliò transferamus, ne ipsi
 quæstionē quæstioni addentes perpetuū nobis
 negociū faciant. Iudæi videntes Christum in tē-
 plo, credebant eum retibus suis expositum, nū-
 quam ab illis euasurum, sed euasit, quia non-
 dum venerat hora eius. Ideo credebant, quo-
 niam multa vt caperetur concurrebant. Pri-
 mūm in aperto est praua volūtas eorum. Hora
 diei erat multūm opportuna, & locus maximè
 conueniens, veruntamen captus nō fuit. Quē-
 admodum enim dum voluit, natus est, simili-
 ter passus quando sibi placuit, qui nisi voluis-
 set, neque natus, neque passus fuisset, sed nul-
 lum seruasset illæsus, qui pro salute omnium
 erat moriturus, & in mundum venerat eos re-
 dimere, quos suæ diuinitatis potētia creauerat,

& eos participes illius facere venerat: quando venit hora à patre definita, ipse pro nobis tormenta passus mortem subiit, ad inferna descendit, & à morte resurgens cœlos ascendit.

*Homelia feriae secunda post Dominicam
in passione.*



*M*iserunt principes, & Pharisei ministros, ut comprehenderent Iesum, quem implacabili odio persequebantur. Est enim hominibus improbis solenne probis invidere, & insidias modis omnibus illis struere. Istud in principibus sacerdotum & phariseis cernere licuit, qui non solum Christo inuidebant, sed mortem illius sitiebant: quoniam contrarius illis erat, & in amorem mundi radices cordium suorum fixerant, à quo eos retrahere, & in viam salutis reducere venerat. Quos monuit mundum non diligere, quoniam quicquid cernitur in eo, aut est concupiscentia ^{1. Ioan. 2} carnis & oculorum, aut superbia vitæ. Tantò acrioribus inuidiæ stimulis vrebantur ipsi, quântò magis populum prospiciebant in Iesum esse propensum, cui legis gratiæ præcepta promulganti, accidit quod Moyse antiquæ legis promulgatori contigerat, quem Daran & Abiron non modò vexarunt, sed aduersus eum congre-

gationem populi concitarunt, & ad iracundiã
 prouocarunt. Similiter principes sacerdotum &
 Pharisei felicissimis successibus benignissimi
 Iesu longè inuisi rudem populum non modò
 aduersus eum commouerunt, verumetiam mi-
 nistros, vt eum caperent, & adducerent mise-
 runt. Verùm Christus, qui nouit impias cogi-
 tationes hominum, & praua eorum consilia,
 vanum reddidit quicquid impiè excogitaue-
 rant, scilicet concilia quæ non potuerunt sta-
 bilire. Qua parte gloriam illius obscurare vo-
 luerunt, eadem apud omnes clarior fieri voluit.
 Est enim inclita virtus eius naturæ, vt quò ma-
 gis improborum hominum conantibus impe-
 titur, eò sese reddit illustriorem. Quòd Christus
 sui nominis habere splendorem concupierit,
 ad Dei patris gloriam fuit, vt etiam Iudæi Euā-
 gelio eius magis crederent. Non enim humana
 laude delectabatur, quia ea neque melior, neque
 illustrior haberi potuit, ne nescirent eum futu-
 ra scire, & tempus suæ mortis non ignorare ait
 illis: *Adhuc modicum tempus vobiscum sum, &
 vado ad eum qui me misit. Quæretis me, & non inue-
 nietis, & vbi ego sum vos non potestis venire.* Tẽpore
 modico cum illis fuit, qui post sex menses, quo
 die qui ritum agni paschalis celebrabant, in il-
 lo fuit quasi ouis ad victimam ductus, & duci
 patienter tulit, non aperiens os suum. Iudæi in
 mortem

Psal. 20

Esa. 55

mortem illius conspirantes, hunc diem præuenire voluerunt, sed non potuerunt, ideo dicebat illis: Est nimis præposterum vos cum anxia sollicitudine animi insidias proximo immerciti tendere, nihil ergo vestras curo machinas, nihilque furentes animorum vestrorum impetus moror, quoniam nisi me volente vnicus capitis mei pilus non decidet. Solus potestatem habeo ponendi pro libito animam meam, & iterum sumendi eam. Insanite vos omnes in vniuersum, si vultis. Quandiu animo meo lubebit, vobiscum manebo securus, & similis vobis ero quod est spina pedibus, aut fumus oculis lachrymantibus. Quo tempore fuerit voluntas Dei patris manibus vestris vltro me exponam. Illud tempus modicum expectandū est, velitis, nolitis. Tunc ad eum reuertar qui me misit. Me absentem quæretis & auxiliatorem non inuenietis. Neque vbi ego sum per diuinitatis naturam venire non potestis. Primū neminem fugit, Iudæos eum adiutorem quæsiuisse, quando in vltionem suæ mortis fuit ciuitas eorum per Romanos obsessa, & funditus subuersa cum habitatoribus, fame, & gladio pereuntibus. Tunc memores fuerunt quomodo patres eorū mortē Christi procurauerunt Pilato dicentes: Sanguis eius super nos, & super filios nostros, quoniam de misericordia & benignitate illius despera-

Ioan. 10

Mar 17

runt eum adiutorem in tribulationibus, neque inuocarunt, neque inuenerunt. Si scripturæ recordati fuissent dicentis: Qua hora ingemuerit peccator, iniquitatū illius non recordabor ait dominus, cum inuocassent qui est eius clemētiæ quòd pendēs in cruce pro inimicis patrem

Eze. 18. precatus dicebat: Ignosce illis quia nesciūt quid faciunt. Ad illum ergo confugientes eos exaudivisset. Quæ illis prædixerat duo precipua includebant admirationis plena. Alterum quòd erat ad illum rediturus à quo missus fuerat, cuius nomen non expressit. Alterū quòd ubi erat venire non possent. Hæc captum ingenij eorum excedebant. Dixerunt ergo ad semetipsos: *Quòd hic iturus est, quòd non inueniemus eum? Nunquid in dispersionem gentium iturus est, & docturus gentes?* Nimirum eos reddiderat adedò attonitos, quòd ista curiosè nimis inuicem quærerent, & qui à principibus missi fuerant eum apprehendere & adducere, ausi non fuerunt in eum manus iniicere, sed ad dominos reuersi dixerunt. *Nunquam sic homo loquutus est.* Vndè hoc? Nimirum Deus hominum mentes qua parte vult inuertit, nunc audaces, nūc timidos reddit. Sicut enim suam tunc declarauit sapientiam, interrogatus an liceret censum dare Cæsari, respondens: Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo: & magnam eorum arguit malitiam qui

Mat. 22.
Luc. 20.

tiam qui dixerant licitum nō fuisse totum hominem die sabbati curare. Et iterum: Non est hic homo à Deo, qui sabbatum non custodit. *Ioan. 9.*
 Denique animi mansuetudinem manifestauit peccatrici dicens: Te non condemnabo, & iustitiam sub his verbis: Qui sine peccato est, primus iaciat in illam lapidem. *Ioan. 8.* Similiter præsentibus Iudæis timorem incutit, & milites, vt eum comprehenderent missos, occulta virtute tetigit, vt re infecta ad dominos redirent. Et voluit omnibus palàm esse nihil insidiis inimicorum ante tempus præfinitum sibi fieri posse. Interea quòd stupidi manebant inuicē quærentes quò iturus erat, turba popularis tãtò studiosiùs eum prædicantem audiebat, quantò nouerat breue tempus suæ mortis propinquum esse. Cur inter alia de eo quæsierunt principes & pharisæi: *Nunquid in dispersionem Gentium iturus est?* Timebant ne ad ignominiam eorum sese ad Gentes diuerneret, prout in veritate sese diuertit, non quidem in propria persona ad illos venit, sed potestate discipulis data, quos in orbem vniuersum misit nomine suo Euangelium salutis nunciare, & prædicationem eorum sequentibus signis cõfirmavit. Iudæi verba loquuti sunt dicentes: Non inueniemus eum. *Quem enim* *Esa. 65.*
 perdiderunt, Gentes inuenerūt iuxta illud propheta: *Inuentus sum à non quærentibus me.* *Rom. 10.*

Mihi cōsydera quàm crassa, & pinguia habuerunt cerebra. Illis Christus prædixerat se à Deo patre missum, nunc autem ait: Vado ad eū qui me misit. Ideo erat luce meridiana clarius ad quem redibat. Nihil minus istud ad dispersiōnem Gentium referri debuit, quoniam gens infidelis illum non miserat. Stultum fuit dubitare quò iturus erat, & multò stultius quærere an in regionem illorum iret. Verùm erant ingenio tam hebeti & stupido, quòd nihil eorū quæ Christus dixerat, capere potuerint. Et iterum quærebāt: Quis est hic sermo quem dixit? Quæretis me, & nō inuenietis, & vbi ego sum non potestis venire. Vbi erat cum patre in cœlo venire non potuerunt, quia propter vitium incredulitatis in reprobum sensum traditi erāt. Dereliquerūt eum Deum quem coluerunt patres eorum, & eos dereliquit. De quibus per prophetam dixerat: Non addam ampliùs misereri domus Israël: sed obliuione obliuiscar. Et vocabo gētem meam, non gentem meam: & ampliùs nō erit populus meus, nec ero Deus eorū. Proinde videamus nihil perniciosius esse quàm à mandatis domini recedere, & eum ad iracundiam prouocare, nolle conuerti, & pœnitentiam agere. Hæc audiant, qui ad extrema vsque fata conuerti ad Deum, & pœnitentiam agere procrastinant, atque sciant multò salubriùs

Osee. I.

brius illis esse sine mora misericordiam illius inuocare, quàm de die in diem differre, ne illis contingat quod Iudæis Christum querentibus & non inuenientibus accidit. Hæc illos respiciunt qui optimas horas in delitiis perdunt: corpora epulis & comotationibus aggrauant, manentes tota die otiosi, quos admonemus querere dominum dum inueniri potest, & inuocare eum dum propè est. Nisi illum tempore opportuno inquirant, vbi est in gloria Dei patris non venient, sed ab illa cum Iudæis extorres erunt. Cur Christus hæc proferens, in prima parte, verbo futuri temporis vsus est: dicens, *Quæretis*, & in secunda vtitur præsentii inquiring: *Vbi ego sum*, tempus vlciscendi peccata eorum nondum venerat, & locum indulgentiæ illis poscētibus relinquebat. Ideo quòd ipse semper idem est in sinu Dei patris manens, est præsentii tempore vsus. Inquies, Capere non possum quomodo in mundum venit, à patre non recedens, vel quòd ad cælum reuersus sit, nobiscum vsque ad consummationem seculi manens. Cùm enim homo factus sit, è cælo in locum properat, & amplius eo nõ est quo prius fuerat. Quid longè dignius sentias velim de homine Christo quàm de quouis alio. Cum sit Deus ratione vnionis diuinæ, locum spatiis nõ terminatur, sed totus in cælo est, totus in terra,

*Esa. 55.**Mat. vi*

- Hie. 23.* totus in omnibus abyſſis dicēte ſcriptura: Cœ-
lum & terram ego impleo. Et alio in loco *psal-*
Pſal. 138 mographus ait: Si in cœlum aſcendero, tu illic
es: ſi ad infernum descendero, ades. Hæc ex ve-
ra fide comprehenduntur, quæ Iudæi infideles
capere non potuerunt, neque capiunt, qui in
fide naufragium fecerunt. Obscurantur sanè
oculi eorum, quia ad ſalutis lumen non acce-
dūt, & Deus permittit eos ex dono nature, quæ
ad ſeculi politiam vtilia ſunt, comprehendere,
ſed aduentū Chriſti, paſſionem eius, & ſui cor-
poris reſurrectionē non capiunt, neq; credunt,
& cū Iudæis in foueā perditionis cadēt. De le-
ge Moyſi, prophetarū oraculis, de aduētū veri
Meſſiæ, paſſionis myſterio, & reſurrectionis e-
docti fuerant Iudæi, ſed in cogitationibus ſuis
evanuerūt: quòd Chriſto credere noluerint, ea
nunc eo modo, nūc alio interpretati ſunt. Quē-
admodum Caiphæ datū fuit prophetiæ donū,
Ioan. 11. ex quo ait: Expedit vt vnus homo moriatur, ne
tota gens pereat: & illi prophetarunt dicentes
Chriſtū in diſperſionē Gētiū iturum quod per
os regij prophetæ prædixerat ſub his verbis: In
Pſal. 59. Idumæā extendā calceamētū meū, mihi alieni-
genę ſubditi ſunt. Idumæa interpretatur ſangui-
naria. Sāguis autē in ſacris ſcripturis aut pecca-
Pſal. 15. tum, aut peccatorē repræſentat, iuxta illud: Nō
congregabo cōuenticula eorū de ſanguinibus,

nec memor ero nominū eorū per labia mea. Et alibi legitur: Libera me de sanguinibus Deus sa *Psal. 50* lutis meæ. Erāt autē ethnici multis iniquitatibus maculati, ad quos Christus suū calceamētū extēdit, id est apostolos misit, qui pedes eius re presērāt iuxta illud Esaiæ: Quam pulchri pedes euangelisantiū pacē. Itaq; in dispersionē Gen- *Esa. 52.* tiū venit, non corporali prēsētia, sed potestate *Rom. 10* discipulis data. Qui erant dignissima sui corporis mystici mēbra verbo vitæ viuificata, vt nos inferiora eiusdē corporis mēbra viuificarēt, atque à nobis opprobriū per Iudæos excogitatū auferrent. Gentes enim incircūcisas populū dispersum irrisoriè vocabant. Ideo nos ab eiusmodi opprobrio liberauit quia fidei iustitiam amplexi sumus, & ad vnitatem Ecclesiæ venimus quā Iudæi per totū orbē dispersi spreuerunt, & Christo diffisi quasi transfugæ exulabūt. Quid stolidi? eo audiri potest quod de Christo rursus dixerūt? *Nunquid interficiet semetipsum? quia dicit: Quo vado vos nō potestis venire. Si de morte ad quā tēdimus omnes velimus, nolimus, loquitur? fuisset, non modò illum sequi potuissent, verūm & necesse cum sequi habuissent. Sed de dextera Dei patris, & gloria regni cœlestis loquebatur, in qua erat, & ad illā Iudæos venire cupiebat, & venissent, modò suis iussis obsequentes fuissent. iuxta illud: Qui me sequitur, vbi ego sum illic* *Ioan. 12.*

erit minister meus. Et iterū: volo pater vbi ego sum, sit minister meus. Quod cum sequuti non fuerint, quò erat non peruenerunt, & cœlestibus bonis priuari meruerūt. Quid enim equius quàm militem iussis sui imperatoris repugnantem omni honore exauctorari? Timeamus amantissimi, nobis euenire quod Iudæis contigit: Proculdubio nisi Christum sequamur eueniet. Ille cum non sequitur, qui vim proximo suo infert, qui esurienti victum denegat, qui cupiditatibus carnis obsequitur. *Hæc loquutus est Christus in nouissimo die festiuitatis.* Ille dies erat apud Iudæos celeberrimus, in quo omnis populus ad templū affluebat, quòd in Leuitico scriptum sit: Octauus dies erit vobis celebris. In eo holocaustum Domino offeretis. Ad reparationem templi collectæ in eo fiebant, aliis autem sex diebus templum popularis turba parū frequentabat. Ideo elegit eum Christus tanquam ad salutis doctrinam in pleno mutandam auditorio opportunum. Cur nō solū in templo astitit prædicans, verumetiam clamauit dicens: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat, & flumina de ventre eius fluent aqua viua.* Qui discipulos docturus ascendit in montem, in eo sedit modeste loquutus est iuxta illud: videns Iesus turbas ascendit in montē, & cūm sedisset, accesserunt ad eū discipuli eius, & sedens docebat eos. Nunc erat populo

Leu. 23.

Matt. 5.

populo duræ ceruicis verba facturus, & illius vitia exprobraturus, ideo stetit quasi toto corporis gestu loquuturus, qui discipulis scientiam salutis auidè capescentibus sedens benignè loquutus est, eos monens de virtute in virtutem progredi, Idipsum in Ecclesia militanti obseruatur, quoniam Diuini verbi minister populū docens animi vehementia vtitur stans: vbi verò clerum erudit in medio eius sedet, & per modum exhortationis loquitur. Quod dictum est: Si quis sitit ad me veniat. Sicut ceruus canum latratu infestus ex nimio calore sitiens ad fontes aquarum properat, vt caloris refrigeriū habeat, similiter fidelis seruis tentationibus variis impeditus ad Christum fontem viuum confugere debet, in quo riuulum gratiæ salutaris copiosum & perennem inueniet, cuius haustu refrigerabitur. Ad illum veniat, non pedibus corporis migrando, sed purgatissimis affectibus ambulando, & carnis vitia exuat, aliàs ad illum peruenire non poterit. Veniat inquam, non à loco vbi ipse est recedens, sed cordis affectum purgans. Homo enim aliquid modò diligens quod priùs illi odio erat iuxta mentis affectum ibi esse ampliùs non dicitur, vbi priùs fuit. Et vocabulum, veniat, pulchrè appositum fuit, nesciamus Christum neminem ad se violenter attrahere, sed omnes ad eum venientes benignè

hortari, vt aquam hauriant, de qua qui biberit, non sitiet in æternum, quia riuulum gratiæ in eo producet salientis in vitam æternam: Huiusmodi aquam in sui pectoris vasculum reponat, & conseruare studeat ne sitiatur in æternum. Ad planiorem huius parabolæ intelligentiam recolamus hominem ex corpore, & anima rationali consistere, & vtrâque pars homo dicitur, Hic internus, & ille externus. Similiter duplici vexatur siti, pro externa siti, aqua fluuiali potatur, pro interna, dono gratiæ seu sapientiæ salutaris refrigeratur. Quod internus sit externo longè dignior, sitim illius primùm extinguere oportet. Illam non extinguit sed inflamat & auget qui desyderia carnis perficit. Neque eam animi imperio submittit: Si aquam gratiæ, & salutaris sapientiæ biberit, ea sitim & fontem peccati minuit, quæ ex sententia Iacobi à Deo postulanda est, qui dat omnibus affluenter, & nõ improperat iuxta illud, Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, & ei eam donabit. Samaritana mulier à Domino eam poposcit dicens: da mihi hanc aquam Domine, & illi dedit, qua semel gustata non sitiuit priore siti. Ad eam nos inuitat scriptura dicēs: Omnes sitientes venite ad aquas. Et Christus hîc clamauit: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Amantissimi, quo illius participes simus, cordiũ nostrorũ vascu-

vascula præparemus, & ad fluentia illius aquæ salutaris veniamus, quæ vbi primùm mentes nostras irrigauerit, eas ab omni sorde vitiorum mundabit. Non erit in nobis torpens, sed riuulos in confratres producet, quibus potati nobiscum æternæ beatitudinis participes erunt. Hæc bifariam homini datur, semel vt in eo sitim vitiorum extingat, & iterum vt in proximo similem affectum producere valeat. Vbi sanè hortum conscientiæ illius irrigauerit, non minus vernans erit floribus virtutû, quàm prætium cui fontes aquarum non deficiunt, & eam fratribus opere & exemplo cõmunicabit, Cui sapiens ait: In plateis aquas tuas diuide. Tunc *Prou. 5.* enim eas diuidet, quando salutaris sapientiæ verba ab ore illius profluent, & lingua eius iustitiam, & iudicium loquetur. Ex istis manifestum erit, quòd non solùm de illa biberit vt sibi sufficiat, verùm vt eam in proximos redundare faciat iuxta doctrinam Petri dicentis: Vnusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum referat seu transfundat. Neque timeat ob aquarum gratiæ communionem se aliquod incurere damnum. Quantò enim abundantiùs eam in mentes aliorum pio cursu influere faciet, tantò copiosius in eo augebuntur. Huiusmodi cõparationes aquarum, scilicet gratiæ seu salutaris sapientiæ, & fluuialis aquæ in multis conue-

niunt. Fluvialis cum maximo impetu profluens hæc externas sordes purgat, & quæq; obuia sibi aduersantia secum trahit: multa ciuibus comoda nauigio adfert. Sapientia verò salutaris, ab ore pij conseruatoris egressa est, quasi vena vitæ corda audientiũ purificans. Quæ enim irrigat, ea ad Deũ attrahit, & variis virtutibus ornat. Nobis exemplo sint ea quæ Petrus, Paulus, prothomartyr Stephanus, & complures alij concionatores fecerunt. Ex aqua huius salutaris sapientiæ, multos à vitiis curarunt, & virtutibus illustres reddiderunt: Quos impedire non potuerunt plebis furor, tyrannorum insurrectiones, damniorum insidiæ, seu mortes in eos frequenter intentatæ. Nihilque præualuerunt lapides contra Stephanũ, duces salutis fuerunt. Ea inebriatus aqua Andreas crucem concupiscenti animo ascendit: Laurentius super craticulam ferreã positus, rore huius salutaris aquæ refrigeratus, tormenta derisit, tyranno dicens: Ex ea parte corpus meũ satis assatum est, in aliã verte, & eam mādūca. Apostolos reddidit gauderes pro nomine Iesu contumeliã pati. Meritò Christus ad bibendũ de ea omnes conuocauit dicens: Si quis sitit, de ea bibat, & sub plurali loquutione addidit: *Flumina de vêtre ei⁹ fluēt aqua viua* ne nesciremus puteum huius aquæ salutaris gratiæ tũ nobis, tum proximis comodum afferre. Néve crede-

Act. 5.

crederemus eum de aqua fluuiali loquutū, Euā
 gelista prudenter addidit: Hoc autē dicebat de
 Spiritu quē accepturi erāt credentes in eū, iuxta
 promissum quod dixerat: Cū assumptus fue- *Ioan. 16*
 ro mittam vobis Spiritum veritatis, qui à patre
 procedit. Ille testimoniū perhibebit de me. Die
 sancto Penthecostes illū misit, & de eo testimo-
 niū perhibuerunt in dispersionē Gentiū missi.
 Hic Spiritus est verus spiritaliū aquarū, id est
 cœlestiū donorū largitor, omnia omnibus diui-
 dens prout vult. Quique ex doctrina Pauli, vni *1. Cor. 12*
 sermonē sapientiæ, alij sermonē scientiæ, alij ge-
 nera linguarū, alij interpretationē sermonū cō-
 fert. Cū ipse sit vna ex tribus diuinis personis
 ob reuerentiā suæ dignitatis Ecclesiæ decreto
 censitū fuit, quòd non diceretur simpliciter, *Spi-*
ritus, sed cū additamento, *sanctus*. Verūm cur di-
 ctum est? Quē accepturi erāt. Nōne discipuli
 antea illū acceperant cū potestate Euangelium *Mar. 16*
 prædicandi, leprosos mundandi, dæmonia eii-
 ciendi, infirmos curandi, mortuos suscitandi?
 Negare non possumus, eos illū habuisse quan-
 do Christus eos misit binos in omnē ciuitatē *Luc. 10.*
 quòd erat venturus. Quòd creuerit Iudæorū ma-
 litia, qui Christū cruci affixerūt, in qua clarifi-
 catus fuit, iuxta illud quod patri dixerat: Clarifica *Ioan. 12*
 me pater, claritate quam habui prius quàm mū-
 dus fieret. Tūc admiranda quæ Christus agere *Psal. 43*

consueuerat, cessarunt, & dicere potuerunt Iu-
 dai: Signa nostra non videmus, iam non est no-
 biscum propheta. Qui v̄turus erat in mundū,
 nos non cognoscit amplius. Quando abun-
 dauit iniquitas eorum, superabundauit gratiæ
 donum. Quo enim die resurrexit Christus, di-
 scipulis apparuit, super eos insufflauit dicens:
Ioan. 20 Accipite Spiritum sanctum. Et illis potesta-
 tem remittendi peccata contulit, quam huc-
 usque solus habuerat. Ideò pulchrè dictum est:
Ioan. 7. Quod Spiritus nondum erat datus, quia Chri-
 stus nondum fuerat glorificatus. Cur ad tem-
 pus suæ resurrectionis illum infundere distulit?
 Nimirum ex peccato primi parentis, & multi-
 plicibus aliis quæ cōtraximus, inimici Dei con-
 stituti eramus, ideo decens fuit nos in primis
 Deo patri reconciliari, quod factum est quan-
 do Christus seipsum pro nobis sacrificium illi
 in ara crucis obtulit, vt inimicitias inter illum
 & nos contractas dissolueret. Postmodū Chri-
 stus quantæ virtutis erat Spiritus sancti infu-
 sione manifestauit, qui die sancto Pentecostes
Ioan. 20 super illos abundantissimè descēdit. Prius enim
 illum susceperant in propriū commodum, seu
 ad quædam minima, & particularia. Tunc ve-
 rò vt homines penè innumeros donis cœlesti-
 bus locupletes redderent, missi in orbem terra-
 rum Euangelium salutis nunciarunt. Ad huius
 rei

rei effectū eos variis in linguis loqui magnalia Dei docuit, eosq; cōstātes reddidit, ne inter prefuras tormentorū deficerēt, cōtrā quod spe futurorum bonorum constarent. Quod apertō fuit. Prius enim relicto præceptore aufugerant omnes, nunc verò ad tormenta ibant gaudentes, & se dignissimos iudicabant pro nomine eius contumeliam pati: & captiuam secum in ouile domini reduxerunt captiuitatem communicantes sua dona hominibus, & sermonem suum sequentibus signis cōfirmantes. Iste modus donationis Spiritus sancti fuit tam mirus, quòd similis ei antea visus non fuerat, & nunquam videbitur. Hoc sanè semel fieri decuit. Sicut enim Christus semel nobis redimēdis mortuus est, Spiritus sanctus semel super apostolos descendit, vt varia linguarum genera loquerentur, & populos quarumcūq; nationum ad fidem adducerent. Mirabantur omnes eos variis linguis loqui audientes, & musto esse madidos putabant, vel (vt ita loquat) vino sepultos credebant, quos Spiritus Dei repleuerat. Ideo communionem omnium linguarum in illos infudit Spiritus Dei, quòd essent omnia mystici corporis Christi membra vbiuis Gentium dispersa, in vnum congregaturi, & vera charitate iuncti fidem omnibus communem haberent, atque eadem ore omnes loquerētur.

*Mat. 27**Mar. 14**Act. 3.**Mar. 16**Act. 2.*

Homelia feria tertia post Dominicam
in passione.

Ioan. 7.
M
M
BA



*A*mbulabat Iesus in Galileam: non enim volebat in Iudæam ambulare, quia querebant eum Iudæi interficere. Ex præcedentibus videri potuit, quãtò benignifimus Iesus veriora Iudæis nunciabat, tantò maiorem illi invidiam conflagant, quoniam desideria carnis perficere cupiebant. Itinerum illius sequaces esse noluerunt, vndè eum reliquerunt iuxta illud Ioannis: Multi discipulorũ eius abierũt retrò, & duodecim ait: Nunquid & vos abire vultis? Quod fuerit à multis desertus, Iudæam deseruit, & Galilæam ingressus, sese in loca deserti contulit. Istud futurum ex spiritu prophetico pronunciauerat Hieremias dicens:

Ioan. 6.

Dereliqui domum meam, & animam dilectam tradidi in manus inimicorum. Quæ fuit in terris propria domus Christi, nisi terra promissionis? De qua legitur: Hæreditas mea Israël. Quãdo enim nascitur, in propria venit, sui eum non receperunt. Verum esse huius hæreditatis legitimum hæredem Iudæi nouerunt, in quorum manus animam suam posuit, quando in monte Oliueti fuit insidiosè captus, durissimè ligatus, & ignominiosè ad iudicem ductus, exprobratè morti adiudicatus, vt populum suum ab

Hic. 12.
Ioan. 1.

omni

omni iniquitate mundaret, illum Deo patri reconciliaret, & acceptabilem redderet. Quòd horum omnium nòdum hora venerat, per Iudæam ambulare noluit, quia Iudæi quærebant eum interficere. Verùm cur hac de causa per Iudæam in ambulare distulit? cùm sit ille de quo *Psal.* 134. scriptura ait: Facit quicquid vult in cœlo, in terra, & in omnibus abyssis. Itaq; inimicos còtinere, & vires eorum confringere potuisset, ne sibi nocumento essent, qui tempore passionis furètes ministros sacerdotum, & milites armis *Ioan.* 18. accinctos à se potenter repulit, & abeuntes retrò cadere in terram fecit. De quo alibi legitur quòd in templo conuenerant plurimi, vt eum comprehenderent, sed transiens per mediũ illorum illesus exiuit, conatus eorum vanè excogitatos fuisse demonstrans. Iterum alibi habetur quòd venerant, vt in sermone eum caperēt, *Mat* 22. eos ita confutauit, quòd nec hiscere quidẽ aduersus eum ausi fuerint. Vndè mirabantur assistentes, & dicebant: Nõne hic est quem Iudæi interficere quærebāt? nunc eis palàm loquitur, & nihil ei dicunt. Cur ergo per Iudæam ambulare noluit? Credamus quòd secretioris sacramenti occultum esse decebat, eum se modò Deum, modò hominem manifestare. Fuit suæ diuinitatis insigne quoties voluit è manibus inimicorum suorũ elabi, & humanitatis quòd

instar hominis subtimidi, Iudæam deseruit. In Galilæam profectus, ipse vsque ad horam passionis vsus inexpugnabili potentia, in medio inimicorum animam eius ad mortem quæretium stetit intrepidus, quia hora illius appropinquauit. Nunc à Iudæa recessit in Galilæam, & rursus in Iudæam rediit, tum dictis, tum factis se Deum manifestans. In finem mortuus est tanquam homo. Itaq; Amantissimi, credamus eum esse illum qui nos fecit, gubernat, ac benigne nutrit tanquam oues familiae suae. Qui tempore opportuno homo fieri voluit, ut hominem ab eo formatum reformaret. In terris conuersatus pro carnis conditione in caelo erat cum Deo patre. Quod ergo nunc per Iudæam ambulare noluerit, non impotentiae illius tribuamus, sed infirmitatis nostrae carnis consultum fuisse credamus. Sciebat futurum aliquot Christianos admodum non constantes, saeuitiam tyrannorum pertesos, è ciuitate in ciuitatem ituros, ut mortis periculum euaderent, vel cupientes salutis doctrinam aliis nunciare ciuitatibus, vel tempus suae mortis magis opportunum appetentes, prout à Spiritu sancto edocti essent, & id ipsum facere discipulos docuerat Christus dicens: Si vos in vna ciuitate persequuti fuerint, fugite in aliam. Ut latibulum per eos curiosè excogitatum, ne à persecutoribus inuenirentur, eis pro crimine

mine defectionis à Christo non obiiceretur, decuit Christum per Iudæam non ambulare, quia Iudæi eum interficere volebant. Fuit sui præceptoris egregius imitator Gétium apostolus, vt persecutoris manum euaderet, per ma- 2. Cor. 11
nus discipulorum in sporta missus fuit, & fure extra muros ciuitatis demissus, & sic mortis periculum in nomine domini euasit. Complures alios legimus tormentis exterritos ob rabiem tyrannorum effugisse, qui postea visi sunt in fide constâtissimi. Fortassis memores erât Christum eis fugæ exemplum opportuno tempore obseruandum dedisse, quòd non semel à Iudæa recesserit, sed multoties minas inimicorū euasurus, seu furorem eorum fuga sua compressurus. Nunquid adhuc puer ob Herodis sæuitiã, *Matt. 2.* non dico de ciuitate in ciuitatem, sed de regione in regionem transferri voluit? Vndè angelū misit in somnis dicere sancto Ioseph: Accipe puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptum, & esto ibi vsque ad obitum Herodis. Futurum est enim, vt puerum quærat Herodes ad perdendum eum. Forsan mihi dices: ob ætatis imbecillitatē istud fieri decuit. Hæc ratio parum militat, quoniam vir factus, & post quàm euacuauit ea quæ erant paruuli, est à manibus inimicorū multoties miraculosè elapsus. Enimvero si inter inimicos furentes semper constare voluisset

illæsus, quantò magis diuinitatem manere in illo crederemus, tantò humanitatem illius suspectam haberemus. Itaque à Iudæa recessit, vt eum hominem esse crederent, cuius proprium est mortem timere, & fugere. Cur verò eum Iudæi interficere volebant, nisi quòd ex nimio liuore animi erat illis ad videndum multum grauis. Sicut enim ex inuidia diaboli mors in mundum intrauit, ex eadem ipsi mortem Christi procurarunt. *Erat autem in proximo dies festus Iudæorum Scenopegia. Dixerunt autem ad eum fratres eius: Transi hinc, & vade in Iudæam, vt & discipuli tui videant opera tua quæ tu facis.* Scenopegia, idem est ac si dicas festus dies tabernaculorum, qui non solum erat penes Iudæos, verum etiam apud ethnicos apud primè celebris. In eorum ex omni Iudæa, tum ex finitimis regionibus multi in Hierusalem affuebant. Et fiebat solenne illius quinto decimo mensis Septembris iuxta illud *Leu. 23.* *Leuitici: Mense septimo festum celebrabitis, & omnis de genere Israël in umbraculis habitabit. Septem quoque diebus ab omni opere vacabant Iudæi, hymnos & odas sacras domino cantabant gratias agentes ob collectas in Autumno præcedenti fruges. Et memores erant Deum patrem eos à miseranda seruitute Ægyptiorum liberasse, atque in terram promissionis reduxisse, quos prius quadraginta annis in deserto*

deserto pavit, viuentes sub dio in tabernaculis in typum quòd veri Israëlità à vitiorum seruitute liberati domino gratias agerent, scientes nihil fugatius vita hominis, amplissima construere ædificia, & ex illis gloriari non curabāt, sed in domunculis quasi in tabernaculis vitam degebant, sperantes quàmprimùm terrena habitatio corporis eorum destructa esset, quòd in cœleste domicilium in cœlo præparatū introducerentur. Ideo antiqui patres tentoria è loco in locum mouebant, & domos construere negligebant, vt nos quodam spiritali typo docerent pedes hîc nō habere fixos, vbi quicquid possidetur est verè caducum multis discrimibus obnoxium, & breui periturum. Sed per hanc mortis regionem non secus pertransire quàm aduenæ & peregrini transeunt, intereà Deo qui nos fecit, qui nos vestit, qui ad immortalem vitā nos elegit, in omnibus gratias agere. Quòd Christus verba non faceret ad hūc diem festum maximè solennem properandi, mirabantur fratres eius, & dixerunt ei: *Transi in Iudeam, vt discipuli tui videant opera qua tu facis.* Ipsi cum Christo vane gloriari cupiebant, humanis affectibus ducti, ideo ei ascēdere in Hierusalem persuadebant, & ex iure propinquitatis omnia sibi licere putabant, ei inconsyderatè loquētes, quasi nesciret quid facere deberet, & scirent

ipsi quid omnium maximè faciendum esset, idcirco ad preces eorum in Hierusalem cum illis ascendere noluit. Quòd dictum sit fratres eius dixisse ei, &c. Complures sanctum Ioseph antè quàm Mariæ virgini desponsaretur, aliam habuisse vxorè dixerunt, & ex ea filios procreasse, vel quòd à Christo nato beata virgo aliquos procrearit. Opinio eorum tanquam omnium falsissima à sanctis patribus reprobata fuit asserentibus eum virginis custodem institutū cum sancto cælibatu vixisse, vt esset huius officij còdignus minister. Tenet autem vniuersalis Ecclesia Christi matrem ante partū, in partu, post partum, & vsque in finem vitæ sui corporis integritatem seruasse. Sicut enim in sepulchrali fouea corpori Christi dicata, aliud corpus antea vel postmodum non iacuit, similiter vterus virginalis ante Christi partum vel post, aliud mortale non concepit, aut genuit, neq; fuit cubiculum gloriosæ virginis aliquo semine virili irrigatū. Ideo per fratres, eos intelligamus, qui consanguinitatis nexu iuncti erant: eo dicendi genere vsus est Euangelista, qui apud Iudæos vsitatissimus erat. Eos enim non rarò fratres vocabant, qui sanguine tantum iungebantur. Istud exemplis quàmplurimis ex sacrarum literarum promptuario desumptus manifestò colligitur. Duo in medium adferamus.

mus. Vnum sit, Abrahamum & Loth fratres *Gene. 13*
dictos, quorum vnus fuit patruus, alter au-
tem ex fratre nepos. Iterum Labam & Iacob
dictos fuisse fratres nouimus. Tametsi Labam *Gen. 27*
fuit auunculus, & Iacob ex sorore nepos. Mo-
do pari isti fratres Iesu dicti sunt, qui tantum san-
guinis nexu ei iuncti erant. Et multò confiden-
tius quàm decuit Christum alloquebantur di-
centes: Egredere Galilæam, in qua diu nimis
moram fecisti: & in Iudæam perge. Quòd enim
inter homines alienigenas tantum diu fuisti, notam
infamiae non mediocrem tuæ laudi contraxi-
sti, ascende in urbem totius nationis nostræ flo-
rentissimam. *Vt discipuli tui videant opera quæ facis.*
Mihi non videntur de duodecim discipulis,
quos ex multis Christus elegerat, loquuti: tum
quòd Christi opera amplissimè viderent, tum
quòd eum repetere Iudæam non cupiebant, vt
nos docet Lazari historia. Istud ergo ad alios
seruitio Christi receter addictos referamus, qui
opera Christi planè non viderant, & eum urbe
regia aliquod insuetum suæ virtutis diuinæ mi-
raculum edere coram populi magistratibus, &
sacerdotum principibus cupiebant, ex quo laus
ipsius accresceret, & maiorem discipulorū nu-
merum sibi pararet. Vt eum magis ac magis cō-
mouerent præcedentibus addiderunt: Si vera
sunt quæ facis, quasi de operibus quæ fecerat

vt cūque dubitarent, & ei planiùs dicerent: Si tu es Messias à lege promissus, Dei patris filius, vnice charus, & in mundum in salutem omniū missus, cur cum rusticis hominibus, qui nullo honore te dignantur, vitam agis, & tuam famā imprudenter negligis? Maximè omnium, quādo tibi occasio longè amplissima datur, occupandæ laudis apud homines non raræ auctoritatis. Igitur vt honoratior inter illos habearis, quantus es innotesce mundo. Quandiu enim in domūculis humilibus, instar hominis profugi, & subtimidi te continueris, iudicabūt pluri opera quæ facis non esse ex Deo. Verum mihi dicant: Quid in operibus Christi videri potuit, vt quid sinistrum de illis conciperetur? An presentium aciem oculorum illis perstrinxit, vel eos arte magica ludificauit, vt de suis operibus longè secus, quàm esset, iudicarent? Nihil minus. Cur ergo aiunt? Si vera sunt opera quæ facis: Sensus carnis eos deceperat. Qui se prudentem esse iudicat, præcipitanter, & imperiosè loquitur, & cupit quæque sibi lubet, fieri. Vt eum magis animarent, rursus dixerunt ei: *Nemo in occulto aliquid facit, & querit ipse in palam esse.* Testatur Paulus, mala non esse vel bona dicenda vel facienda. Estò quòd ex illis quædam bona euenire possint. Ideo imprudenter mentiri non debuerunt dicentes neminem in occulto

oculto aliquid fecisse, nimirū prophetæ He-
 lias, & Helifæus infantes viduarum in secreto ^{3 Reg. 17}
 cubili suscitauerunt, & inde laudem meruerunt. ^{4. Reg.}
 Nōne plurima Christi opera in aperto fue-
 runt, quæ calumniari non potuerunt? sed quæ
 in occulto fecit ea in vulgus efferri voluit. Vn- ^{Luc. 17.}
 dè decem leprosis mundiciam corporis ab eo as-
 sequutis, templum adire, sacerdotibus se mani-
 festare, munera offerre iussit. Cupiebant sanè,
 vt dictum est, cum eo inane gloriari, et transi-
 toriis populi fauoribus attolli, vndè ista illi
 suaserunt, quibus respondere potuisset: Qua-
 les estis vos, qui peruersè mihi suadetis ea agere
 quæ non licēt? Verūtamen hæc missa faciēs, eos
 benignè alloquitur dicens: *Tempus meum nondū
 aduenit, tēpus autē vestrum semper est paratū.* Mihi
 dices: Si tēpus suū nōdū aduenerat, cur ī mūdū
 venerat? Suæ incarnationis tēpus nō modò ad-
 uenerat, sed præterierat. Tempus humanæ re-
 demptionis de quo loquebatur nondum adue-
 nerat, sed in proximo erat. Audientes amantif-
 simi, Christum quàm benignè illis respondis-
 se, pensitemus nos, qui cinis, terra, & puluis su-
 mus, qua venia fruemur, si in illos arrogantes ^{Gene. 18}
 fuerimus, qui nobis vtilia consulunt. Nemi-
 pe inter illos iudicabimur, quos execratur pro-
 pheta Amos dicens: *Odio corripiētem habue-* ^{Amos. 5.}
runt, & recta loquentem abominati sunt. Ideo

audaciam illorum (rectius dixerim stultitiam) Christus benignè supportauit, vt nos abiecti homines illos benignè supportemus, qui nobis aliqua consultò referunt, quæ recta esse credunt. Estò quòd illa inueniantur à veritate aliena, patienti supportemus animo, vel si ab illis exasperati, seu ad iram prouocati fuerimus, vel iniuriis laceffiti, nullo pacto commoueamur: contrà, occasiones acerbi doloris gladio mansuetudinis abscindamus. Fortassis ex re insolita & graui commouebùtur animi nostri affectus, erùntque adeò vehementes ac furibundi, quòd rectum subuerrere iudicium, vel obnubilare velint. Vt à passione furoris quiescant, illos reprimamus, exemplo Christi, qui malè sibi consulentibus benignè respondit. Nimirum si passionibus nostris succubuerimus, nos ipsos perdemus. Inquies: contumelias mihi in aperto factas, aut vitia falsò imposta æquo ferre animo non possum. Nónne tu moderator es (dicente *Gene. 4.* Domino de Cayn) Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius? Si ergo ex illis animus adeò inferbuerit, vt ferme ex toto à te profilierit, tibi imputabitur, vt domineris illis. In mentem veniat animi perturbationem maius nocumentum tibi quàm tuo hosti adferre. Contrà, si animi vires retinueris inimico ex honesta taciturnitate plagam infliges maximè salutarem atque

atque imitabilem. Quid enim velle contumeliã contumelia propulsare aliud est, quàm ignem accendere, vel ardentem magis ac magis inflammare? Forsan mihi dices. Qui sunt patienti animo, & ad contumelias immoto, seculi homines eos iudicant pusillanimes, & ef feminatos. Malè quidem quoniam gloria animi verè excelsi, est legem Dei implere, atque in aduersis patientem animum habere. Igitur amplius non dicas te non potuisse non contristari, quoniam ex doctrina apostoli, omnia in illo potes qui te confortat. Rursus idem apostolus inquit: *Recogita eũ qui aduersus semetipsum* *Heb. 12* *talem sustinuit à peccatoribus contradictionẽ, vt non defatigeris animo tuo deficiens. Quòd Christus dicens illis: Tempus meum nondum venit, iuxta literæ sensum ad horam sui ascensus referendum est. Verùm in sensu mystico, vel ad tempus vltionis inimicorum quod nondũ venerat, vel ad tempus ferendæ crucis, vel ad tempus iudicãdi seculum per ignem, pariter referri potest. Cũ simus sui corporis membra, si in præsentì offertur nobis crux salutaris pœnitentiæ, patienter ferenda est, vt tempus nostræ exaltationis veniat. Quibus iterum dicit: Tempus vestrum, scilicet ascendendi in templum Hierusalem semper est paratum quoniam potestis cum Iudæis vel in eo, vel in domibus priuatis securè*

conuersari, qui vos benignè suscipiunt. *Meum autem paratum non est:* quia si vobiscum ascendero manus violentas in me subito coniciunt. In sequētibus rationē adfert eorum quæ dixit: *Non potest mundus odisse vos, me autem odit, quia testimonium perhibeo de illo, quia opera eius mala sunt.* Qua enim gratia vos odio haberet mundus, qui suis operibus consentitis. Sicut enim verus amor ex similitudine morum enascitur, etiam atrox odium ex dissimilitudine eorū procreatur. Mirū non est si mundus me odit, qui opera illius manifesto esse peruersa atque corrigenda. Igitur *ascendite ad diem festum* quia vanè gloriari vultis. Hæc referens eos vitio inanis gloriæ redarguebat: cui⁹ affectu peruerso stimulati, ut ascenderet in Hierusalem eum commouere volebant, ut cum eo vanè gloriarentur. Et meritò quidem Christus illud arguit, quod operibus quantumlibet præclaris sese immisceat, & optimis quibuscūque viris insidiari soleat. Nobis exēplo sint præfetes discipuli qui propter Christum, patrem, matrem, filios, sorores, domum, & agros reliquerant, quos tamen non reliquerat vermis iste pestifer: contra eos internè multum vexabat. Merito Christus illos monuit illum non modò suis conculcare pedibus, verū etiam caput illius ex toto amputare, quoniam quasi cancer irrepens piorum hominum bo-

na opera inficit, quos variis tentationibus ag-
 greditur. Ideo illi viriliter resistamus, vera in
 laudem appetentes, quæ sui appetitores fugit,
 & contemptores prosequitur. Ideo mundus
 Christum odio habuit, quòd opera eius esse
 mala manifestarit. Eodem penè argumento fla-
 gitiosi homines illos odio habet qui vitia eorū
 increpant, & acerbè taxant, vel (vt vulgari teri-
 tur proverbio) rem ipsam acu tangunt. Si mun-
 dus eos propter legem Christi odit, parum cu-
 rare debent cum eis dicat scriptura: Beati eritis
 cūm vos oderint homines. Et iterum. Non est *Luc. 6.*
 seruus maior domino suo. Qui illum persecu- *Ioan. 15.*
 ti sunt, eius seruos persecuntur. Ait enim Chri-
 stus: Me gratis odio habuerūt: & eritis illis odio
 propter nomen meum. Idcirco mundus dile-
 ctos Dei odit, quia ipse totus in maligno po- *Ioan. 5.*
 situs est. Vt eos consolaretur Christus ait: Si ad-
 huc partes illius foueritis, vos diligeret, quòd
 illas fouere nolueritis, vos odio habuit. Sed si-
 cut vos odit, eum diligere non debetis: quo-
 niam qui mundum diligit, charitas Dei non *Ioan. 4.*
 est in illo. His trāseunter dictis, benignissimus
 Iesus discipulis licentiam ascendendi ad diem
 festum indulsit dicens: Vos ascendite ad diem
 festum hunc, ego non ascendam, quia tempus
 meum nondum impletum est. Ex industria vo-
 cabulum hoc addidit, taxās eos qui ea ratione

ad diem festum ascendunt mundi gloriam venari sitientes. In simul eos increpabat, qui ad dies festos circumadiacentiū ecclesiarum pergūt, vt totos dies in corporalibus epulis, & mūdi delitiis consumant: quos ad diem festum ascendere non prouocat Christus sed diabolus. Ideo ait: *Ego vobiscum non ascendam*. Mihi dices: Cur dixit, Non ascendam qui paulò post ascendit? Ex textu aperto constat eum non dixisse simpliciter se non ascensurum, sed nolle cum illis ascendere, qui in rebus caducis, & breui perituris vanè gloriabantur. Rursus ascendere ad diem festum in comitatu solenni noluit, ne furentium inimicorum impetus ad mortem sibi inferendam longè propensos magis ac magis inflammaret. Postea quàm ascenderunt, solus, & quasi in occulto ad diem festum ascendit, vt debitum officij perficiens, populi errata corrigeret, & cum æternæ fœlicitatis admone- ret: Non solùm illis loquebatur verumetiam nobis sui corporis mystici membris loquutus est, vt quoties seculi amatores nos cum eis ascendere ad dies festos circumadiacentium ecclesiarum rogant, vt ibidem cum illis crapulemur, inebriemur, & nihil minus in illis cogitemus & agamus quàm quæ ad diem festum conueniunt, illis audacter respondeamus: vos qui in rebus transitoriis delitarii vultis

vultis, ad hunc diem festum ascendite si vultis, ego vobiscum non ascendam, quoniam præstat hic manere, & mirabilia de lege domini considerare, atque illi dicere: Cõcupiscit anima mea iustificationes tuas, non abscondas à me mandata tua. Quo itinere ad diem festum ascenditis non ascẽdam, quoniam illud est expositum multis periculis: eo enim ad infernũ itur, ideo non ascendam vobiscum. Me non fugit viam esse nimis arctam, quę seruos Dei in cœlum deducit, illi placeat oportet, qui præmium laboris expectat. Vult enim Christus nos diebus festis totos rebus sacris deuouere, & in illis labilem mundi gloriam contemnere: ideo ad diem festum ascendere cum illis noluit, qui affectibus humanis ducebantur. Cũ enim aliãs sub parentum tutela ad templum ascendisset, Dei patris negotia acturus, cum illis ab illo non est reuersus. Matri querulosæ dicenti: Fili quid fecisti nobis? Ego & pater tuus dolentes quærebat te. Respondit: Nesciebatis quia in his quę patris mei sunt, oportet me esse. Iterum audiuit: Ecce mater tua, & fratres foris stant, quærẽtes te alloqui. Quibus ait: Mater mea, & fratres sunt facientes voluntatem patris mei. Rursus dum se ad munus Euãgelicum præpararet, matrem Capharnaum reliquit, ne nesciamus carnales affectus parentum, diebus festiuis exuen-

Psal. 118

Mat. 7.

Luc. 2.

Luc. 8.

dos esse. *Ut autem ascenderunt fratres eius, tunc et ipse ad diem festum ascendit, non manifestè, sed quasi in occulto.* Evangelista non dicit simpliciter in occulto. Sed vocabulū quasi, ex industria addidit, quoniam si ex toto occultari voluisset, inter omnes in templo conuersatus non fuisset. Verūm quasi homo subtimidus ascendit, vt nos informaret, quid in similibus agendū esset. Erat inter hostes positus medium tenens, insidias eorum effugit, & improbos conatus eludit, quia solus & quasi in occulto ascendit. Hic latens est sacramentum, in præsentia aperiendum. Ipse prius fuerat quasi in occulto per prophetas reuelatus sub figuris, & sacrificiorū inuolucris occultatus: inter Iudæos fratres illius vsque ad tempus suæ passionis quasi sub latibulo latuit, quando montē caluarix ascendit, qui habitus fuerat homo subtimidus, visus fuit Dei filius ex quo velum templi à summo vsq; deorsum in duas partes scissum fuit, sol obscuratus est, terra tremuit, & Ceterio ait: Verè filius Dei erat iste, & mysteria nostræ salutis hucusque occulta fuerant, quæ tunc manifestantur. Itaque propter nos hæc contigerunt, in quos fines seculorum deuenerūt, vt memores simus nos habitare in templo Dei quasi in sancto, & sic viuere, vt videre valeamus Dei virtutem, & gloriam eius. Itaque quòd cum discipulis ascendere nolue-

Mar. 15

re noluerit, factum nõ est, quòd vitæ periculum
 incurrere timuerit, aliàs paulò pòst solus non
 ascendisset, neque inter inimicos conuersatus
 fuisset: sed ob latens mysteriũ hæc loquutus est.
 Pòst quàm ergo se in multis argumentis illum
 esse manifestauit, qui ex prophetarum scriptis,
 & hostiarum sacrificiis erat caluariæ montem
 ascensurus, diem festum humanæ redemptio-
 nis inter omnes celebrauit, & tandé pro omni-
 bus consummauit. Priùs quàm in templũ ascē-
 disse, Iudæi quærebant eum in die festo, & di-
 cebant: *Vbi est ille? Et murmur multum erat in tur-
 ba de illo.* Vnde murmur, nisi quòd ipsi vota sua
 in varias opiniones proscindebāt? Quid simile
 videri solet, quoties varij generis homines cõ-
 gregantur. *Quidam enim dicebant, quia bonus est:
 alij autem non, sed seducit turbas.* Si malignè loquē-
 tes prouidi fuissent, ad vltimum diem festi de
 eo loqui distulissent, rei euentum expectantes.
 Nondum enim reprehensibilis erat, qui morã
 purgare poterat. Igitur sine causã murmur cõ-
 mouerunt. Cur à quouis eorum nominatus nõ
 fuit? Nimirum inter illos qui illum diligebant,
 nomen eius adèdò celebre, & notum erat, quòd
 nominari non oportuerit. Illũ enim à doctri-
 na, miraculis, & moribus inculpatis notissimũ
 habebãt. De impiis verò legitur eos dixisse: Est
 nobis grauis ad videndum, similiter ad nomi-

Sap. 2.

Isa. 56. nandum, sequentia ei impropere potuerunt, quæ ei aliàs falsò imposuerant: Hic est qui sabbatum non seruauit, qui diuinitatis nomē sibi ex nimia arrogātia attribuit, qui aduersus proximos imperiosè nimis loquutus est. Pij verò virtutes illius experti, clanculariis confabulationibus opera eius referebant dicentes esse nimis impium viro benemerenti velle insidiari. Ex istis inter eos vox quædam confusa, & lógè dissonās audiebatur, instar strepitus aquæ violēter decurrentis, aut aridorum foliorū impetu ventorum ab arboribus cadentium: qui erant corruptæ mentis, cum esse seductorē clamosè proclamabant, sibi fauorem populi conciliare cupientes. Qui autem iudicij verè synceri, suppressa voce virtutem illius susurrabāt, sibi multum timentes. Ex variatis eorum sententiis ortum fuit murmur, & satis continuum: quod apostolus nos vitare monuit sub his verbis: *Cum sit inter vos zelus & contentio. Alibi autem legitur: Id ipsum dicatis vos omnes, & non sint in vobis scismata. Sitis perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia. Nonne homines estis, & quæ sunt carnis & sanguinis sapitis? Quod tunc in templo Iudæorum contigit, in ecclesia fidelium aliquoties accidit, in qua audiuntur voces diuersæ: qui piè consultò suadent hæc fugere, & in simplicitate cordis ambulare, antiquorum patrum*

I. Cor. 3.

I. Cor. 1.

patrum vestigia sequuti, quãditiu regia & communi via ambulabunt, à dextris aut sinistris nõ flectētes, à maleuolis hominibus, & curiosis vituperari poterunt: sed iudicia eorum non plus timeāt, quàm aridorum foliorum commotiones. Si furibundè loquantur, eos furere relinquunt, & non sint in ore eorum redargutiones: sed iuxta apostoli doctrinam, veraces: tametsi ore inimicorum eos vituperantium vocentur seductores, puras habentes conscientias, vitam antea actam curiosè examinent, certò scire cupientes an crimina eis obiecta aliquando commiserint: ex quibus commissis Deum offendisse, & inimicis occasionem scandali dedisse doleant, & tantò magis ad obiecta criminum patientes sint, quantò amplius ea audire commuerunt. Si autem non cõmiserint, reminiscuntur crimē Christo fuisse falsò per inimicos impositum dicentes: seducit turbas, & quicquid pro virili poterunt, faciant ne proximo scandalo sint, quos obstrepere pro animi libito sinant, dicentes cum Paulo: Nobis pro minimo est, vt à vobis iudicemur, vel ab humano die. 1. Cor. 4.

Ad quid maledicta inimicorum audire recusabunt, cum sint mystica corporis ecclesiæ mēbra: quæ Christus caput illius patienter tulit? Sciant velim id eis à pseudochristianis impropere, quòd à Iudæis murmurātibus fuit Chri-

sto impropertum. Testatur scriptura (vt dictū est) q̄ non est seruus maior domino suo. Quod ergo passus est Christus caput nostrum, patientur ipsi ecclesiæ membra vsque ad aduentū domini: in quo frumentum à paleis semouebitur in horrea domini reponendum, id est, boni à malis separabuntur, quos paleæ repræsentant. Interea aduersus pios furiunt, & indignantur instar Iudeorum Christi inimicorū. *Nemo tamē palam de illo loquebatur propter metum Iudeorū.* Ista pios respiciunt, qui Iesum esse principibus Iudeorum vehementer inuisum nouerant, quos timebant, ideo voces suas cōtinebant ne indignarentur. Acta sunt hæc in die multū solēni, in quo homines timorati ob reuerētiam illius de proximo peruersè loqui cessare debuerunt.

Homelia feria quarta post dominicam in passione. Ioan. X.

FActa sūt encænia in Hierosolymis, & hys erat. Encænia Græcum est vocabulū, Latinè expositū idem est ac si dicas quid nouum. Inde vsu venit hominē noua indutū tunica encæniare dici. A suscepta lege per Moysen Iudæi arcā testamenti variis in locis stare fecerant, atq; reposuerant, donec sapiēs Salomō Hierosolymis templū ædificauit in quo illam deposuit. Quod dies dedicationis templi

templi pro rei nouitate antiqui patres encania
 vocarūt, idem fuit semel iterum ac tertio dedi-
 catum. Ne nesciremus de quo die dedicationis
 illius festum celebre erat, Euangelista sapientif-
 simè ait: *Hyems erat.* Prima dedicatio illius tem-
 pore autumnali facta fuerat, secunda post trās-
 migrationem Babilonis sub Zorobabele, & Ie-
 su sacerdote, & tempore vernali solennis fuit.
 Postrema omniū instituta, post q̄ Antiochus
 Epiphanes templi vasa polluit, seu illa prophā-
 nauit, quæ Iudas Machabæus mūdare, & in de-
 cētissimo ordine reponi fecit. Dies iste fuit in-
 star noua dedicatio, & tēpore hyemali fiebat,
 ideo dictū est: & hyems erat. *Et ambulabat Iesus*
in templo in porticu Salomonis. Locus iste erat sim-
 plici populo destinatus. Quòd Christus in pri-
 mis diebus festiuis ad templum nō venerat, in-
 dignabantur: tandem venit, & Leuitæ officio *Luc. 4.*
 functus est. Prædicans deniq; statuti hominum
 sese submitit, & inter plebeios homines sese cō-
 tinuit, nos erudiens sanctorum patrum decreta
 obseruare: esto quòd non sint in textu Euāgelij
 specificè scripta. Multa enim & Paul⁹, & sancta
 synodus sanxerunt obseruanda esse Spiritu san-
 cto eis reuelante, qualia sunt de cultu externo
 venerationis Dei & sanctorum, de feriis sacris,
 psalmis, & hymnis certis diebus Deo decātan-
 dis, quæ in Euāgelio scripta non sunt, & per nos

obseruari debet. Quid templum Hierosolymis
 constructum aliud adumbravit, quam dominicum
 corpus? Sicut enim sapiens Salomon illud ædi-
 ficauit ad placandam Dei iram, eadem ex causa, Deus
 pater humanum corpus filio suo aptauit. Audiē-
 tes amantissimi Christum esse Dei templum, quodve
 Iudæi manufactum reuerentes uisitarint, in quo
 sanguis & caro animalium pro sacrificiis offere-
 bantur: nos quoque, ex doctrina Pauli esse templum
 Dei credamus, & nostrorum penetralia cordium
 purgemus, in quibus sui corporis sacramenta re-
 ponamus. Sit ergo in nobis porticus Salomonis,
 id est locus puræ orationis. Cum Christus illic
 staret, *Circumdede runt eum Iudæi, & dixerunt ei:
 Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic
 nobis palam.* Sicut hyems erat, & in cordibus eorum
 frigus malitiæ regnabat, illum ignem extinguens,
 qui est non cõburens sed lucens, non cõsumens,
 sed corda hominum illuminans, & ea reddens habi-
 tacula Deo munda de quo Christus ait: Veni
 ignem mittere in terram, quid volo nisi ut ardeat?
 In eo qui Christum frigidè diligit, est iste ignis
 torpescens, qui in Iudæis ex toto extinctus erat,
 quoniã non charitatis feruore, sed nocendi cu-
 piditate Christum circumdederunt, quasi nescientes
 qualis & quantus erat, si ad eum in simplicitate
 cordis accessissent: ex operibus quæ gessit, il-
 lum facili negotio cognouissent. Quod cum
 circun-

LUC. 12.

circundare deberent prophetauerat psalmista
 inquit: Conuenerunt simul aduersum me, & *Psal. 30.*
 accipere animam meam consiliati sunt. Et rur-
 sus, Circudederunt me sicut apes: & exarfe-
 runt sicut ignis in spinis. Nūquid fuere ubique
 occasionem quæretes impetum facere, & cum
 lapidibus obruere? Quibus alibi respondit. Pa- *Ioan. 18.*
 lam loquutus sum mundo, docui in synagogis,
 & in templo ubi omnes conueniunt. Opera fe-
 ci quæ nemo facere potest. Si meis verbis non
 creditis, saltem operibus credite. Eadem falla-
 cia eum seducere non semel, sed multoties vo-
 luerunt: aliquot exempla referamus. Sciebant
 necessarium esse censum dare Cæsari, cuius nu-
 mismate utebantur. Nihilominus quæsierunt
 ab eo: An licet censum dare Cæsari? Nouerant
 ex lege mulierem in adulterio deprehensam la- *Leui. 20*
 pidibus obruendam esse: cur ergo sciscitati sunt
 ab eo quid diceret de illa quæ modò in adulte- *Ioan. 8.*
 rio deprehensa fuerat? Malebāt ex certa animi
 malitia circa pugnas quæstionum languescere,
 & ex animi liuore contristari, & penè mori,
 quàm eum profiteri Dei filium, & Messiam à
 lege promissum. Rursus alterum ex duobus au-
 dire expectabant, vel quòd se declararet illum
 cuius scriptura meminit dicens: Dominabitur *Psal. 71.*
 à mari vsque ad mare, per omnes terminos or-
 bis terrarum, cui seruient omnes populi. Si hoc

dixisset, quasi in præiudiciũ Cæsaris loquutus eũ tãquã alienæ potestatis vsurpator Romanis tradidissent, sicut postea ad flagelladũ & crucifigendũ tradiderunt. Si autẽ titulum huius dignitatis sibi competere denegaret, illi pro crimine imputarent quòd se talem multoties proclamari permisisset. Subdolas cogitationes eorum Christus prudentissimè allisit, & eludit dicens: *Loquor vobis, & non creditis mihi, opera quæ ego facio in nomine patris mei, testimonium perhibent de me: sed vos illis non creditis.* Mihi consydera quàm benignè loquutus est: insidiis etiam illorum circumuentus omnis virtus in illo abundavit. Verùm superabundavit benigna animi clementia, quæ non solùm hic demonstratur, sed variis ex locis scripturarum comprobatur. *Ioan. 7. 8. et 10.* Dixerunt ei: Dæmonium habes: vini potatorẽ, & legis aduersarium vocarunt, maledictis lacessitus, alapas passus, variis quoque circumuentus insidiis eorum, Iudæi Christum circundantes apibus perfimiles erant. Quos enim circundant apes, suis eos aculeis pungunt: aut spinis multùm pares erant: quando enim comburuntur, murmur maximum generant. Similiter ipsi vociferantes ex liuoris ardore Christum circundederunt dicentes ei: Quousque animã nostram tollis? Animas eorum non detinebat suspensas seu dubias. Ideo hæc verba magis erant homi-

hominum deridentium quàm scire volentium qualis erat. Istud dixerat sub his verbis: Ego sum principium qui hæc loquor vobis. Idē est, ac si *Ioan. 8.* dicas: Sum Deus & homo. Rursus opera fecerat, quæ nemo alius fecit, de eo testimonium perhibentia. Igitur cùm ex verbis, tum ex operibus suis quisnam erat, nosse potuerunt. Istud ergo malignè quærebant, dum enim ore tenus erudiebântur, signū quærebant dicentes: Quod signum ostendis, vt credamus tibi? Et quando se filium Dei multiplicibus signis declarauit, dixerunt: Si tu es Christus, dic nobis palàm. Vbíque modestiam seruauit, tacitò dicēs: Ad quid veritatem à me quæritis, quem esse contrarium deo, & dæmonio obnoxium dicitis, vel hominem insanæ mentis, ac populi deceptorem iudicatis? quoniam ea quæ loquor, non creditis vera esse, saltem operibus credite. Quid potuisset vel benigniùs, vel humaniùs respondere? Tã abest, quòd hæc referens, illis ianuam maledicentiæ apperuerit, quod aditum occluserit, & ora eorum obstruxerit, subindicans non opus esse verbis id probare quod externa manifestât opera. Quòd miraculis frequenter repetitis nõ crediderunt, quomodo simplici verbo illius credidissent? Itaque eos ad opera quæ in nomine Dei patris fecerat, remisit, quæ indubium de illo testimonium perhibebant, & propheta-

rum oraculis consona erant. Nempe de vero
Esa. 29. Messia loquutus Esaias dixerat: Dum venerit a-
 .3. perientur oculi cæcorum, aures surdorum pa-
 tebunt, sicut sicut ceruus claudus, & aperta
 erunt linguæ mutorum. Hæc omnia ipse ope-
 ratus est, qui discipulis à Ioanne missis ait: Nun-
 ciate Ioanni quæ vidistis, & audistis: Cæci vi-
 dent, claudi ambulant, leprosi mundantur, sur-
 di audiunt, mortui resurgunt, pauperes euange-
 lizantur. Væ ergo illis, qui ex doctrina & mira-
 culis eius scandalum passi sunt ab eo quæren-
 tes: Dic nobis palàm si tu es Christus, & ad ve-
 ritatem rei venire volebant. Qualia ipsi à Chri-
 sto percunctati sunt, talia ab illis qui simplices
 animas ignauibus verbis seducunt, quæramus,
 cur fallaces doctrinas, & discordes veraci in-
 telligentia antiquorum patrum aduehant: vt
 eas stabiliant, non sufficit peregrina hæretico-
 rum testimonia in medium adferre cum in cõ-
 siliis generalibus reprobata fuerint. Verùm o-
 porteret sicut Moyses mirabilibus portentis se
 à Deo missum, vt omnia innouaret, manife-
 stauit: & Christus se verum legislatorẽ operibus
 comprobauit, quòd signa facerent ex quibus
 in aperto esset, Deum illos misisse, vt innoua-
 rent quæ communibus regulis antiquorum pa-
 trum, vocem eius audiunt. Quibus in nouissi-
Mat. 25 mo die est dicturus: Nõ noui vos. Ite in ignem
 æternum.

aeternum. Vocat & eligit ipse quos vult, sed vocatio eius sanctis operibus iuuanda est dicente Petro: Satagite, vt certā vocationē vestrā & electionē faciatis. In quibus qui vsq; in finē perseverauerit, saluus erit. Sunt enim legis praecepta animo alacri obseruanda, pro quibus custoditis dabitur retributio multa. Verū in custodiendis illis est labor nō modicus, sed illos parū grauat, qui cœlestia appetunt. Quoties enī aliquid perfectē diligitur (esto q̄ circa illud sit quid arduū & difficile) parū laborat, qm̄ ex sn̄ia Augu. Grauia leuia reddit amor. Contrā eos qui opus iniunctum negligēter agunt, & sine alacri animo, pusillus labor eos multū grauat. Amantissimi, per sacrū baptisma ad beatam vitam Christus nos elegit, & vnicuique nostrum dicit: Si vis ad vitam ingredi, serua mādata. Hoc fac & viues. Hanc nostri pastoris vocem audiamus, & opera perficiamus, vt per eum vitæ immortalis largitorem inter illos numeremur de quibus sequitur: Et ego vitam eternā do eis: & statutis conueniunt. In sequentibus causam subaperuit Christus ex qua sibi & operibus suis nō credebant. Ait enim: Ideo non creditis, quia ex ouibus meis non estis. Per oues illius, homines diuinis praeceptis parentes intellige. Præsens similitudo mihi videtur maximē idonea, quoniā inter animalia domesticē nutrita ouis com-

1. Pet. 1.

Mat. 10

Psal. 118

Mat. 18

Rom. 8

mendarur, quòd sit simplicis naturæ, mitis ac frugifera, pastoris vocē audiat: & eū quocūq; pergit sequitur. Pariter fidelem seruū decet animū habere simplicem, modestū, & nosse Christum, animarū pastorem verum: nihilq; præceptis illius reluctari, & omnia ab eo sperare, qui potēs est oues suas à luporū morſu, & omnibus liberare incōmodis. Quid repræſentant lupi rapaces præter pseudo-christianos ouibus Christi, vt eas deuorent ſicut eſcā panis, inſidiātes? Verū illis nocere nō poterunt, quas Christus elegit, & intra caulas militantis eccleſiæ ſub ſua fidelis custodia regit: in qua talis ordo ſeruandus eſt, qualis in œconomia rectè diſpoſita ſeruatur. Nimirū in ea ſunt qui aliis præſunt, rursus qui iuſſis eorum obſequuntur: ita Christus in militanti eccleſia hos pastores, illas oues inſtituit, & regimini eorū ſuppoſuit dicens ouibus: *Heb. 13.* Obedite præpoſitis veſtris: Quibus præcepit oues ſuæ fidei creditas à faucibus luporum ſeu pseudoprophetarū eripere, & infirmas curare: quas (proh dolor!) multi negligūt, & in illis tantum lanā, & lac querunt. Hoc nō eſt dominicū gregē paſcere, multò magis deglubere. Vt Chriſt⁹ Iudeos doceret ſe cognoſcere ſui ouilis oues, iterū ait: *Ego cognoſco eas, ſequuntur me: & ego vitā aternā do eis.* Quid fuit dicere cognoſco eas, niſi *Rom. 8.* ad beatā vitā eas deducam? Ex ſententia Pauli, quos

quos elegit, vocauit, iustificauit, vt conformes
 sint imaginis filij sui. Est enim in sacris literis
 vsitatissimū dicere Deū eos cognoscere, quorū
 mores approbat, dicēte apostolo: Nouit Domi-
 nus qui sunt eius. Nimirū ex operibus eos ab a- ^{2 Tim. 2}
 liis discernit: contra eos nescire dicitur, quos
 propter vitā nequiter actā reprobat: igitur in
 præsentī vita innocenter viuamus, vt viuentes
 gloriæ coronā illis promissam qui mandata ser-
 uant, cōsequamur, & ab ore domini audiamus:
 Serue fidelis, quia in modico promissum tenui-
 sti, intra in gaudiū domini tui. Vbi pinguia in- ^{Mat. 25}
 ueniamus pascua, & herbæ nō arescunt, nihilq;
 nobis deerit eò loci in quo ipse nos collocabit.
 Videntur Christi oues inter perfequentiū ma-
 nus positæ, singulis ferme diebus perire, quādo
 pro lege sua perfequuntur: quas tanquā aurū in
 fornace probat, modò inter aduersa patiētīā ser-
 uent, sitq; spes illorum immortalitate plena. In ^{Sap. 3.}
 paucis vexabuntur, & ad meliora disponentur:
 quos Christus in finē tanquā holocausta mul-
 tum grata accipiet. De quibus sequitur. *Non pe-
 ribunt in aeternum, & non rapiet eas quisquā de manu
 mea.* Mihi dices: Nunquid Petrus à manu Dei
 raptus fuit, quādo in atrio principis sacerdotū
 ex carnis infirmitate Christū ter negauit? Est pe- ^{Luc. 22.}
 rire visus: verūm ex toto nō corruit, quia domi-
 nus manū suā ne periret, supposuerat. Fraude,

vi, dolo, & astutia diaboli circūuētus fuit, ideo non periit, quia quisquā illū de manu Christi rapere non potuit. Quid simile de Paulo persecutore dicas. Tā abest quòd perierit ecclesiam persecutus, quòd alios à periculo liberarit. Et de pluribus martyribus legitur eos principio fuisse crucis Christi hostes, tandem ad eum cōuersi corpora sua pro nomine eius, vel ignibus vrenda, vel aquis demergenda, & multiplicibus tormentis vexanda exposuerunt, facti fortes in bello victores euaserunt. Cur nemo eos de manu sua rapuit, rātionem adfert Christus dicens: *Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est.* Videamus quid sit illud tam magnum à Patre filio datū, quod dici mereatur, omni re qualicūq; maius. Nimirū pater per æternā generationem filio totam substantiam suam communicauit: vndē ambo vnū sunt. Est filius patri cōæternus, & cōsubstāntialis, qui dicitur splendor lucis æternæ, speculū sine macula diuinę maiestatis. In quo quicquid optimū est, relucet. Ex eo cœlesti dono filius non est pater, qui eū genuit, aut tēpore posterior, aut virtute inferior, quia non est temporibus successiuis istud donū à patre assequutus, sed habuit, quando fuit ab eo æternaliter genitus: in quo omnia sunt simplicia. Igitur quid lógè diuersum de eo prædicatur quā de hominib⁹ vel angelis dicitur.

Quicquid

Heb. i.

Quicquid filius habet, non solum sunt ei propria, verumetiam ab illo inseparabilia, sed gratiarum dona ab hominibus vel angelis separari potuerunt. His autem separatis vel angeli vel homines esse non cessarunt. Quemadmodum si oculo lumen diei defecerit, quod in locis tenebrosis sit, oculus esse non desinit. Hæc & similia de filio Dei prædicare esset grande nefas, qui ita est verbum patris, quod emanando à patre ab eo non transierit, vel nascendo separari essentialiter non potuerit. Ita enim à patre sapientiã habuit, ut sit ipse coæterna patris sapientia. Ita est ab eo lumen assequutus, ut sit ipse lumen æternum & indeficiens. Hoc donum Dei patris est omni re quæ dici vel excogitari potest lógè maius. Iterum iuxta assumptæ carnis conditionem, pater filio multa omni laude dignissima contulit. Primum voluit quod filius omnium *Mar. 1.* charissimus vocaretur: in quo anima sua sibi cõ *Mat. 17* placuit, & ei tanquam legitimo hæredi potestatem omnis carnis dedit. Illum eam postulare prouocauit dicens: Postula à me, & dabo tibi *Psal. 2.* Gentes hæreditatem tuam, & in possessionem habebis omnes terminos terræ. Cui rursus omne iudicium dedit, ut omnes sicut patrẽ, ita *Ioan. 5.* filium honorificent: & nomen tantæ dignitatis illi donauit, ut inuocatione illius fleatur *Phil. 2.* omne genu cœlestium, terrestrium, & inferno-

rum, & confiteatur omnis lingua eum esse in gloria Dei patris. Ex istis in omnibus vnū deductis Christus dicere debuit: Quod dedit mihi pater, mai⁹ est omnibus. Et sicut nemo quēquam de manu patris rapere poterit, neque de manu mea rapiet. Audientes, amātissimi, scriptum esse Deum patrem, & vnicū consubstantialē filium eius manū habere, nihil de limo terræ creatum, in diuinis personis iuxta substantiæ proprietatem esse cogitemus. Quomodo Deus pater manum haberet, cū sit incorporeus? Rectius dicitur filius manum habere vel quod hominis naturam assumpsit, vel quod per metaphoram dictus sit brachium Dei patris. Manus autem est brachij portio non modica. Et rectē quidem illi assignatur. Sicut enim operarij homines, quicquid agūt, manibus suis vt plurimū perficiunt, ita pater per filium omnia composuit. Vt filius nobis insinuaret se Deo patri æqualem esse, illico subiungit. *Ego & pater vnum sumus.* Si ipse in aliquo esset patre minor, verbum nimis temerarium loquutus fuisset, sibi id tribuens quod non haberet, cū de eo dicat scriptura. Sermo tuus verax est, credamus firmissimē inter patrem & filium esse cōsensum voluntatis tam mirum, & consortiū supremæ potestatis tam absolutum vt sint ambo vnum consentientes, pariter potentes, & idem volentes.

volentes. Vndè quando Christus patrem pre- *Ioan. 12.*
 catus est, vt eum clarificaret claritate quam ha-
 buit priùs quàm mundus fieret, inter alia dicit:
 Vt credat mundus quòd sis in me & ego in te,
 & credentes in nobis vnum sint. Veruntamen
 hæc similitudo nõ est omnimoda, qualis enim
 vnitas est inter patrem & filium, talis in eos qui
 piè viuunt & patrè & filium haberi non potest.
 Est enim pater in filio, vel filius in patre ex cõ-
 muni substantia indiuisibili, & homines in il-
 listantùm manent vel manebunt communio-
 ne cœlestium bonorũ. Ipsi quantum poterunt,
 de virtute in virtutem proficient, nunquam ad
 id peruenient vt absolutè dicant: Nos & Deus
 vnum sumus. Hoc est diuinis personis ita pro-
 prium, vt non sit hominibus vel angelis cõmu-
 ne. Ex eo quòd Christus ait: Ego & pater vnum
 sumus, in vniuersum quotquot sunt infecti ve-
 neno hæresis aut Sabellij, aut Arrij cõfufos red-
 didit. Ille eandẽ esse personã Dei patris, & filij
 affirmabat, & Christus ait: Ego & pater vnũ su-
 mus. Pluralis autem loquutio minori numero
 quàm duorum verificari non potest: ideo cre-
 damus quòd pater, & filius duæ sunt personæ.
 Ex alio hæresim Arrij reprobauit, qui filiũ affir-
 mauit & patre minorem & esse alterius substã-
 tiæ, cum dixerit Christũ vnũ sumus. Ergo in-
 ter eos nihil diuersum est aut maius, aut minus.

1. Ioan. 5 Ex istis credamus in diuinis esse vnitatem sub-
 stantiæ, & personas differentes. Quod Ioannes
 qui testimonium dant in cœlo, & personas eor-
 um numeravit, Patrem, Filium, & Spiritū san-
 ctum. Ne nesciremus substātiā esse illis com-
 munem & eandem illico adiunxit: Et hi tres
 vnum sunt. Istud admirabile sacramentū Iudæi
 capere non potuerunt. *Sustulerunt ergo lapides, vt
 lapidarent eum. Respondit eis Iesus: Multa bona opera
 ostendi vobis ex patre meo, propter quod opus eorum
 me lapidatis?* Prospiciebat eos corda gestare, non
 dico lapidea, sed lapidibus duriora, & iam bra-
 chia mouere, vt lapides in illum iacerent. Ipse
 furorem illorum compescuit verbis placidis v-
 sus, insinuans eos sine valida ratione aduersus
 eum commotos fuisse. Quibus mirabilia quæ
 illis coram fecerat, commemoravit, scilicet eū
 infirmos curasse, ex panibus miraculosè multi-
 plicatis famelicos pauisse, in templo, & in sy-
 nagoga sanam euangelizasse doctrinam, sem-
 per voluisse omnibus prodesse, & nemini no-
 cumento esse. Tandem ab illis sciscitatus an hu-
 iusmodi functiones debeant tumultuaria lapi-
 datione compensari, cū lex iustitię ministros
 ad criminum vltionem instituerit, & lapidibus
 armarit, & munierit. Ac si illis planiūs diceret:
 Nunciate mihi si vel in verbis, vel in operibus
meis.

meis quid vidistis subitanea morte dignum. Quid sceleratis hominibus faceretis, cum ego vester beneficus lapidū impetu obruar? Ex istis voluit eos modis omnibus ad animi placabilitatem reducere. Verūm ad amentiaē cumulum responderunt ei: *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum.* Veritatem celare non potuerunt, sed eā ingenuè professi sunt: dicētes enim de bono opere non lapidamus te, profitētur eum bonum opus fecisse quem lapidatione dignum iudicaverunt, quòd blasphemiam commisisse crediderint. Et Moyses in lege hominem blasphemum *Leu. 24.* lapidibus obruere mandavit. Itaque dicunt ei: Nemo nostrum amplius ferre potuit, quod te Dei filium noua ratione hactenus inaudita facias. Verūm toto cœlo errabant, credentes eum blasphemiam commisisse, ex quo se Dei filium fecerat. Istud tam alienum est à blasphemia, ut sit vnus ex præcipuis nostræ fidei articulis, ad salutem omni credenti apprimè necessarius, scilicet credere Christum esse Dei filiū. Ut intentatum crimen à se depelleret. Christus sermones suos esse veraces sequenti ratione manifestauit. Tam abest q̄ eos tanquam indiscretè prolatos reuocari voluerit dicēs: *Nónne scriptum est in Psal. 81.* lege vestra, quia ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes: Illos scriptura deos vocauit, qui Deum

variis in officiis repræsentabāt. Et istud diuersis ex locis illius colligitur. Ait enim propheta:

Psal. 49. Deus deorū dominus loquutus est. Iterū. Deus

Psal. 81. stetit in synagoga deorum: in medio autē deos

Exod. 7. diiudicat. In Exodo habetur, quòd Deus Moysen constituit deum Pharaonis. Rursus de prophetis & iudicibus legitur: Diis non detrahes. Cùm ergo ministri vestræ legis vocentur dii, & illa non potest reprehendi: quē pater ab æterno sanctum genuit, à quo, per quem, & in quo omnia condidit, cuius animam ab omni culpa præseruauit, eamq; cœlestium donorū plenitudine locupletauit, & in mundum misit vos omnes sanctificare: Sū ille. Cur ergo mihi dicitis? *Blasphemias quia dixi: filius Dei ego sum.* Si ex lege qui filij Dei vocātur alicuius criminis accusari non possunt: cur mihi crimen blasphemie impingitis q̄ nomen habere cum illis commune voluerim. Hæc proferens Christus & adiiciens hæc verba: *Quem pater sanctificauit, & pro omnium salute in mundū misit, illos cognoscere voluit ex speciali ratione cum esse filium Dei. Quòd soleat fides longè maior adhiberi operibus q̄ simplicibus verbis, se ab operum paritate esse Dei filium manifestauit dicens: Si non facio opera patris mei nolite credere mihi. Si autem facio, & non vultis mihi credere, operibus credite quæ fiunt, vt cognoscatis quia ego in patre, & pater in me est.*

Nōne

Nónne causas ab effectibus suis cognoscimus? Exemplo sit, bona arbor à mala ex fructu quem producit discernitur, vel ingeniosus artifex ex suo opere dignoscitur. Modo pari Iudæos Christus ad opera quæ fecerat, & nemo talia facere posset, prudèter remisit, vt ex illis eū cognosceret esse modo speciali filiū Dei: quòdve pater in eo manens, ea opera fecisset, & vtérq; eorū esset alteri indiuidua societate iunctus & cohærens, vndè nihil eorū quod filius facit esse à paterno iussu dissonans. Tam clemens & benignus fuit Christus, q̄ ad iniurias eorum nullatenus attēdit, hoc vnum in optatis habens, vt modò verborum blāditiis, modò operum exhibitione eū esse naturalem filium Dei crederent. Verūm ex quo errorem suum corrigere debuerunt, ex eo deteriores euaserunt, & eum cōprehendere voverunt lapidibus obruendum. Pòst q̄ ipse tum argumentis à lege desumptis, tū operibus aperitissimis se filium Dei declarauit, exiens è medio eorum, est trans Iordanem profectus, vbi fuerat Ioannes baptizans.

*Homelia feria quinta post dominicam in
passione. Luca VII.*



Rogabat Iesum quidā Phariseus, vt manducaret cum illo. Benignissimus Iesus Iudæos arrogantes à cœlesti gloria

HHH ij

reiciendos, & cōuersos peccatores ad cōsortia sanctorū admittendos prēdixerat, & re ipsa declarauit, quoniā dico quasi ex diametro oppositi corā eo astiterunt. Hic Pharisæus apparēter iustus, hæc mulier indubiè peccatrix. Ille fastu & dolo plenus se dignissimū iudicabat suscipere benignissimum Iesum in suo domicilio, quē inuitauit: sed ex arrogantia animi non solū cōmunia hospitalitatis officia illi exhibuit, sed opera eius esse impia ex animo arrogāti iudicauit. Contrā mulier peccatrix ex suorū recordatione peccatorum astitit coram eo pudibunda, nimio metu & timore plena. Quæ domū Pharisæi ingressa est quasi humi repēs, & sese quoquo vertens, lachrymas vbertim tam diu ab oculis effluere permittens, donec peccatorū indulgētiā à Christo consequuta est. Qui domū Pharisæi ingressus, cum aliis ad mensam decubuit. Benignitatem illius cunctis expositam satis colaudare nō possumus, qui cum illis familiariter manducare non recusauit, quos esse suos hostes etiam acerrimos non dubitabat. Ipse in mundū venerat omnibus omnia fieri, ideo illis se comunē reddidit, & cū peccatoribus māducauit, vt eos in viam salutis reduceret: cum Pharisæis vt arrogantiam illorum retunderet: cum familiaribus amicis, vt inter eos amorē nutrirer, & cōseruaret: cum pauperibus sibi sanguine iunctis, vt

ctis, vt sua opulencia inopiã illorum subleuaret: ideo in Chana Galilææ nuptiis interfuit, & a- *Ioan. 2.* quam in vinum conuertit. Mihi dices: consultius egisset, si cõsortia hominum impiorum fugiens deserta frequentasset, & instar Ioannis solitariè vixisset, quoniam non fuisset dictus epulo, heluo, potator, & famam sui nominis auro & margaritis præciosiorem similibus conuitiis maculatam esse non audiuisset: saltem eos frequentare non debuit, quos esse ingenio tam peruerso nouit, vt quæque dubia in deteriolem partem interpretarentur. Verùm decebat eum inter omnes conuersari, qui vt omnes lucrifaceret, in mundum venerat. Quare cõsortio vel pauperum, vel inimicorum interfuit, etiam iniurias passus, nos informãs parum curare quid de nobis seculi homines pronunciant, modò animas fidelium Christo lucrifaciamus. Fortassis nos vocabunt homines eremitas, melancholicos, hypocritas, & criminis hæreseos falsò accusabunt, aut adiurati monachatus, seu grauis alterius criminis, propterea à bonis operibus cessare non debemus animi modestiam seruantes: sed in omnibus Deo gratias agere debemus, exemplo benignissimi Iesu, qui inter voces inimicorum regia & communi via semper incessit, tametsi dictus fuit heluo, epulo, vini potator, neque ad eremum confugit, sed inter ho-

mines diuersi generis, ciuilem ducere vitã de-
 creuit, regnum Dei euangelizans, vt ora inimi-
 eorum iniqua loquentium silere faceret. Cur
 ipse nisi rogatus domum huius pharisæi præ-
 diuitis adire noluit, qui antea non rogatus do-
 micilium viri simplicis nomine Zachæi spon-
 tanèe adiit? Nimirum peccatorem humiliatũ
 magis sibi esse cordi, quàm superbum diuitem
 declarauit. Cũ esset in domo huius pharisæi.
*Ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit
 quòd Iesus acubuit in domo pharisæi, attulit alabastrũ
 vnguenti.* Iuxta huius pharisæi mentem à iuue-
 nibus non secus quàm morio publicè exhibi-
 landa erat, & à proborum ciuium cõsortio ex-
 pellenda. Verũ fuit iudicium benignissimi
 Iesu longè diuersum, qui eam benignè suscepit,
 & illi indulgentiam peccatorum contulit. A
 quo tempore veniam consequuta est, nulla ad
 Euangelij negocium magis idonea fuit, neque
 imitatione dignior, & in qua abundauit pecca-
 tum, superabundauit gratia. Amantissimi, quif
 quis nostrum cœlestibus bonis ditari, & pecca-
 torum indulgentiam consequi cupit, eam imi-
 tetur, quæ concionibus Christi interfuerat, ex
 quibus suorum maculas criminum planè agno-
 uit, & notas mundare curauit. Christus prædi-
 cans quosdam sui luminis radios illi cõmuni-
 cavit, vt agnosceret se turpiter vixisse. Quãm-
 primum

primum gratia illius interiora cordis penetra-
 uit, illico se totam erubuit, puduit, pœnituit, & .81. 353
 secum ratiocinari cœpit dicens. Hei mihi mul-
 tiplicatæ sunt iniquitates meæ super arenas ma-
 ris. Quid faciam misera multitudine earum cõ-
 fusa? An quasi desperata in ligno me suspēdam?
 Nihil minus: quoniã hoc non esset à me pecca-
 ta depellere, sed multò magis ea augere, & me
 periculo æternæ damnationis exponere. Verũ
 si viuere pergam subide vt prius vixi, & in pec-
 catis perseuerauero, ad inferni nouissima deue-
 niam. An ad vltimum vitæ spiritum de illis pœ-
 nitere differam? Nihil minus: quia mihi incer-
 tum est quo die dominus me ad thronum suæ
 maiestatis vocabit. Si pœnitere in longum tem-
 pus distulero, fortassis gratiam reconciliationis
 mihi denegabit, sicut Antiocho denegata fuis- 2. Mac.
 se videtur. Et Saul qui orabat dominum, & nõ 9.
 erat misericordiam consequuturus. Nec etiam 1 Reg. 28
 Esau, qui vt ait apostolus, non inuenit pœnitē- Gen. 25
 tiæ locum, quàmquàm cum lachrymis quæsi- Heb. 12
 uisset. Sicut (inquam) neminem verè pœniten-
 tem à sua repellit misericordia, etiam timendũ
 est, ne homo antea moriatur quàm pœniteat,
 & inter illos numeretur de quibus propheta
 ait: Clamabunt & non exaudiam eos. Hoc er-
 go vnum mihi restat, in presentia ad illum con-
 fugere, qui ait: Nolo mortem peccatoris, sed

quoddam conuertatur & uiuat. Et per os sui prophetae inquit: *Qua hora ingemuerit peccator, suorum criminum oblitus ero. Et si de illis poenitentiam egerit, & ego poenitentiam agam super malo quod illi facere cogitauit. Itaque ad Christum accedens alabastrum unguenti attulit, & stans retrò secus pedes eius, lachrymis cepit illos rigare, & capillus sui capitis tergere, quos osculabatur, & unguento ungebat. Quoniam caelestis gratiae infusio mentem illius ad iustam conuersationem illustrans, eam poenitere procurabat: cui liberum animi arbitrium prudenter accommodauit, Vnde verum animarum medicum (dico Christum) sollicitè perquisiuit: quem ubi primùm sibi nunciatum fuit discumbere in domo pharisaei, ex pia impudentia, conuiuantibus importuna, sed sibi opportuna, & valde profutura domum illius ingressa est animo reuoluens quam periculoso laborabat morbo. Cōscientia illius peccatis laesa, eam stimulabat, quibus purgandis, dempto benignissimo Iesu neminem idoneum inuenire potuisset. Itaque ad eum venit fruendum, qui erat salutaris medicus, & verè unguentarius sua omnibus distribuens unguenta, atque pro criminum qualitate varia impartiens, istis seuera, illis dulcia, sed omnibus, & singulis salutaria. Est enim ille medicus omnium peritissimus, de quo legitur: Non est opus me-*

dico

dico valentibus, sed malè habentibus, qui in valle Hierico hominem semimortuum inuenit, & vt illum curaret, in vulnera oleum infudit. Et iterum dicitur fons viuus, aqua purificās iuxta illud psalmistæ: Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum. Vt ergo mulier cognouit suæ turpitudinis maculas ad eum accessit, & medicum, & fontem viuum à morbis peccatorum lauanda atque curanda: à quo recessit verè lauta, idest animæ salutem cōsequuta. Nisi ad illum properans seipsam grauitè erubisset, inter conuiuas sibi notos, & familiares non astitisset. Considerandum vobis relinquitur, (amantissimi) quo peccata sua odio habuit, quibus abolendis Lachrymas afferre, & inter exquisitas ac dulces epulas effundere non erubuit. Quid alabastrum quod secum attulit, adumbrat, præter vas prioris vitæ delicias continens inclusas? vel (vt rectius loquar) viua suæ vanitatis monumenta, quod in peccatorum horrorem, omnibus coram fregit. Mors animæ per corporis oculos, vt plurimum intrat. Timens istud sibi accidere psalmista dicebat. Auerte oculos meos domine, ne videant vanitatem. Ipsa ex illis dona gratiarum perdiderat vanitates mundi prospiciens. Vt salubri rore lachrymarum illos mundaret, ex affluentibus vbertim lachrymis pedes benignissimi Iesu la-

*Mat. 9.**Mat. 2.**Luc. 5.**Luc. 10.**Psal. 41.**Psal. 118*

uare proposuit, & retrò stetit suorum probè cō-
 scia peccatorum. Veruntamen ob veniæ confi-
 dentiam, secus eos ad humilitatis officium, vt
 Christo placeret, se totam componens, eosque
 tam diu rigare suis lachrymis non cessauit, do-
 nec omni ex parte lautos reddiderit: quos capil-
 lis sui capitis extersit. Consueuerat capitis capil-
 los ad corporis ornatū tingere, ornare, & auro
 intexere. Sicut fuerant illi voluptatis instrumē-
 ta, Christo obsequia reddidit etiam gratissima.
 An fuit contenta huiusmodi pluribus cēremo-
 niis se animum habere pœnitentem testifican-
 tibus? Nihil minus. Verum est vltèrius progres-
 sa, atq; illos deuotè amplexa, & vicibus etiam
 repetitis, ore quo lasciua priùs verba pronun-
 ciauerat, osculata est, & ante illos tandiu asti-
 tit multum desolata, defixisque in terram ocu-
 lis, & crinibus hinc inde effusis plorans ac eiu-
 lans, & omni re qua potuit, tristem animum
 exhibens, veniam precata, & de suis omnibus
 membris tot Deo holocausta offerens, quot car-
 nis delectamēta in peccatis habuerat, vt ex nu-
 mero cēremoniā animi verè pœnitentis pec-
 catorum cumulum vinceret, totumq; Deo ser-
 uire faceret quòd priùs vitiis inseruierat, vnde
 veniam peccatorum consequuta est. Nēpe per
 sancti Spiritus gratiam internè operātem sensit
 se cum peccatis inquietam esse. Ideo ad Christū
 accessit,

accessit, cui ex clamoso cordis silentio ait. Domine ut audiui vocem inspirationis tuæ valde timui, opera mea consideravi, & confusio maxima me totam operuit. Nimirum agnouit te voluisse mandata tua custodiri nimis. Hei mihi quod legem tuam seruare oblita fuerim? Ut mihi miseraris exitus aquarum deducunt oculi mei. Hæc ex mente confusa verè poenitentibus non tam opportuna quam necessaria Christo referens, veniam obtinuit. Ideo tantum poenituit, atque erubuit quod se mortis æternæ ream iudicaret. Ut à vinculo illius liberaretur, in conclave hominum unam decumbentium irrumpere, & secus pedes Christi stare ausa fuit, vel (ut ita loquar) ex sancta meditatione ad profundum inferni descendit, animo reuoluens scriptum esse, Maledicta erit perpetuò anima quæ in lege domini non permanebit. Et rursus: Qui malè fecerunt, ibunt in ignem æternum, diabolo & angelis eius preparatum. Maluit viuens quam moriens ad infernum descendere, ut ab ardore ignis æterni liberaretur. Stans coram illo internè dicebat valde cõturbata: Ve mihi quod incolatus meus tam diu in peccatis fuit. Cur cum habitantibus Cedar diu incola fui, & inter inimicos meos inueteraui. Mihi dices: Peccatorum agnitio potens est facere nos ad profundum inferni descendere: cum loca poenarum fugere debeamus.

*Abac 3.**Mat. 25**Psal. 119*

mus, ex consequenti peccatorum agnitio fugienda esset. Rectius dixisses: Si salutem nostram consultum iri velimus, peccatorum agnitionem ob oculos ponere debemus, quoniam agnitione eorum displicentia enascitur, sine qua non remittuntur. Quid importat ad infernum cogitatione descendere? nisi eorum reminisci quibus poenas inferni meruimus, ut à peccatis resurgentes cœlos ascendere valeamus. Forasan iterum dices: Quoties illorum recordor, tanto horrore concutior, ut sim penè exanimatus.

Rom. 3. Quid inde testatur Paulus? Ex lege est cognitio peccati. Hoc est specus per cuius decliuitatem ad infernum descendere debes. Igitur meditare quid lex tibi facere præcepit, & quid fecisti: & hoc erit ad infernum descendere: ne per descensum illius perire valeas, eum inuoca auxiliatorem de quo legitur: Qui deducit ad infernum, & reducit, faciet ipse ut peccata ab oculis tuis tanquam nebulæ euanescent. In lege sua tanquam in speculo omnium limpidissimo, & peccatorum agnitionem, & modum Diuinam placandæ iram inuenies. Postquam in profundum inferni (ut dictum est) descenderis, & aliquandiu steteris, gradum reuoca, ne cum Cain aut Iuda Iscariote de misericordia Dei diffusus pereas dicens: Maior est iniquitas mea quam ut veniam merear. Idcirco bene habuit mulier peccatrix quòd

quòd ad infernum ex peccatorum agnitione
 descenderit: & ad Christum accessit quo à pec-
 catis liberaretur. Stetit iuxta pedes illius, illos
 lachrymis rigans, capillis extergens, vnguento
 perungens, iteratis quoque vicibus exosculans.
 Per hæc veræ pietatis opera, quorum oppositis
 ad infernum descēderat, ad cœlos ascendit: cu-
 ius vita nobis proponitur, vt illam imitemur.
 Et quemadmodum ad pedes Christi vnguentū
 suauè olens, prioris vitæ delitias adumbrans ef-
 fudit, similiter ex mammona iniquitatis infe-
 riora mystici corporis membra, per pedes adū-
 brata, inūgamus, vel bonis nostris adiuuemus.
 Et hoc non secus Christo gratum erit, quàm si
 pedes illius obuuis manibus exciperemus, seu
 ambobus brachiis amplecteremur. His omni-
 bus cæremoniis abūdè religiosis interfuit Pha-
 rissæus, operum mulierculæ peccatricis explora-
 tor curiosus, qui benignissimum Iesum ad cœ-
 nam inuitauerat. Et ait intra se. *Si hic esset pro-
 pheta, sciret utique que & qualis est mulier. qua tãgit
 eum quia peccatrix est.* O deplorandam abundā-
 tibus etiam lachrymis peruersæ mentis mali-
 tiam! Si verè pius fuisset, mulierem verè pœni-
 tentem ad gēua benignissimi Iesu prouolutā
 prospiciens, peccatorum veniam quærere, &
 Iesum eam benignè susipientem, multum ga-
 uisus fuisset. Tam abest quòd ex peccatrice an-

te pedes Iesu prouoluta, modis omnibus prioris vitæ turpitudinem testificante, & peccatorum condonationem instanter postulante, exhilaratus fuerit, & benignissimi Iesu mansuetudinē collaudarit, quòd ad vtriusque iniuriam quæ sequuntur verba fassus fuerit, quibus peccatricem poenitentem spreuit, & Christum esse prophetam denegauit se iustificans, & inter illos numerari cupiens, qui ex animi arrogantiâ proximo dicunt: Elongare à me, noli me tangere, mundus sum, tu verò immundus. Quid malignius agere potuisset, quàm peccatrici animæ salutem inuidere, & Christum ex eo spernere, quòd illi peccata condonarit? Non verè sed apparenter iustus erat: verba eius planè probant si mulier peccatorum veniam precata ante pedes eius sese submisisset, quòd eius calcibus percussa fuisset, & repulsam passa abire coacta. Ipse alieno coinquinari peccato timuit, qui ex suis totus madebat. Sūt imitatores illius quàm plurimi: ex quo enim nescio quid tenuiter iustum fecerunt, alios peccatores toruo despiciunt oculo. Si verè iusti essent, eos benignè supporterent, & in illis miseras generis humani deflerent iuxta illud apostoli: Fratres si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis instruite in spiritu lenitatis, *Considerans te ipsum ne & tu tenteris.* Et memores sint se aliquando

Esa. 65.

Galat. 6

aliquando in similibus fortassis grauioribus prolapsos fuisse. Sicut vitii iustitia debetur, etiam fragili naturæ compassio donetur. Igitur peccator pro criminis mensura flagello percutiatur, vt à vitii resurgens ampliùs non cadat, qui pro carnis conditione supportetur, & benignè exhortetur, vt de virtute in virtutem proficiat. Ideo Christus peccatricè multùm benignè excepit, & ait illi: *Remittuntur tibi peccata tua.* Ex præcedentibus aliquot regulas nobis salutare colligamus, easque mentibus nostris graphice imprimamus, vt cum ea in cœleste regnum irrumpamus, quod vim patitur, & violenti illud *Mat. ix.* rapiunt. In primis impiam huius Pharisæi mentem execremur, qui Christum esse prophetam non credidit, & peccatricem verè pœnitentem spreuit. Penes semetipsum iustitarius erat, in cōspectu Dei inuentus est peccator maximus: cuius mores sequuntur, qui proximos eo prætextu dedignantur quòd in aliquot peccata prolapsi fuerint quorum eos nunc pœnitet. Si veram colerent pietatem, in illos misericordes essent, & Pharisæo dissimiles: cuius mentè verè impiam Christus detegens se prophetā esse certissimo declarauit argumento, quia quod Dei propriū est, scilicet nosse cogitationes hominum, sibi competere declarauit dicens illi: *Simon habeo tibi aliquid dicere. Et ille ait. Magister dic.*

Duo debitores erant cuidam feneratori, vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtrique. Quis ergo eum plus diligit? In primis clementiam benignissimi Iesu verè modestam collaudamus, qua Phariseū parabolicè alloquutus est, nolēs presentibus manifestare cogitationem illius nimis peruersam. Denique impiam eadem in illis qui maleficia hominum arguere debent desyderatur. Phariseus Christum inuitauerat adire domum suam, vt cum eo panem suum māduicaret, & cum Christus verbo salutaris doctrinæ pauit (vt abundantius loquar) totum vorauit, & in suum ventrem traiecit salutaribus verbis. Quid simile circa mulierem aquam haurire venientem egit, cui dixit: Sitio, quòd salutē illius desyderaret, verba præsentis parabolæ eò tendunt, vt Christus Phariseum à morbo arrogantia liberet. Per duos debitores, Simonem Phariseum intellige, & mulierem peccatricē: vtēque erat penes Deum ære alieno graui obstrictus. Quòd Phariseus iuxta mundi opinionem satis honestè vixerat, se nihil aut parum Domino debere credebat, sed maxima cōtraxisse debita intus latentia, & hominibus ignota conuictus fuit, quòdve de benignissimo Iesu, & rea muliere nequiter iudicauerat. Ipsa vero se non dubitabat Deo & hominibus quos ad malum solici-

sollicitauerat multùm debere: vtrîq; Deus multa naturæ gratiæ fortunæ dona elargitus fuerat seu mutuauerat, sperans eos illa in gloriam sui nominis, & ædificationem proximorum impendere, & quicquid superesset lucri aut fœnoris deducta sorte principali in suum vertere cõmodum, sicut conuertunt agnoscentes eum omnium bonorum largitorem esse, à quo quicquid boni habent, profectum iudicant & illi gratiarum actiones rependūt. Quòd ipsi in luxus varios Dei dona expenderint, varia contraxerant debita vni plurima, alij minima. Quoties, amantissimi, nos gratiarum dona, quasi pecuniam domini in alios vsus quàm instituit prodegimus, malæ administrationis culpã incurrimus, & illum grauiter offendimus, qui illa vnicuïque nostrum communicauit. Et vni dedit *Mat. 25* quinque talenta, alij duo vel vnum: & tantò plus ei debemus quantò minus lucri vel fœnoris in thesauros illius reportauerimus: ab huiusmodi debitis liberari non possumus, nisi illo indulgente, qui dato sui sanguinis precio, nos suos fecit, & cupit quòd peccatis mortui iustè viuamus. Quotquot rursus sese vitiis dedūt, noua in illum debita cõtrahunt. Et quædam sunt reipsa vel ex circumstantiis grauiora seu leuiora aliis, quibus abolendis liberalitate pij creditoris indigemus: qui nobis cõsuluit in proximos

misericordes esse, ut nostri misereatur. Et ait:
Luc. 6. Debita dimittite debitoribus, & vestra vobis di-
Mat. 6. mittentur. Nemo nostrum se seducat inani-
 bus verbis, dicens se innocenter vixisse, & hu-
 ius creditoris liberalitate egenum non esse, in-
 star huius Pharisei penes se falso iustitiarum
Psal. 13. Christum tum peccatricem dedignantis. Te-
Rom. 3. statur psalmista quod omnes declinauerunt vs-
 que ad vnum. Solus enim Christus est qui ex
 natura peccatum non fecit, & peccati poenam
 soluit: mater quod non fecerit, ex gratia est.
 Peccati iniquitas egregie per quinquagenarium
 numerum adumbrata fuit, quod ex quinque
 sensibus corporis quam ex aliis omnibus mem-
 bris maiora contrahamus debita. Quod utriusque
 illa donauerit suae benignitatis fuit. Ideo enim
1. Tim. 1 illa donauit, quod omnes saluos fieri cupit. Ea
 donare necesse est, quod vires ex quibus satisfacere
 valeamus nobis deficiant. Igitur quisquis
 liber est a peccatis, non sibi sed Christo tribuat,
 qui peccata nostra sua fecit, & ea nobis remi-
 sit. Homo vanus esset, si non secus gloriaretur,
 quam si ab eo penderet peccatorum liberatio.
 Prodest quod illorum poeniteat, sed a Dei gra-
 tia illum praeuente, & cor illius tangente
 seu cooperante illud procedit: sine qua cor ho-
 minis in bonum non moueretur, neque de ma-
 lo contristaretur. Ergo illi acceptum ferat, quic-
 quid.

quid pro liberatione peccati consequutus est, & cum Paulo dicat: Non ex operibus iustitiæ quæ feci, sed ex multitudine miserationum suarum saluum me fecit. Interrogatus à domino pharisæus quis ex duobus illis debitoribus creditorem maximè liberalem vehementius diligere deberet, nescius quòd Christus ænigma præsentis parabolæ in eum vertere vellet, aptissimè respondit dicens: *Existimo quia plus diligit, cui plus donauit. Ideo Christus dixit illi: Rectè iudicasti.* Ex domini responso subinferamus Christianum hominem magis obligatū esse Christum diligere præ illo qui per sacrum baptisma in consortia sanctorum susceptus non fuit. Quando enim crescunt dona, ratione eorum gratiarū actiones crescere debent. Et nos tantò plus deo debemus quantò maiora gratiarum dona nobis impertiuit. Tādē benignissimus Iesus sensum parabolæ explicuit, & Pharisæum ex animi sententia non secus comprehensum esse manifestauit, quàm phrenetic⁹ homo ex funibus vel catenis quas portat aliquoties comprehenditur atque ligatur. *Et conuersus ad mulierem dixit Simoni. Vides hanc mulierem? Intraui domū tuam, aquam pedibus meis non dediisti: Hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit.* Comparationem operum pharisæi apparenter iusti, & mulierculæ peccatricis audientes, con-

fyderemus quomodo Christus illum negligentiæ arguit. Vt eum confunderet, quæ ab antiquis patribus suis obseruata fuerant, & ab illo omiffa in medium attulit. Consueuerant sanè tum antiqui patres, tum hospitalarij pedes hominum domos suas ingredientium lauare ad

Gene. 18 imitationem antiqui patris Abrahamæ, qui angelis hospitio susceptis ait: Afferam pauxillum aquæ, vt lauentur pedes vestri, iuxta illud apo-

Heb. 13. stoli: Hospitalitatem nolite obliuisci, per hanc enim placuerunt quidam, angelis hospitio receptis. Vndè Christus Pharisæo ait: Mihi domum tuam intranti aquam pedibus lauandis dare noluisti. Quod tibi factu facile fuisset, non fecisti: mulier verò domum tuam accedens, & veræ pœnitentis imaginem præ se ferens indubia sui in me amoris argumenta demonstrauit, quoniam pedes meos non vulgari aqua fontali aut preciosiori, scilicet rosacea, lauit: sed lachrymis ab oculis suis vbertim fluitibus, & lautos suis tersit capillis, omnibus modis testificans se plus me diligere, quàm tu diligis. Quod enim facile erat, non fecisti, & illa quod multum difficile peregit. Neque operam perdidit, quoniam ad illos accessit immunda, & recessit munda, accessit ægra, & recessit salutem consequuta, accessit peccatorum fœtore confusa, & recessit de indulgētia illorum secura. Vidēsne

désne quòd opus illius tuam civilem iustitiam longè præcedit? Quemadmodum imbres maximo impetu profluentes grata aëris serenitas subsequitur, similiter post vberes lachrymas, ipsa suæ mentis tranquillitatem obtinuit. Exteriora mei corporis membra lauit, & interiora animæ illius vulnera curavi, meos extergens pedes, sacros in salutis refrigerium attraxit sudores. Rursus: *Osculum mihi non dedisti, hæc autem ex quo intravit, nõ cessavit osculari pedes meos.* Iudæis consuetudinarium erat, quod adhuc variis in locis obseruatur, dominos ante fores domuum suarum astare, hospites expectare, & eos dignè suscipere, & oscula offerre in signum mutue dilectionis, quod Paulus approbat dicēs: *Oscu-* 1. Cor. 16.
lamini vos inuicem in osculo sancto. *Pharisæus* 2. Cor. 13.
Christo domum suam intranti osculum non dederat: mulier autem ex quo domum illius est ingressa, pedes Christi lautos osculari non cessauerat. Iterum Christus pharisæo ait: *Oleo caput meum non vnxiisti.* Consueuerant Iudæi prandiū aut cœnam facturi refrigerij gratia, aut hilaritatis causa oleo suauè olenti sua vngere capita, quod humanitatis obsequium pharisæus Christo non exhibuit. Mulier autem ex animo verè humiliato id ipsum in abiectissimam totius corporis partem gratiosè peregit. Itaque Christus pharisæo ait. *Perpède velim satis accuratè, quid*

illa fecit, quidve tu facere omiseris. Ne tē lateat ex suæ humanitatis officiis quod me feruentius dilexerit: in qua habitauit delictum, & gratiæ donum superabundabit eam ab omnibus peccatis purgans ac mundans. & erit tanquam ignis rubigines metallorum comburens. *Propter quod dico tibi: remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Quàm illi iucundū fuit hanc domini vocē audire, sed eā multis (vt ita loquar) lachrymarū imbrib⁹, sanctissimis quoq; operibus ipsa emit. Quàmprimū enim in aures

Mat. II. suas vox Christi prædicantis insonuit: Venite ad me qui peccatis onerati estis, & ego reficiā vos, diuinæ vocationi liberi arbitrij conatum accommodauit vt ad illum veniret, & à peccatorum morbo liberaretur: quem sollicitè quæsiuit. Vbi primū audiuit eum in domo Simonis pharisæi decumbere, illum adiit, satis quidem impudēter sed fœliciter. Quantum à peccatis liberari desyderaret, suis lachrymis, & osculis veræ humilitatis officiis abundè manifestauit, & audire meruit *Remittuntur tibi peccata tua.* Amantissimi, illam imitemur, vult enim Deus nos non solū de peccatis quæ commisimus indolere, sed & coram eo humiliari, verumetiam per externa opera satisfacere. Quod dictum est illam multū dilexisse Christum, & subsequitur: Cui minus dimittitur, minus diligit.

ligit. Qui omnia in libertatem carnis stultè rapiunt causantur: Expedit nos multa committere vt maximi debitores Dei constituamur, & habeat ipse vnde nobis multum dimittat, & nos vndè illum perfectiùs diligamus. *Is enim cui minus dimittit, minus eum diligit.* Nam ex eo mulier plus pharisæo illum dilexit quòd ei plus dimisit, ex consequenti grauiter peccemus, vt habeat vndè nobis multum dimittat. Huius quæstionis solutio nos vtcùnq; angustiaret, nisi apostolus hæc referens paulò pòst declarasset se propter linguas maledicentium hæc dixisse, & illico adiunxisset: Absit nos facere mala, vt eueniant bona. Sicut Christus præsens ænigma *Rom. 3.* pharisæo, & peccatrici accommodauit, etiã tantum ad historiam illorum illud referamus. Si verò Paulus hoc dixisset legem statuens, proculdubio aliud fuisset: quòd vterq; scilicet pharisæus, & mulier Christum dilexerit, in aperto est. Primùm nisi pharisæus illum dilexisset eum ad cœnam non inuitasset. Quòd frigidè dilexerit, eo perpenditur, quòd venientem in limine domus suæ dignanter non exceperit ei osculū præbens, & in domo alia humanitatis officia conferens. Quæ omnia ex intimis visceribus mulier peccatrix abundè absoluit. Pro modo operum dominus vtrique aliquid contulit, sed multò plus, vt decens erat, mulieri quàm pha-

risæo, qui eum multò feruētius diligere debuit,
 quàm mulier peccatrix dilexit: quia eum ne in
 turpes reatus caderet, præseruauit, quem inter-
 nè monuit, & forsan de finali iudicio terruit,
 ne quid in legem Dei committeret. Cui donū
 gratiæ acceptum ferre debuit quòd talia non
 egerit, qualia peccatrix mulier cōmiserat. Vn-
 de psalmographus: Nisi Dominus Deus adiu-
 uisset me paulò minus habitasset anima mea in
 inferno. Est ne aliquod crimen ab illa commis-
 sum, cuius simile pharisæus committere non
 potuisset? si à gratia Dei desertus fuisset, certè
 penitus nullum. Quòd ergo quasi inculpate vi-
 xerit, domino tribuendum erat, & illi plus de-
 bebat, quàm mulier peccatrix. Quoniam sta-
 tus hominis iuxta legem Dei viuentis est lon-
 gè melior statu alterius à peccato resurgentis,
 contrahiturque obligatio maior penes illum
 qui à lapsu peccati aliquem præseruauit, quàm
 si collapsum resurgere faceret. Igitur pharisæus
 multò feruentius Christum quàm mulier dili-
 gere debuit. Quod minus dilexerit, minus ei
 Christus contulit. Qui præsentibus erant, Chri-
 stum dicere audientes *Remittuntur tibi peccata.*
Cæperunt dicere intra se: Quis est hic qui peccata di-
mittit? Et murmurarūt. Mihi vide quàm peruer-
 sè fuere concepta iudicia eorum super iustifi-
 catione peccatricis. De salute illius gaudere de-
 buerunt,

buerunt, & non solùm contristantur, sed scandalizantur, & ex eo ægritudinem animæ contrahunt, & (vt ita loquar) de bono odore misericordiarũ domini penè moriebantur, ex quibus viuere debuissent. Christus illis respondere potuisset quod de eo Esaias scripsit: Ego sum *Esa. 43.* qui propter me deleo iniquitates tuas. Mihi licet facere quod volo. Sed prudentis medici actus & mores exprimere maluit infirmos visitantis, si eos de suo salutari medicamento abundantius infirmari prospexerit, illud iterum non confert. Similiter quòd Christus Iudæos præsentibus suis sermonibus scandalizari viderit, nihil est eis vltra loquutus, sed se ad mulierem cõuertit dicens ei: Fides tua te saluam fecit, vade in pace. Mihi dices: Cùm tota animæ peccatrice salus à Deo pendeat, cur partem illius fidei mulieris tribuit? Nempe Iudæos ad fidem inuitauit, quæ necessaria est ad salutem animæ, & in peccatrice fuit per dilectionem operans. Vnde Christi pedes suis rigauit Lachrymis, eos manibus blandè attrectauit, capillis extersit, aromatico & suaue olenti vnguento perunxit. Hæc memoriæ mandent qui omnia fidei tribuunt, nihilque operibus tribuendum esse credunt. Vtraque enim ad salutem necessaria sunt ex sententia Iacobi dicentis: Fides sine operibus mortua est. Quid sonat Christum mulieri dixisse,

Vade in pace, nisi in reliquo totius vitæ præsen-
tis per mandata Dei perge, illum rogans, vt ea
tibi elargiatur quæ ad portum salutis te ducent.

*Homelia feria sexta post dominicam in
passione. Ioan. 11.*



Collegerunt pontifices & pharisæi concilium
aduersus Iesum. Huius impiæ synodi
congregationem post suscitationem
Lazari factam fuisse nouimus. Nimi-
rum complures Iudæi Hierosolymitæ in Betha-
niam venerant, Martham, & Mariam fratris
mortem flentes, consolari. Ad pharisæos reuer-
si, Diuinum opus quod Christus patrarat nun-
ciarunt, pio fortassis, animo, vt inimici eum
persequi cessarent quem Deus tam prodigioso,
& insigni miraculo signauerat. Verùm scribæ,
pontifices, & pharisæi inde fuerunt maioribus
inuidiæ stimulis acti, & in Christum implaca-
bili odio ardentes, sibi non temperarunt, quin
mortem illius procurarent. Ideo synodum verè
iniquam aduersus eum conuocarunt. Verùm
nunquid eos ad regimen populi instituerat, vt
aliis totius honoris & reuerentiæ exemplo es-
sent. Tam abest quòd eum, vt decebat, reueriti
fuerint, quòd beneficiorum eius immemores
aduersus Deum patrem, & aduersus Christum
eius

Psal. 2.

eius concilium congregarint. Qui fuerunt præcipui huius impiæ synodi authores eos Euangelista notauit, & expressit dicens: Pontifices & pharisæi. Pars eorum ex tribu Leui, & alia ex tribu Simeon genus duxerant. Placet enim beato Thomæ pharisæos ex tribu Simeon assumptos fuisse. In istis impleta fuit sanctissimi Patriarchæ Iacob propheta. Cum enim esset morti proximus, & Spiritu sancto plenus, multa ex his quæ futura erant, prophetauit, & inter alia dixit: Simeon & Leui vasa iniquitatis aduersus dominum bellantia. In concilium eorum non intret anima mea, & in conuentu eorum non desoletur gloria mea: quia in furore suo interfecerunt virum. Hæc Christum mysticè respiciunt, aduersus quem concilium congregarunt, vt morte turpissima morti condemnaretur, qui ad hoc homo factus in mūdum venerat, vt nos omnes à morte liberaret, & imperium mortis destrueret. In ea synodo iniquè congregata dixerunt: *Hic homo multa signa facit, si dimittimus eū sic, omnes credent in eum.* Quid tam diu pigritamur rebus nostris providere, potissimū in negotio præsentis maximè necessario, videntes quòd hic homo multa signa facit: quem ex animi indignatione nominare noluerunt dicentes: In edendis miraculis seipsum quotidie vincit. Nisi vincula eius dirūpamus, & à nobis suæ

Gen. 49

Psal. 2.

dominationis iugum proiiciamus omnes nostri generis *credent in eum*. O stupēda hominum malitia, omni admiratione maior, & nulla excusatione digna! Accedentes ad eum signum videre postulauerant, vt crederent ei: fatentur nunc ipsum multiplicia fecisse. Tam abest vt in illum credant quòd interficere velint. Et simpliciter hominem vocant de quo argumenta Diuinitatis indubia habuerunt. Ex maxima animi inuidia nulli non credenda dicebant: *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum & gloria sui nominis tanta erit, vt nihil maius.* Hoc vnum est quod animos nostros multum torquet. Ex ea radice liuoris omnium pessima corrupti, nomen illius ex memoria hominum delere cupiebant, quæ non modo commune vulgus occupat, sed plurimos ecclesiæ ministros affligit, & vbique locorum grassatur, atq; omnia cōfundit, orphanos & viduas suis nudat bonis, vim proximo infert, homines ex liberis seruos reddit. Ea pharisæos & pontifices dicere prouocauit, quid facimus? quasi nescirent quid faciendum erat in salutem animæ. Verum nōne ab eo edocti fuerant dicente? Hoc opus est scilicet vobis salutare, vt in eum quem misit Deus pater filium suum credatis. Nō modò illi non credebant, sed alios in eum credere modis omnibus impediēbāt, inuicem dicentes: Si qua
 via

Ioan. 2.

Ioan. 2.

Ioan. 6.

via inambulare cœpit, eadem pergat, omnes illum pro vero Messia suscipient, venerabuntur, & collent. Venient Romani, & tollent locum nostrum & gentem. Ista falso prætexebant, scilicet Romanos propter Christi opera illuc venturos, & insimulabant, ut populum Christo inuisum redderent: & opportunum esse concludebant eum morti adiudicare, ne Romani ab illis locum & gentem auferrent. Ac si plenius dicerent: Rumor ad eos perueniet quod ubique dominari velit. Tunc venient, & cordatos homines, quorum responsis respublica feliciter regitur, incarcerabunt, & fortassis morte afficient tanquam partium eorum desertores, & illius fautores. Verum mihi dicant, cur Romani locum & gentem ob Christi opera vastare venissent, qui illis tributum soluere iusserat dicēs: Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari. An diffidiū seu rebellionem aduersus illos commouere, pecunias congregare, arma parare consuluerat? An se regem constituere & aliis dominari voluerat? Nihil minus. Sed cum humilibus discipulis hætenus vixerat antra deserti frequentans, & diuitum hominum consortia fugiens, suos quoque alapis cæsos, iniuriis affectos sese non vlcisci docuerat, & promptiores esse ad indulgentiam quàm ad vindictam. Ea benignitatis argumenta indubiè probabant eum no-

*Mat. 22**Mar. 12**Luc. 20.*

luisse regnum vsurpare, nec populum aduersus Romanos commouere. Ipsi gloriosis ornari titulis, & diuites fieri cupiebant. Quod Christus hæc dedocuerat, illis odio erat. Ipsi delicta antiquorum patrum qui prophetas occiderant, execrabantur, & vnâ congregari non erubuerunt, vt vnicum Dei filium morte turpissima mori iudicarent. An malitiam eorū diu regnare Deus permisit? Minimè omnium. Sed in vindictam illius quod de Romanis prophetauerant, in caput illorum descendit: quia anno circiter à passione Christi quadragesimo venerunt Romani, & eos in urbem inclusos, inedia & captiuitate mori fecerunt, ciuitatem deleuerunt, & fugientes in vniuersum comprehenderunt, ab illis regimen populi atque sacerdotium abstulerunt. Et hæc omnia quo die Christum morti exposuerant, eodem contigerunt. Itaque in laqueo quem Christo absconderat, comprehensi fuere pedes eorum. *Vnus autem ex ipsis Caiphas nomine, cum esset pontifex anni illius dixit eis: Vos nescitis quicquam neque cogitatis, quia expedit vobis vt vnus homo moriatur pro populo, ne tota gens pereat.* Ad nominis Caiphæ ethimologiam veniamus. Quid interpretatur, nisi homo inuestigans vel sagax, vel ore euomens. Hæc tria illis quæ gessit Caiphas tēpore passionis apprimè conueniūt. In primis tanquā curiosus inuestigator itinerum

Mat. 23

Psal. 9.

rum Christi discipulum pecunia corrupit, ut locum secessus Magistri reuelaret, & milites armatos secum comprehendere eum duceret: tanquam homo sagax testes perquirere fecit, qui iuxta votum sui animi contra illū deponerent, & maxima præsumptione seu temeritate vsus illos interrogauit: veruntamen facere non potuit eos conuenientia habere testimonia. In finem de Christo est egregiè mentitus dicens: *Mat 26*
 Audistis blasphemiam. Reus est mortis. Et addidit: Quid vobis videtur? Ut eos ad mortē illi inferendam magis ac magis commoueret. Verum quid importat verba *Anni illius?* Nunquid lege cautum erat pōtificio munere semel functum toto vitæ cursu pontificem agere? Quod *Heb. 7.*
 Paulus sub his verbis probat: Plures facti sunt sacerdotes secundum legem, idcirco q̄ morte prohiberentur permanere. Quod Christus à *Rom. 6.*
 morte resurgens non sit vltra moriturus, subinfert eum habere sempiternum sacerdotium. Cupiditas diuinandi illos occupans omnia reddiderat confusa, & pontificium fecerat annosum (ut abundantius loquar) eodem in anno plures illud administrabant. Istud ex eo perpenditur, quod nemini licitum ex lege nisi summo sacerdoti fuerit sanctuarium ingredi, & coram altari thimiamatis incensum adolere. Legitur de pio Zacharia patre Baptistæ Christi Ioannis, *LUC. 1.*

quod illi in sancta sanctorum in ordine vicis suae
 ingresso ut sacerdotio fungeretur apparuit an-
 gelus. Subinferamus ex quo in ordine vicis suae
 incensum ante altare posuerit, eodem anno plu-
 res pontificium administrasse. Quod Caiphas
 tempore passionis Christi illud administravit,
 in ea synodo fuit praeses institutus. Vidēs sacer-
 dotum principes & populi seniores lentissimis
 deliberare consiliis, quid in re praesenti & mul-
 tum ardua fieri deceret, tanquam nequissimus
 omnium illos negligētia arguit, cur Christum
 condemnare differrent dicens illis: Miror vos
 hic mecum stantes & totius nationis iudices
 consistere, nihil cogitare aut dicere super his
 quae necessario faciendae sunt. An nescitis pri-
 uati hominis vitam pro communi salute omnium
 esse morti exponendam? *Expedit ergo, ut ipse moria-
 tur, ne tota gens pereat.* Verum quid est praecipuum
 munus summi pontificis, nisi innocentem à
 periculo mortis liberare, & legem Dei qua di-
 citur: *Ne occidas seruare illaenam?* Itaque suum
 erat alios à temerariis ausibus reuocare, si Chri-
 sto mortem inferre voluissent. Contra tamquam
 caeteris omnibus sceleratior, alios omnes ad sce-
 lus inexpiabile impulit, & quos vidit timoratae
 mentis austerè arguit, atque omnia citò termi-
 nari voluit, ne ex causa diu ventilata Christi in-
 nocentia magis ac magis clarior fieret. Concede-
 datur

Exo. 20
 & 25.

datur gratia exempli (quòd fieri non potuit) Christum fuisse mortem emeritum, adhuc cū condemnare causa ad plenum nō cognita, iniquum fuisset. Verūntamē ad vocem illius nihil ex meritis causæ inspectis cogitarunt, & cōcluserunt eum interficere. Nicodemus Iudæorum princeps visus fuit longè modestior, atque iustior dicens: *Lex nostra neminem inauditum iudicat, idcirco acta causa despicienda.* Ipsi autem benignissimum Iesum, neq; in delicto deprehensum, neque testibus conuictum mortis reū pronunciarūt. Et Caiphas quotquot non erāt eius sententiæ increpauit, quasi commodis ciuium diligenter non prospicerent, & ipse sententiam mortis illius non minus perniciosè quàm crudeliter pronūciauit, cū esset pontifex anni illius dicens: *Expedi ut moriatur, ne tota gens pereat.* Verba anni illius expressit Euangelista, ut contemplemur qualis & quāta est virtus pontificiæ dignitatis etiam in homine peruerso. Quis hominū fuit Caipha nequior? Fermè nullus. Veruntamen quòd in pontificali officio fuerit institutus, & qualitercūque tolleratus, mortem Christi esse opportunā pro salute omniū pphe-
tauit. In quo Dei spiritus organo sui oris vsus est ad opus nostrę salutis: sed interiora cordis illius quòd essent iniquitatibus multis contaminata, non attingit. Ideo Euangelista pulchrè ait:

A semetipso hoc non dixit, sed cum esset pontifex anni illius prophetauit. Huiusmodi prophetiam annūciare non potuisset, nisi virtute superiori motus fuisset. Ex qua animo cōcepit mortem Christi in salutem omnium opportunā esse, sed rationem cur expediret Christū mori non agnouit. Et circa mortem illius multū errauit, ad bonū temporale illam referens. Quid parū dissimile illis contingit, qui à bono angelo aut malo, aliquoties mouētur aliquid facere, & faciendum esse animo concipiunt, sed rei euentū nesciunt. Illis enim conceditur operatio, sed aufertur, vel ad tempus differtur certissima rei reuelatæ cognitio. Mihi dices: Cū Caiphas ex sententia Euangelistæ de Christo prophetauerit, inter Dei prophetas numerari debuit? Minimè omnium. Sicut enim omnis qui proximis iustitiam pronūciat, iustus non est, neque Dei propheta dicēdus quisquis futura prædixit. Multa enim antè quàm quis inter prophetas Dei numerari debeat requiruntur. Vnum ex præcipuis est eum illa quæ populo nunciat animo concipere. Ait enim Daniel: In visione opus est intelligentia. Multi enim quædam futura prædixerunt, qui inter Dei prophetas numerari nō meruerūt. Nobis exemplo sint tū Nabuchodono Gen. 41. sor, tū Pharao. Ille in somnis admiranda vidit, sed intelligentiam illorum capere non potuit, donec

Dan. 1.

Dan. 2.

Gen. 41.

donec sibi per Daniele[m] reuelata fuit. Tūc Iudæis ait: Verè Deus vester Deus deorum est, & dominus regum terræ, qui somnij mei secreta Danieli reuelauit. Iste scilicet Pharao erat super *Gene. 41* ripas fluminis sedens non planè dormiens aut vigilans, quando septem boues nimis crassas, & totidem macie confectas vidit. Deniq; spicas septem granis plenas, & totidem alias admodū tenues, quæ abundantiam aliorum deuorabāt. Huius somnij intelligentiā capere non potuit, donec quid sub illo erat occultū Patriarcha Ioseph illi reuelauit. Quid simile de Balaam dicas qui prophetauit: q̄ diuinæ inspirationi restiterit, inter Dei prophetas numeratus nō fuit. Isti & quotquot sunt eis similes Dei prophetæ dici nō meruerunt. Itaq; estò quòd Caiphas prophetauerit, quia à semetipso loquit̄ nō est, & prophetiæ intelligētiam ad bonum temporale tribuerit, propheta dici nō meruit. Disputationis gratia concedatur nomen prophetæ illi competere. An inde gloriari debeat? Nihil minus, quoniam in die vltimi aduentus, multi dicent: *Mat. 7.* Domine in nomine tuo prophetauimus, & audient: Nescio vos, ite maledicti in ignem æternum. Istud planè nouit Gentium apostolus. Vndè dicebat: Si habuero prophetiam atque *1. Cor. 13.* fidem ex qua montes transferre valeam, charitatem autem non habuero nihil sum. Multò

magis prophetæ dici meruerunt præmemorati Daniel, & patriarcha Ioseph qui veras somniorum intelligentias nouerunt, atq; sanctus Ioannes Christi apostolus & euāgelista, qui sensum huius prophetiæ nobis reuelauit dicens Christum mortem passum, non modò pro gente Iudæorum, verumetiam vt filios Dei qui in mundo dispersi erant cōgregaret in vnum. Est enim proprium eius dissentientes reconciliare vel in mutuam amorē reuocare, ideo dicitur auctor

Ephē. 2. pacis & amator, qui fecit vtraq; vnum, scilicet ex his qui propè, & ex his qui longè erant, mysticum ecclesiæ corpus composuit, vt Græcus Latinum, Romanus Germanum instar fratris diligeret. Recolentes, amantissimi, quòd Deus noster non est acceptor personarum, quòdve Iudæos & Gētiles vinculo veræ dilectionis cōfæderauit, & eos (vt ita loquar) lupos rapaces, in oues mansuetissimas transmouit, vt sicut ipse est vnicus pastor ouium, ita vnicū esse ouile cum communem ouium Dei pastorem agnoscamus. Ideo Iudæis prædixerat. Alias oues habeo, quæ nō sunt ex hoc ouili, & illas me oportet adducere, vocem meam audient, sequentur me, & eas pro mercede operū, æterna & fœlicis vita viuere faciam. *Ab illo ergo die cogitauerunt pōtiffices, & pharisæi vt interficerent eū* Cur euāgelista ait ab illo die eos cogitasse eū interficere? Nōne

antea

ne antea illum multoties interficere voluerant? Exemplo sint tum Nazareni cum ad montis supercilium deducentes, ut per decliuum illius precipitaretur, tum Iudæi Hierosolymitæ, qui cum intra templi septa lapidibus obruere voluerant. Quod suæ passionis hora nondum venerat, è manibus eorum illæsus exiuit. Mihi dicendum videtur eos ex subitaneo impetu furoris aliquoties voluisse eum interficere, nunc autem iudicium mortis illius nõ modò inter se firmarunt, verùm & ad consummationem deduxerunt. O deplorati pontifices & pharisæi mortem illius procurantes qui in mundum venerat eos à morte æterna liberare! In quibus verificatum fuit quod vulgari prouerbio teritur: Inimici hominis domestici eius. Nõne Christus nascens in propria venit, id est ad Iudæos? Ergo Iudæi erant domestici eius: sed inuenti sunt longè nequiores alienigenis, quibus eum tradiderunt. Et ipsi visis mirabilibus portetis culpam suam agnouerunt, & percutientes pectora sua dixerunt: Verè filius Dei erat iste. At Iudæi in malitia corda sua obdurarunt, & sicut Esau fratrem suum persecutus est, ipsi mortem Christi procurarunt, mala pro bonis retribuentes sterilitatem animæ illius. Ideo Christus *ab illo die non palam ambulabat, sed abiit in regionem iuxta desertum, in ciuitatem quæ dicitur Effrem.* Neminè latet cùm

Mat. 10

Mat. 15

Psal. 34

fit omnipotens, quin inter Iudæos non steterit
 intrepidus atque illæsus si voluisset, verum ma-
 luit sui corporis absentia à cogitatu maligno om-
 ni suppliciorum genere dignissimo, eos
 reuocare. Qui antiquorum patrum mali-
 tiam detestabantur, qua seditionem aduersus
 Moysen commouerant, qui eos à potestate Pha-
 raonis & seruitute Ægyptiorum liberauerat, in-
 uenti sunt patribus suis nequiores, quia Dei fi-
 lium ad mortem captabant. Ut malitiam eorū
 esse sceleratiorem iniquitate antiquorum pa-
 trum nobis liquidius constet, operum vtriusq;
 breuis collatio fiat. Dominus Moysen Pharaoni
 dicere misit populum suum dimittere, vt illi
 in deserto sacrificaret. Quòd Pharaon Moysen ef-
 fe à Deo missum nõ crediderit, Dominus signa
 longè terribilia, & cunctis viuentibus in Ægi-
 to nocentia edidit. Quòd Iudæi Christo in-
 creduli fuerint, signa longè mirabiliora, & om-
 nibus profutura fecit. Pharaon Moysen reue-
 ritus est: de Christo Deus pater dixerat: Verebū-
 tur fortè filium meum, visis mirabilibus signis,
 quæ nemo alius facere potuisset. Tã abest quòd
 eum reueriti fuerint, vt mortem illius inter se cõ-
 firmarint: ideo aptè admodum dicit illis: Profe-
 ctò testificamini quòd consentitis operibus pa-
 trum vestrorum. Illi sapientes & prophetas occi-
 derunt, vos illum qui mortuos suscitatur, occi-
 dere

Psal. 150

Exo. 5.

Mat. 11.

Mar. 12.

Luc. 20.

MMMM

dere vultis. Quòd Moyses fuerit dux exercituũ
 domus Israël, iussa illius seruare tenebantur Iu-
 dæi: quòd Christo Deus pater potestatẽ omnis
 carnis dederit, iussis illius parere debẽt, omniũ
 maximè quòd paterna vox intonuerit: hic est *Mat. 3.*
 filius meus dilectus, ipsum audite. Moyses vt cõ *Mar. 1.*
 tumaciam Pharaonis frangeret sequentia edi- *Luc. 3.*
 dit miracula: Erãt aquæ fluuitorum Ægypti sua- *Exo. 7.*
 ues, piscium alumnæ & potabiles, quas Moyses
 in sanguinem conuertit, vndè moriebantur pi-
 sces, & circumadiacens regio est dānum non
 mediocre passa. Christus autem in Cana Gali- *Ioan. 2.*
 lææ aquas in vinum conuertit adedò mirificum,
 & suaue, quod conuiuas lētificarit. Tum pisces,
 tum panes tam abundè multiplicauit, quòd ex
 quinque panibus, & pisciculis admodum pau-
 cis, quinque milia hominum, præter pueros &
 mulieres saturarit. Moyses tenebras diffundens
 totam Ægypti regionem obscurauit. Christus
 sui luminis splendore à cordibus humanis, vi-
 tiorum tenebras depulit, & quæ in lege & pro-
 phetis obscura erant, elucidauit. Ad vocẽ Moy- *Exo. 7.*
 si fluuius ebulliens ranas adedò multiplices pro-
 duxit, quòd circumadiacentes ripas & prata o-
 peruerint, & sterilia reddiderint. Rursus muscas
 omnium grauissimas, & cinifes in cunctis fini-
 bus eorum immisit, cinerem de camino tulit, &
 per aëris spatia dispersit. Ex istis omnibus iumẽ-

ta Ægyptiorum pessimis vlceribus infecta fue-
 re, & in eis procreatae sunt vesicæ admodum
 turgentes, & multum pestiferæ. Istis mirabili-
 bus portentis longè perniciosis nõ solum Chri-
 stus se abstinuit, sed vice illorum infirmos cura-
 uit, cæcos illuminavit, mortuos suscitavit, dæ-
 mones expulit. Et sicut Moyses grandinem &
 ignem per fines Ægyptiorum emisit, qui fructus
 eorum perdidit, ita Christus super Iudæos
 sibi fidentes cœlestis gratiæ rorem, vel sancti spi-
 ritus gratiam, qui dicitur ignis nõ comburens,
 sed lucens, infudit, vt ex gratiarum donis fru-
 ctus ferre possent cœlesti vita dignos, ad nume-
 rum sexagesimũ multiplicatos. Post signa quæ
 Moyses populo Ægyptiorum omnifariam noc-
 centia manifestavit, Pharaeo placidè dicit illi
Exo. 10. iuxta verbum Domini: Egredere cum omni po-
 pulo de terra Ægypti: verum pótifices & phari-
 sæi post exquisita Domini opera prius commemo-
 rata, huc sermonem malignum sibi firma-
 runt captare eum ad mortem. O gens stulta, &
 verè insipiens pro beneficiis penè innumeris à
 benignissimo Iesu tibi impèdis! Hæc sunt illi re-
 pendenda qui te fecit, & creavit? vt te in terram
 lacte & melle manâtem introduceret, & de po-
Exo. 15. testate Pharaonis, & miserabili seruitute Ægyp-
 ptiorum liberaret, mare rubrum diuisit, & qua-
 si murum æneum tam diu continuit donec pa-
 tres

tres tui per vadum illius sicco pede transirent,
 & inimicos eorum aquis vehementibus ope-
 ruit, vt quasi plumbum in profundum maris
 demergerentur. Ne credere differas, quòd istis
 non interfueris, interroga patres tuos, & hæc ti
 bi nunciabunt, atque dicent Deum Hebræo- *Deut. 32.*
 rum hæc tui causa fecisse. Propterea non cessa-
 runt pontifices & pharisæi clanculariis mor-
 tem Christi cõspirare conciliis, vt vitia quibus
 eos arguebat, occultarét, & de eo dixerûnt quod
 filij Iacob de Ioseph dixerant: Ecce somniator *Gen. 37.*
 venit, venite occidamus eum, vel quod de Pau-
 lo legitur scilicet, deuotione deuouimus nos *Act. 23.*
 nihil cibi gustaturos donec occidamus eum. Si
 maturè cogitassent consilium malignè excogi-
 tatum non rarè esse suis consultoribus pessim-
 um, & ob mentis oculos habuissent Aaman *Hest. 7.*
 in patibulo quod construxerat suspensum fuisse:
 hæc maligna aduersus benignissimum Iesum
 non conspirassent. Eadem illos respiciunt, qui
 laudabilia patrum placita euertere cupientes,
 non nihil machinantur aduersus illos, quorum
 optimis consiliis respublica geritur, illorum
 malitiis hoc totum debemus, quòd omnia pe-
 nè in malum inuersa: vt pontifices & pharisæi à
 malè cœptis cessarét Christus ad loca deserti se
 contulit, quasi illis tacitò diceret: A vobis qui
 me verum hæredem non agnouistis, & interfi-

mosb

NNN

Mat. 21 cere vultis auferetur regnum Dei, & relinquetur domus vestra deserta, noluitque illos sine causa irritatos irritatiores reddere. Quod autē perspexerint discipuli præceptorem latibulum quærere, & desertum adire, non potuerunt non conturbari. Mihi dices: Cùm sit Deus omnipotens, est sine controuersia quòd inter inimicos securò conuersari potuisset. Cur ergo in regionem iuxta desertum adiit? Hoc sanè illi nõ fuit vitiosæ formidinis, sed prudentiæ admirabilis vt nobis exemplum pararet tēpore opportuno deserti latebras quærere, vt sceleratorum hominum manuseuaderemus. Rursus subindicabat Iudæorum synagogam suo peculiari præsidio destituendam, & in manus inimicorum venturam. *Act. 10.* Quod Petrus illis exprobrauit dicens: Filium Dei occidistis suspendentes in ligno, & verbum salutis spreuistis, ideo conuertimur ad Gentes. Eadem illis contingent, qui oblatam Dei gratiam dignanter non suscipiunt, sed omnibus vitiis sese dedunt. Sicut Christus fuit ab illis desertus, ita illos deseruit. Neque caret mysterio ciuitatem quam Christus adiit vocari Effrem: quòd fructificatio interpretatur, Ecclesiam sponsam adumbrans, quæ hucusq; fuerat quasi infœcunda vel infrugifera. Tandem filios numero plures habuit quam synagoga habuerat, iuxta illud Ioannis numeratis per duodecim

decim millia filios synagogæ, filios autē Eccle- *Apo. 7*
 siæ per multitudinē quasi infinitam cui prophe-
 ta dixerat: Lætare sterilis quia parturis. Quòd *Esa. 4.*
 enim homines ethnici salutis verbum per apo-
 stolos nunciatum gratanter audierint, & audi-
 tum in viscera cordium suorum traiecerint, spi-
 ritualium bonorum fructibus abundarunt, &
 corda eorum quæ priùs fuerant vitiorum ardo-
 re perusta, rore cœlesti fuere madefacta, vt non-
 nihil herbæ virentis, & fructum gignentis ex
 semētibz optimis per apostolos dispersis pro-
 ducerent. Ipsa militans Ecclesia ex minimis ini-
 tiis in immensum creuit, de qua Dominus per *Esa. 51.*
 Esaiam dixerat: Ponam desertum delicias, & so-
 litudinem quasi hortum domini. Ideo rectè
 per desertum rectè adumbrata fuit, quæ à Iu-
 dæis spreta facta est quasi hortus deliciarum, in
 quo dominus quiescit, quòd tempus suæ pas-
 sionis à patre diffinitum quasi in ianuis esset.
 Erat enim proximus dies paschæ penes Iudæos
 celebris ac religiosus, in quo ipse pro salute o-
 mniū immolandus erat. Illum expectans Chri-
 stus in deserto commorabatur cum discipulis.
 A quo exiens in Bethaniam venit Lazarum su-
 scitaturus, & sese manibus inimicorum expo-
 nendus, quoniam venerat dies ad passionis my-
 sterium ante secula tēporaria à Deo patre præ-
 finitus. Amantissimi, ad imitationem Christi,

& discipulorum eius in presenti seculo maneamus quasi in deserto inculpatè viuētes, vt cum illo qui fuit pascha nostrum, & à morte resurgens cœlos ascendit, ad cœlestem Hierusalem conscendere valeamus.

Homelia Sabbati post dominicam in passione. Ioan. 17.



*U*leuatis Iesus oculis in cœlum dicit: Pater venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te. Videns benignissimus Iesus horam suæ passionis immi-

Luca 21. nere, discipulis ait: Eritis odio omnibus propter nomen meum. Et ab illis paululum diuulsus, ad orationem quasi ad sacram anchoram cōfugit, oculos sursum leuans, prece etiam benignissima patrem alloquutus est. Mihi dices: hæc per eum fieri non decuit, qui oratione nō indiguit. Recole eum hæc & alia multò maiora, quibus non eguit, nostri causa egisse, vt occurrente tentationis procella eadē faciamus. Idcirco Deum precaturi oculos sursum leuemus ad mirificum maiestatis thronū. Eò enim ducendus est quasi per gradus quosdā noster animus, si tollerandis aduersis pares esse velimus. Nēpe oculorū eleuatio, ad eum fabricæ huius mundi opicē, simulque gubernatorem, pectoris tūsiō, brachiorum
extensio,

extensio, manuum complicatio, genuū flexio,
 totius corporis prostratio, ea illi mirificè pla-
 cent, vt diuinorum reuolutione librorum no-
 uimus. Et hæc omnia obseruarūt patres nostri,
 vndè propheta Dauid dicebat: Leuauī oculos *Psa. 120*
 meos in montes vndè veniet auxilium mihi.
 Ab eo qui fecit cœlum & terram. Publicanus *Luc. 18.*
 in templo orans pectus suam tundeat, domi-
 no dicens: Propitius esto mihi peccatori. Et re-
 diit à templo iustificatus. Hieremias populo di-
 cebat: Leuemus ad Deum corda nostra cū ma-
 nibus. Et apostolus ait: Volo vos orare leuantes *1. Tim. 2*
 puras manus. Sapiens Salomon in porticu tem-
 pli genibus flexis astitit. Sorores Lazari Chri-
 stum venisse audientes, coram eo in pedes ceci-
 derunt prostrata. Hæc propter illos dicere o-
 portuit, qui cæremonias verè religiosas quibus
 ad diuinas preces excitamur, derident ac sper-
 nunt. Amantissimi, quoties Deū precaturi eri-
 mus, eadem obseruemus oculos ad illum leuā-
 tes qui habitat in cœlis, & cum debito statu
 totius corporis, tandiu in oratione perstemus,
 donec Deus animam nostram à laqueo mortis
 peccati, oculos à lachrymis, & pedes à lapsu eri-
 piat: memores quòd pius rex Ezechias Deum *Esa 38.*
 precaturus se ad parietem vertit, nec solum ocu-
 los in cœlum leuauit, sed rādiu eleuatos tenuit
 donec exauditus fuit, & in oratione domino

dicebat: Attenuati sunt oculi mei suspicientes
 in excelsum. Propterea Christus patre precaturus,
 oculos sursum leuauit dicens: Pater à quo
 omnis vera paternitas in cœlo, & in terra rectè
 nominatur, quòd sis omnium quæ in eis sunt
 verus creator, me non fugit tēpus instare quod
 ad mysterium passionis vnà determinauimus,
 & ab æterno præfiximus. Igitur *clarifica filium
 tuum, vt ille vicissim te clarificet.* Expedi vnū per
 alium clarificari, vt cognoscat mundus quòd
 iuxta corporis naturam fuerim à te in salutē ge-
 neris humani missus, quòdve mihi dederis po-
 testatem omnis carnis, id est hominis. Est enim
 caro minima atque infima hominis portio: ve-
 rùm in sacris literis pro toto homine non rarò
 ponitur. Vndè Dauid dicebat: Ad te omnis ca-
 ro, id est homo veniet. Et Esaias ait: Videbit om-
 nis caro, id est omnis homo verbū, quod os
 domini loquutum est. Ioannes etiam inquit:
 Verbum caro factum est. Non potuit pater fi-
 lium pro sua singulari reuerentia non exaudi-
 re. Ideo vt illum tempore natiuitatis, mortis,
 resurrectionis, in cœlum ascensionis clarifica-
 ret, quàmprimùm natus fuit astiterūt chori an-
 gelorum cum illo qui pastoribus dixerat: Na-
 tus est vobis saluator mundi. Et in mortis arti-
 culo clarificatus fuit, quòd ad sonitum vocis il-
 lius, milites & sacerdotum ministri qui eum
 compre-

Eph. 3.

Psal. 64

Esa. 40.

Ioan. 1.

Luc. 2.

Ioan. 18.

Psal. 64

Esa. 40.

Ioan. 1.

Luc. 2.

Ioan. 18.

XXXX

comprehendere venerant, abierunt retrorsum,
 & ceciderunt in terram. Rursum ad testimo- *Luc. 23.*
 nium suæ dignitatis sol obscuratus fuit, terra
 tremuit, velum templi à summo vsq; deorsum
 scissum fuit. Qui iuxta crucem stabant, istis ex-
 territi portentis dixerunt: Verè filius Dei erat
 iste, & percutiètes pectora sua recesserunt. Ve-
 rùm claritas visa fuit longè maior in diebus vel
 resurrectionis vel ascensionis. Illa enim quæ ap-
 paruit quando natus vel mortem passus est, ma-
 gis dici debet quædam exinanitio, quàm suæ
 clarificationis demóstratio. Dum verò propria
 virtute vel resurrexit, vel cælos ascēdit, fuit verè
 clarificatus, quoniam manifestavit quòd in ho-
 mine erat Dei filius. Istud ex sententia apostoli
 colligitur dicētis quòd humiliavit semetipsum
 formam serui accipiens in similitudinem ho- *Phil. 2.*
 minum factus, obediens vsque ad mortem cru-
 cis. Propter quod Deus pater exaltauit illum &
 nomen tantæ dignitatis contulit illi, vt ad eius
 inuocationem flectatur omne genu, & confi-
 teatur omnis lingua, quia ipse est in gloria Dei
 patris. Ideo humilitas in eo præcessit, vt esset fu-
 turæ claritatis meritum, & subsequuta est clari-
 tas tanquam suæ humilitatis præmium. Igitur
 Paulus pulchrè ait, quòd formam serui accepit,
 in qua clarificatus fuit. Claritas enim quam in
 forma Dei habuit, semper idē est & erit. Verùm

quid ad sequentia dicemus, scilicet *Ut filius tuus clarificet te?* Quòd pater formam serui non induerit, & claritas quam in forma Dei habet maior fieri non possit, quomodo fructum nouæ claritatis capere potuit? Ne quid tibi videatur absurdum, subaudi ut filius clarificet te, scilicet apud homines, quoniam in substantia suæ diuinitatis (ut dictum est) clarificari non potuit. Tunc filius patrem apud homines clarificauit, dum quàm magnus esset Deus pater illis manifesta-uit: cui omnium operum suorum gloriã tribuit, ut nomẽ illius à solis ortu vsq; ad occasum redderet laudabile, gloriosum, celebre, & super exaltatum. Quòd pater vicissim filium apud homines clarificaret, apostolos dedit ei, qui per diuersas mundi partes verbum salutis disseminerent, & quòd Christus clarificatus fuit, & apparuit Dei filius manifestarent, ut sibi fidentes vitam æternam assequerentur, similiter diffidentes damnationem sibi acquirerent. Ne nesciamus in quo fœlicitas hominis Christo fidentis consistit, sequitur æternæ beatitudinis vera definitio. Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Æterna beatitudo ex præassumptis formatur, ex perfecta dilectiõe perficitur. Acti intellectuali cum fruitiõne iucunda illam planè assequi non poterimus, quandiu mole corporum grauari

grauati in præfenti vita ærumnarum plena erimus, Deum enim per speciem & enigma tantum cognoscemus. Postquam verò corporum sarcinas deposuerimus, si inculpate vixerimus, vel condignam peccatis nostris pœnitentiam fecerimus, tunc Deum facie ad faciem videbimus, & felices terque quaterque beati erimus. Unde Ioannes ait: Charissimi nunc filij Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus. Scimus autem cum apparuerit Christus, quod ei similes erimus, eumque sicuti est videbimus. Quid pulchrius, quid gloriosius videri poterit dignissima facie trinitatis? Non sine causa tum Moyses, tum David Deo dicebant. Ille: Si inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam. Et iste: Ostende nobis domine faciem tuam, & salui erimus. Euangelista non solum descripsit vitam æternam in eo consistere, quod Deum patrem & filium eius cognoscemus, verum prudenter addidit, quem misisti, ne nesciamus quemadmodum beata trinitas est beatificum æternæ salutis obiectum. Similiter humanitas Christi erit accidentale præmium eius, dicente Esaia: Ecce merces eius cum eo, & opus illius coram illo. Et psalmista testatur, quod filij merces fructus vestrus. Audiamus in quo filius patrem super terram clarificauit. In eo sanè quod sequitur: *Opus consummaui quod dedisti mihi vt faciam.* Ante Christi aduentum Iu-

1. Ioan. 3

Exo. 33.

Psal. 79

Psa. 126

dæi vnum Deum nouerunt, quem coluerūt, &
 Deum Abrahamæ, Isaac, & Iacob vocarūt, sed ne-
 sciebāt eum esse patrē domini nostri Iesu Chri-
 sti. Quòd plenam de eo notitiã non habuerint,
Esa. i. per os prophetæ Deus dicebat: Israël me nõ co-
 gnouit. Istud Dei filius in Iudæa manifestauit,
 & ore apostolorum vbîq; terrarū disseminauit,
 & omnes docuit vitam æternã in hoc cõsistere,
 quod est credere Deum patrem filiũ habere, &
 in mūdum misisse. Hic fuit nouus Dei notitiæ
 modus per quē pater fuit à filio inter homines
 clarificatus. Et opus suũ filius strenuè consum-
 mauit, quia istud verum esse tum salutari doctri-
 na, tum miraculis propè infinitis manifestũ &
 illustre reddidit. Forfan sciscitaberis cur Chri-
 stus dicit opus sibi à patre iniunctum consum-
 masse, cum multũ de illo restaret consumman-
 dum, scilicet passionis mysteriũ. Nouerat sanè
 illud in proximo subsequuturum. Ideo vsus est
 communi genere loquendi, quo ille qui est in
 hortis domus in ea esse dicitur, vel vocabulum
 præsentis temporis posuit more prophetarum.
 Cur id non fecisset cum antiqui prophetæ id fa-
 ctũ esse multoties dixerint, quod post multos
 annos faciendum erat? Testis est psalmista, de
Psal. 21. Christi passione loquutus ait: Foderunt manus
Ibidem. meas, & pedes meos, dinumerauerūt omnia os-
 sa mea. Et rursus: In siti mea potauerunt me ace-
 to. Hac

to. Hæc omnia nondum contigerant, sed tem- *Mat 27*
 pore passionis completa fuere. Quod autem ex
 Diuina reuelatione, & causis omnium certissi-
 mis ea nouerunt indubiè futura, quasi iam fa-
 cta essent annunciarūt. Hac de causa Christus
 Deo patri dicebat: Opus quod dedisti mihi
 consummaui. Cur potius inquit, dedisti, quàm
 præcepisti? Ne nesciremus eandem inter illos
 voluntatem, denique potestatem esse, & nihil
 boni in filio esse, quod non sit ei à Deo patre
 datum à quo procedit, quòd ipse fuerit homi-
 ni inseparabiliter iunctus. Ex qua vnione ho-
 mo Christus nihil mali appetere potuit, &
 quicquid fecit non potuit non bonum esse.
 Quòd ergo Christus nostræ redemptionis o-
 pus penè consummasset, & in terris vitam no-
 biscum agens Deum patrem clarificasset, ad
 quem in proximo venturus erat, ait illi: *Clari-*
fica me tu pater apud te metipsum, claritate quam ha-
bui priùs quàm mundus fieret, apud te. Ac si pla-
 nius diceret: Pater qui tuis iussis parentes cla-
 rificas, & voluntatem tuam facientes remun-
 neras, hanc clarifica filij tui humanitatem, &
 super choros angelorum exalta, vt ex acci-
 dentali gloria à nobis in eum redundanti infi-
 nitè delectetur, quod ex prædestinatione im-
 murabili inter nos sanxitum fuit priùs quàm
 mundus fieret. *Manifestaui nomen tuum homini-*

*bus, quos dedisti mihi de mundo, tui erant, & mihi
 eos dedisti, & sermonem tuum seruauerunt. Mihi
 videtur tum de suis apostolis, tum discipulis
 Ioan. 15. ibidem loquutus. Illis sanè prædixerat: Elegi
 vos de mundo. Sicut elegit, ita pater eos filio
 Ioan. 6. dedit. Vndè legitur: Omne quod dat mihi pa-
 ter ad me veniet, & cum qui venit ad me non
 eiiciam foras. Nisi pater eos filio dedisset, ad
 Ioan. 6. eum non venissent, quia nemo ad filium ve-
 nit, nisi pater qui illum misit, attraxerit eum.
 Quid fuit eos à mundo attrahere, nisi à malo-
 rum consortio segregare? Ideo Deus pater illos
 filio dedit, vt sanctis moribus & doctrinis illos
 informaret, & quod notum est Dei manifestũ
 reddidit, vt ad inuisibilia illius per opera ipsis
 coram facta consurgerent. Quid fuit dicere
*sermonem tuũ seruauerunt, nisi legis præcepta per-
 fecerunt? qui tui erant & mihi eos dedisti.* Si more
 humano loqueretur Christus, consequens esset
 discipulos amplius ad Deum patrẽ nihil perti-
 nere quos filio dederit. Verũ istud in diuinis
 dicere nimis ridiculum esset, dicente scriptura,
 quęcũq; sunt Dei patris, eadẽ esse filij eius. Sed
 filius ex nostra carne aliquid habet quod nõ est
 Dei patris commune, qui Christo homini illos
 dedit sanctissimis moribus formandos, vt ser-
 monẽ eius seruantes persuasum haberent quic-
 quid filius docuit à Deo patre profectũ esse, &
 ad beatam*

ad beatam vitā pertinere. Vndè sequitur: *Nunc cognouerunt quia omnia quæ dedisti mihi abs te sunt, quia verba quæ dedisti mihi dedi eis, & ipsi acceperunt, & cognouerunt verè, quia à te exiui, & crediderunt quia tu me misisti.* Hęc satis profusè explicuit Christus, & multoties repetiuit, quòd sint captu difficilia, & ex illis formetur vnus ex præcipuis nostrę fidei articulis, scilicet credere patrem filium ab externo genuisse, & eum nobis redimendis in mundum misisse. Hęc sunt quæ pater filio dedit discipulis nūcianda, quæ crediderunt vera esse. Vt in fide stabiles permanerēt, filius pro eis Deum patrē precatus fuerat. Ideo sequitur. *Ego pro eis rogo, non pro mundo, sed pro his quos mihi dedisti.* Cur id ipsum rursus repetiuit scilicet pro eis rogo, & iterum, pro his quos dedisti mihi? Nobis notum fieri voluit, qua dilectione illos dilexit, quos pater ei dederat, pro quib⁹ omniū instantissimè illum precatus est. Mihi dices, id fieri ab eo qui dixerat: Scio quòd semper me audis, superfluū esse videretur. Nihil minus. Quo enim meliora assequi gratiarum dona quis cupit, eò instantius illa postulare debet. Christus (quem nihil fugit) sciebat Deum patrem illos ad beatam vitam prædestinasse, quibus ait: *Sedebitis super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël,* verumtamen pro illis patrē rogauit. Cur ergo pro nobis, & confratribus no

Act. 7.

stris deuotas preces non effundemus, edocti à sanctis patribus sub prædestinationis verbo inclusa esse omnia quæ ad prædestinati hominis salutem necessario pertinent? Vndè dici solet, si pro Paulo Stephanus lapidantium vestimenta custodienti, Deum non orasset, Ecclesia Paulū non habuisset. Quid fuit dicere te pro mundo non rogo, nisi pro mundanis hominibus suæ salutis verè obliuiosis? quia se totos vitiis dedunt, & mundi amicos constituunt, inimici Dei constituntur, quoniam ex certa animi malitia sanctissimis inspirationibus resistunt, & veritati agnitæ pertinaciter reluctantur, salutem quoque gratis oblatam respuunt, ideo effectum suscepti baptismatis interimunt, & suffocant. Pro his Christus absolutè Deum patrem nõ orauit, verumtamen natiua pietate motus sicut pro illis suum sanguinem fudit, etiam in genere preces obtulit. Vndè pendens in cruce pro inimicis crucifixoribus suis patri dicebat: Ignosce illis quia nesciunt quid faciunt. Id futurum spiritu prophetico præuiderat Hieremias in persona filij Deum patrem alloquentis, dicens: Recordare quòd steterim in conspectu tuo vt loquerer pro eis bonum, & ab illis auerteres indignationem tuam. Ne nesciremus discipulos Christi non minus esse Dei patris post quàm eos filio dedit, quàm antea. sequitur: *Tui erāt & crediderunt*

Luc. 23.

Hier. 18

derūt quòd mea omnia tua sunt, & tua mea sunt, & clarificatus sum in eis. Ac si planius diceret. Ex dono scientiæ quod per spiritum nobis communem illis infudimus, intellexerunt tantum ac tale diuinitatis consortium inter nos esse, vt quicquid est vni nostrum commune, est alteri proprium. Ex consequenti quicquid meum, idem necessariò tuum. Quòd ergo eos mihi dederis, adhuc tui sunt. Tatum in illis clarificatus sum, vt de me dixerint: Scis omnia, non est opus vt quis te interroget. In hoc credimus quia à Deo exiisti. Quòd tempus appropinquaret in quo filius ad patrem rediturus erat, & discipulos sui corporis præfètia deserturus, eos Deo patri obnixè commendauit, vt sicut in vices illius succederent, ita nomen vtriùsque omnibus celebre redderent. Et quasi iam amplius in mundo non esset, Deum patrem alloquitur dicens: *Et iam non sum in mundo, & hi in mundo sunt, & ego ad te venio. Pater sancte serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnum sicut & nos sumus.* Tua enim diligenti custodia maximè egent, ne inimicorū insidiis impetiti tentationibus succumbāt. Per crucis mysterium ad te venio, sed priùs solidissima fidei fundamenta in illis iacio, quibus notū feci quòd tu & ego vnum sumus, & oportere quòd viuant vnà consentientes & ipsi à Sathana alienati, & ad te adducti per viā salutis per-

riit, vt scriptura impleretur, sed quādo periit (vt dictum est) impleta fuit. Tam bonus est Deus noster quòd malitiam illius in commodum totius orbis cōuerterit, mortem enim Christi procurauit, qua intercedente salus omnibus obicem non ponentibus contigit. Christus enim à via salutis neminem repellit, vel reicit, sed omnes ad eum venientes, benignè excipit, iuxta illud: Omnis qui venit ad me non eiiciam foras. *Ioan. 6.* Pereunt tamen multi, quia conatum animi sanctæ inspirationi non accommodant. Causam in sequentibus assignauit Christus, cur discipulos Deo patri tam obnixè commendauit dicens: *Nunc autem ad te venio, & hæc loquor in mundo vt habeant gaudium meum impletum in semet ipsis.* Sperant enim fieri mea commendatione non vulgari quòd sint tibi maximè sollicitudini. *Ego dedi eis sermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut ego non sum de mundo.* Sermonem Dei patris Christus discipulis seminandum vbique dedit, illud sequentibus signis confirmare promisit. Ipsi veritatem prædicantes inimicitiam illorum qui mundum diligunt, sibi conflat, qui suas habet illecebras; suos quoque terrores ac minas quibus seruos Dei terret ne quòd iustum est pronuncient. Quòd amplius de mundo non essent, sicut Christus de mundo nõ erat, mūdus illos odio habuit iuxta *Ioan. 15.*

ib

PPP

illud, Elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Quia desertores illius fuistis ut itinerum meorum sequaces essetis, aduersus vos mundus graues persecutionum procellas excitabit, & credent nonnulli vos persequentes se obsequium prestare Deo. Sunt ergo persecutionem passi, non quod essent fures, homicidae, aut rerum alienarum raptores, sed eo tantum nomine quod repudium vitii fecerant, & Christi partes fovebant, quod Euangelium per orbem vniuersum predicare deberent, ut fructum afferentes ampliori mercede in caelis donarentur. Iterum Christus Deo patri ait: *Non rogo, ut tollas eos de mundo, verum ut serues eos a malo. De mundo non sunt, sicut & ego non sum de mundo.* Oportet enim quod prius nomen tuum tibi mundo reddant celebre, & amatores mundi ad nos conuertant, eosque sanctissimis instituunt preceptis. Postquam fuerint suo munere perfuncti, rationi consentaneum est, ut quemadmodum fuere tribulationum mearum comites, pariter fiant caelestis gloriae consortes. Interea serua eos ne malis operibus contaminentur, quae in mundo regnant, ut sicut se totos nobis dederunt, ita in nobis vnum sint. *Igitur sanctifica eos in veritate, sermo tuus veritas est.* Quod suam in nos collocarint fiduciam, caelestem hunc habere fauorem merentur, ut nostris adiuti praesidiis tuto viuant. Ad quid odium mundi

Ioan. 16

3. mol

2. 7. 7.

1. 1. 1.

di in eos ortum est, nisi quòd vt nobis placeant partes eius vltra non foueant? Ea quæ dixi fucos blāditiarum, vel fumos vmbRARUM non habent, sed simplicem veritatem loquutus sum: Decet eos sanctificare, vt quæ vera sunt loquantur, & ea tam firmiter credere faciant, vt si angelus sathanæ quicquid illis dissonās persuadeat, non audiatur. *Sicut tu me misisti in mundum, ita & ego misi eos in mundum, & pro eis ego sanctifico meipsum, vt ipsi sint sanctificati in veritate.* Quòd sim functus munere, delegatos eos in vices meas institui, vt quæ vera sunt syncerè doceant non quæstui pecuniæ studentes, sed salutem animarum zelantes pro quibus corpus meū in ara crucis tibi offero, hostiā sanè tibi acceptam. Ne credemus Christum pro discipulis præsentibus tantum patrem suum rogasse subiunxit: *Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, & virtute baptismatis facti sunt purissima sancti spiritus habitacula, vt in statu gratiæ permaneāt, atque vnū omnes sint, sicut tu pater & ego in te, & ipsi in nobis vnū sint, vt credat mundus quia tu me misisti.* Cùm eo modo non possumus vnum esse quo Deus pater & filius vnū sunt, hæc verba omnimodā cōparationis æqualitatem non importāt, verum subindicāt quòd Christiani vnanimiter viuere, & inuicem concordēs esse debent. Simile alibi legitur scilicet,

Luca. 6. Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est. Cùm istud ex toto fieri non possit, nobis sufficiat pro captu humanæ fragilitatis ad illum perfectionis gradum tendere, vt inuicem vnum sentiamus. Sicut enim homines nihil magis turbat discordia, similiter nihil illis est optabilius pace. Mihi dices, Christus patri dicebat: Scio quòd semper me audis, veruntamen exauditus non fuit, quoniam adhuc multi inuicem discordes sunt, quod cum nõ latuit. Vndè dicebat: Audietis prælia & dissentiones, oportet hæc fieri. Prædiximus enim pro amatoribus mundi absolute patrem non rogasse, sed tantum pro discipulis, & imitatoribus eorum, & pro illis exauditus fuit. Vndè in actis apostolorum legitur: Erat in multitudine credentium cor vnum & anima vna. *Et ego claritatem quam tu dedisti mihi, dedi eis, vt sint vnum sicut & nos vnus sumus. Ego in eis & tu in me, vt sint consummati in vnum, & cognoscat mundus, quia tu me misisti, & dilexisti eos sicut & me dilexisti.* Homo cor plus quàm faxeum habeat oportet, nisi liquefiat, narrare audiens quanta sollicitudine Christus nos Deo patri commendauit, vt sicut ipse & pater essentialiter vnum sunt, & nos per gratiæ donum in illis vnum simus. Idcirco studeamus nexu insolubili coniungi, vt illius gratiæ participes simus, quam Deus pater filio homini dedit:

per eam

per eam in patre & filio vnum fieri poterimus. Sicut enim palmites à vera vite diuulsi fructū ferre non possunt, sed moriūtur, similiter si vita spiritali viuere velimus, oportet quòd in patre & filio vnum simus. Vndè vltèrius dicebat: Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi sum ego, & illi sint mecum, vt videant claritatem quā dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionē mundi. Cū fuerint afflictionum mearum cōfortes, quid æquius quàm eos reddere cœlestis gloriæ perticipes, vt illam videāt? Istud ad tempus referamus in quo ad beatam vitam perueniemus. Tunc ex beatifica visione cognosceamus qualis est claritas, quam pater filio homini ante constitutionē mundi reseruauit, in qua dicit se iam esse, quòd ad eā in proximo iturus erat. Tunc illa videri poterit: & nihil pulchrius maximè per nos qui diu in tenebris huius mundi fuimus. Exemplo sit homo cæcus, aut qui in tenebris diu stetit. Quàm primum oculos in solis radios per aërem tenuissimum deflectit, ex visione claritatis illius, miram sentit cordis lætiam, & multò maiorem sentiet, qui per Christum ad beatam vitā translatus erit, quia lumen verum in lumine vero, scilicet filiū in patre videbit. Istud mundus non capit, ideo sequitur. *Pater iuste mundus te non cognouit. Ego autē te noui, & hi cognouerunt quia tu me misisti.*

Nimirum si mundus Deum esse patrē cognouisset, eum habere filiū non dubitasset, & Christum esse filium eius ab operibus quæ gessit, indubiè iudicasset. Hoc discipuli nouerunt, vnde Petrus nomine eorum Christo dicebat: Nos cognouimus quia tu es Christus filius Dei. Sed nemo tam perfectè hoc nouit, quàm filius à patre genitus, qui istud discipulis nunciauit. Vnde sequitur. *Et notum eis feci nomen tuum, & notum faciam, ut dilectio qua dilexisti me in ipsis sit, & ego in ipsis.* Cur Christus nomen Dei patris notū discipulis fecit, & per eos nobis notū fieri voluit? nisi ut de vera cognitione Dei patris & filij eius idem sentiamus, & vera dilectio in nobis sit. Sicut Christus in nobis est, tāquam caput in corpore, sine quo esse non possumus, quoniam in eo omnia sunt modo longè diuerso. Cælum & terram sua diuinitate implet, verū oportet eū in nobis abundantius quàm in illis vel cæteris animantibus esse, scilicet per gratiæ donū, pro varietate operū. Nunc cum illo sumus, & paulò post nobiscū nō est. Modus iste alternis vicibus variatur, & tam diu variabitur in nobis, quam diu mortales erimus. Vbi verò gratia in gloriā mutata erit, & illa in nobis cōsummata, ex mutua dilectione in nobis erit, & nos in illo.

Mat. 16

Hier. 23

FINIS.









